R-14
6/20

Luis de mendoça vecino de
Sevilla y natural de la
villa de marchena

Villa

Mar

Ev 49
33

CHRISTO-PHORI LONGOLII

EPISTOLARVM LIBRI IIII.

Bartolomæi item Riccij de imitatione libri tres.

A Io. Michaële Bruto emendati.



LVGDVNI,
APVD HÆRED. SEB.
GRYPHII,

1563.

IN CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOLAS IOANNIS Michaëlis Bruti ad Ioſephum Bonuiſium.

PRAEFATIO.

PErmultos, Bonuiſi, reperias qui cum inuita natura & repugnante liberalibus ſe ſtudijs dedidiſſent, atque in his qui magni nominis habentur, illud ſint aſſequuti, vt quod vehemens ſtudium in re præclara poſuerint, laudentur, quòd eius aſſequendæ cauſa eam viam inierint, in qua non magnos proceſſus efficerent, in eo vero eorum iudicium deſideretur. At neſcio quo pacto fieri videmus, vt qui parum progreſſos ſe adhibito ſtudio intelligant, tanquam ſibi ſperent acceſſurum quicquid de aliorum laude detraxerint, in eos linguæ intemperantia vtantur, quos ſe eſſe præſtantiores animaduertant. Quo quid excogitari fingiue iniquius poteſt? Atque ita is morbus latè patet, vt cum vix vnus aut

a   alter

alter ſit qui arte aliqua egregius inter multos atq; inſignis habeatur, plures inuidos & obtrectatores ſui, quàm imitatores inueniat. Cuius quidem rei non eſt difficile cauſam inuenire: eſt enim alterum plurimi laboris quem (vt ille ait) plerique fugimus, alterum licentiæ atq; impunitatis, quam ſibi nemo nõ ſumit. Accidit autem hoc cum multis alijs ſæpe, tum vni Chriſtophoro Longolio maximè. Florentem enim illum eloquentiæ laude admirati ſunt clari homines noſtra ætate Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, Reginaldus Polus, atque is quidem qui cum eo vixit familiariſsimè, & eius vitam ſcripſit in primis luculenter: alios item credo extitiſſe non ita multos, quorũ illi non teſtimonium modò laudi atque ornamẽto, ſed gratia atque autoritas præſidio ad vitam agendam fuerit. Sed plurimi ſimul extiterunt, qui illius gloria inuidentes, & maledicẽdo & obtrectando, vſq; eò vt iniquo iudicio circunuẽtum in graue capitis diſcrimen adducerent, eam obterere conati ſint. Ac nemo ferè noſtrum legens quæ in eum illius popularis ſcripſit eruditus ille quidem & diſertus, ſed non tàm ſuæ grauitatis quàm ingenij memor, qui propenſus maxime ad dicacitatem fuit, nemo nõ in eo inquam animi æquitatem maiorem moderationémque deſiderat. Dicerem plura

de

de Longolio quam acre illius iudicium deligendis ijs quos imitaretur, quàm felix ingenium exprimẽdis quos probaſſet, quàm multa eruditio, quámque recondita fuiſſet. Sed Vt hoc minus mihi eſſe neceſſarium putem, facit ſummorum hominum autoritas, quorum cùm illuſtria teſtimonia de eo & multa extent, etiamſi nulla illius ſcripta ſupereſſent, ſatis ille me etiam tacente à maledicto & calumnia Vindicatur. Ex his Vnum illius maximè ſtudioſum Bartholomæum Riccium Video ita de illo ſtatuere, Vnum adoleſcentem & externum noſtra ætate extitiſſe, qui noſtros homines atque illos quidem per omne Vitæ ſuæ tempus in Italiæ luce Verſatos, rationem imitandi, quæ eſſe optima atque expeditiſſima Videretur, non Vllis magis præceptionibus, quod Riccius præclarè facit, quàm ſuo exemplo docuerit. Quæ me res mouit, Vt cùm Epiſtolas Longolij plurimùm probante me, Gryphius excudere inſtituiſſet, eruditus iuuenis, atque ingenio pereleganti, illi autor eſſem, Vt ijs tres Riccij libros de imitatione adderet: qui & propter ſingularem eruditionem, & propter genus ſcribendi mirificum, quo is excellit (nihil enim eo purius, elegantius, politius excogitari poteſt) legi ſummo ſtudio ab omnibus debent: abs te Bonniſi, inprimis, qui à tua prima adole-

ſcentia propenſus ad eloquētiæ ſtudia Aonio Paleario duce, Pcēta illo quidem optimo atque oratore ſummo, maximè te ad Ciceronem imitandum dediſti, quem nunquam etiã in maximis negotijs de manibus ponis. Annus iam agitur ex quo te primum tempore adij, iam à me antea cognitum fama, ſummo loco natum hominem, ex clariſsima familia, & quidem, quod multò pluris à me fit, omnibus ijs artibus excultum, quæ maximè vigent cum laude in liberis ciuitatibus. Ita autem me cepiſti vnico illo cōgreſſu, cùm cætera tua humanitate comitate affabilitateq́ ſermonis, tum elegantia morum & ſuauitate, vt nihil mihi tum reliqui fecerim in te amando, quod poſtea addi ad ſummam meam in te obſeruãtiam & beneuolentiam poſſet. Nam quòd me etiam tuo es beneficio proſequutus, & teſtimonio honeſtaſti, aliquanto tu in eo me felicior fuiſti. Quicquid enim aut fui vnquam aut ſum futurus (vtinam vel tua cauſa ſim quem me cupio videri) id totum tibi non mea voluntate modò, ſed tuo etiam iure adiudicaſti. Quod quidem quanquam mihi, quæ tui animi æquitas eſt, planè remittis, non ſolum ego tamen quod te deceat, ſed quod me facere æquum ſit, mihi cogitandum puto. Itaque & cum iſtic agerem, contigit mihi ſæpe, vt multi à

me atque illuſtres ſermones, de tua virtute, facilitate, liberalitate haberentur: cuius rei teſtes ſunt locupletes Michael Guiniſius, Vincentius Malpilius, Paulus Samminiatius cum ſummæ dignitatis homines & tui æquales, tum digni qui à me in eorum numero habeantur, quos colo atque obſeruo maximè. Sed cuius potius quàm mihi ſatis equidem facere poſſum, meo in te amore ac ſtudio teſtificando. Quod vt pluribus etiam exploratum eſſet, meo hoc ad te munere aliquando me aſſequuturum non deſperaui. Id autem tu, vt ſoles omnia mea, ita gaudenti animo ac libenti accipias velim, vt me non de re magis (tametſi ea præclara eſt) quàm de meo hoc in te amore & ſtudio ames: ita ſtatuens, nulla re ſatis poſſe quantum ſit, multò etiam ea præſtantiore, declarari.

Vale. Datum Lugd.
Idibus Iunij.

***

STEPHANI DOLETI IN obitum Chriſtophori Longolij, ad Sebaſtianum Gryphium, Carmen.

Lōgolij ô vtinā potuiſſet lingua docta tātùm,
Apud rapacem mortem, acreisq; Parcas,
Quantū olim valuit dicendo, voce dū diſertæ
Romæ catervas flecteret ſtupentes:
Viveret incolumis, nec funere cōcidiſſet atro,
Dignus perenni temporum recurſu.
Sed vivit, neq; morte vlla extinguetur, arce tectus
Famæ micantis, nominisq; magni.
Aere perennius exegit monimentum, ad aſtra latè
Laus cuius ingens & loquax volabit:
Quod non annorū ſeries, nec flatus impotētū
Auſtri, nec imbres diruent edaces.
Sidera dum cœlo hærebūt, ac Vrſa obibit axē,
Curſuq; tardo per polum meabit,
Longolio Heſperij, quiq; ortum Solis intuētur
Omnes, viciſſim gloriam vovebunt.
Hinc igitur procul, hinc procul abſint næniæ ſepulcri,
Luctusq; turpes, quos anus refundunt.

CHRISTOPHORI LONGOLII VITA.

CHriſtophorus Longolius Machliniæ, nobili Germaniæ oppido, honeſto ſplendidoq́; inter ſuos loco, natus fuit. Quoniam vero eo viuo non defuere, qui eũ Pariſienſem dicerẽt, libri etiã ab eo ſcripti hoc titulo circunferrentur: non ab re erit, quæ ipſe in altera defenſionum ſuarum, errorem hunc librariorũ repellens, de patria ſua dicit, hoc loco cõmemorare: vt deinceps qui de hac re dubitant, ipſi potius Longolio de ſe, quàm alijs credant. Eius verba hæc ſunt: Ego. P. C. *Machliniæ natus ſum, Machliniæ educatus, Germanicæ linguæ & Cæſarũ ditionis oppido, cũ alijs laudibus multis illuſtri, tum vero Philippi & Caroli Hiſpaniæ regum incunabulis percelebri. Hæc ille. Puer admodũ, cùm vix annos nouẽ natus eſſet, parentum ſtudio & diligẽtia, Lutetiã Pariſiorũ vt ibi literas diſceret, eſt miſſus. Neque enim vel id ætatis, propter ſummam ingenij docilitatem immaturum cenſebant, qui in celeberrimo illo literarũ domicilio politioribus diſciplinis animũ excoleret. Celeriter verò omnibus artibus, quibus puerilis ætas imbui ſolet, ita profecit,*

Vt æquales ſuos omnes doctrinæ laude longè præſtaret, ex his autẽ generoſiſſimũ quemq; imitandi cupiditate incenderet. Ingenio acri & vehementi præditus fuit, in quamcunq; partem ſe dediſſet, atq; omniũ diſciplinarum (quod poſteà reipſa declarabat) capaci. Quẽcunq; ſcriptorẽ ſibi legendũ propoſuiſſet, eum nunquã ferè de manibus, niſi diligenter ab eo perlectũ, dimiſit. Neq; vnquam in eo animaduerſum eſt, aut obſcuritate ſcriptoris alicuius, aut prolixitate deterritũ, quo minus totum perdiſceret, ſi modo talẽ putaret, ex quo fructũ aliquẽ capere poſſet. Cum autẽ ea quæ in antiquorũ ſcriptis tradita eſſent, celerrime perciperet, tum verò quæ abditæ fuere nemo maiori facilitate eruit. Atq; huic rei teſtimonio eſſe poſſunt multa ab eo penè puero, in C. Plinij de Naturali hiſt. lib. ſcriptoris non ita facilis & plurimis mendis deformati, ingenioſè excogitata & notata, quæ poſtea ipſo imprudente & inuito in Gallia fuere edita. Memoria vero tanta fuit, vt ad ea tollẽda, quæ animo ſemel inſediſſent, diuturnitas tẽporis vix aliquid valeret. De pluribus & varijs rebus ſæpe interrogatus, de quibus à multis annis nihil legerat, non minus prõpte de ſingulis ſolitus eſt reſpondere, ac ſi eo die ab eo perlecta fuiſſent. Cuius rei, cũ familiariter cum eo viuerẽ, in cõſuetudine

quotid

quotidiana crebrò periculū facere licuit. Hócq; in eo magis mirū fuit, quòd cū plurima legiſſet, omnia aūt quæ Græcè aut Latinè ſcripta eſſent, ſibi legenda proponeret, nunquam ferè ad metā ſemper properanti, ad eundē ſcriptorem reuertere licuit. Siquādo de ijs rebus ſermo incideret, quæ a diuerſis & varijs ſcriptoribus tractata eſſent, cū res ipſæ eſſent eædem ita tamē oratione ſolebat diſtinguere, ſua verba ſingulis ſcriptorib. à quibus ea acceperat referendo, vt nō memoriter ea dixiſſe, in quo ſæpe offendi ſolet, ſed de ſcripto pronunciaſſe videretur. Quæ ſæpe cū faceret, ita auditorum admirationē incendit, vt cū artificio quodā, non naturali memoriæ bono vti exiſtimarēt. Ad hæc tāta naturæ bona doctrinæq; ſummæ adiumēta, eā induſtriā adhibuit, vt quicquid in literis profecerit, huic penè ſoli gratia habenda videretur. Ineunte ætate cū earū rerū cognoſcēdarū magno ſtudio teneretur, quæ à philoſophis tractātur, amici qui eū honoratū magis, quàm doctū videre cupiebāt, verentes ne talium rerū ſtudiū eum lōgius ab honorū petitiōe abduceret, magnopere illi authores fuere, ne aliud ſibi eo tēpore præter Ius ciuile diſcendum proponeret: ex eius enim artis ſtudio affirmabant fore, vt celeriter ad honores, & ad ſummam gloriam perueniret. Quorum precibus & hortationibus cum ſibi omnino

parend

parendum eſſe duxiſſet ſex annos in eo ſtudio ita conſumpſit, vt nullis interim alijs literis, præterquam oratorijs, quæ maximè etiam artem illam, vel ornare vel adiuuare exiſtimantur, operam daret. Vſus eſt præceptore Philippo Decio, celebri iuris interprete, qui tum Valentiæ in Narboneñſi prouincia maximo auditorũ concurſu, qui vndiq; ad eum confluebãt, ius docuit. Eo verò tempore ita profecit, vt cũ poſtea ab amicis Lutetiã Pariſiorum, vt ius ibi exerceret, eſſet reuocatus, cùm agendo, tũ reſpondendo tantam laudem eſt adeptus, vt vix dum biennium in Iuriſconſultorum ſubſellijs verſatus, in centumuirale illud conſilium, quod antea ſolis ſenibus, vel certè ætate prouectis patebat, admodum iuuenis adlegeretur. Quare amicorum volũtati iam ſatis factum putans, tempus adeſſe putauit, vt animò etiam ſuo maiorum rerum cupiditate flagranti morem gereret. Itaq; C. Pliniũ, cuius lectioni ſe totum dicaret delegit, quem varietate & copia rerum cæteris Latinis ſcriptoribus præſtare, ac velut in vnius operis compendio quæcunq; à philoſophis Græcis pluribus et libris & verbis tractata eſſent, mira breuitate collegiſſe exiſtimauit. Sed cũ res ipſa, quæ quãuis copioſè tractatæ, per ſe difficultatem afferunt, in anguſtum à Plinio concluſæ vix ſpem aliquam ſui intelligẽdi darent: ibi partim

tim neceſsitate coactus, quòd aliter ea quæ ita cõcisè tradebãtur intelligere nõ poſſet, niſi eaſdem fuſius apud alios tractatas videret, partim magnitudine & varietate rerũ eum inuitante, vt ex vberrimis illis fontibus potius, ex quibus Plinius ipſe hauſiſſet, quàm ex illa ſeclusa aquula illarũ cognitionẽ peteret, animum ad maiora erexerit, vt eos etiã ſcriptores videret, à quibus illa Plinij emanaſſe putabantur. In hac verò ſententia cùm eſſet oẽs illi agricolæ, oẽs ferè medici fuere perdiſcẽdi, rerum Romanorum, & totius antiquitatis memoria diligẽter tenenda, orbis deniq́ ille diſciplinarum, quam ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant, euoluendus: cũ nulla ferè ars ſit, cuius nõ expreſſa veſtigia aliqua apud Pliniũ reperiatur. Hæc verò perficere illi multo fuit difficilimũ, præſertim Græcarũ literarum adhuc ignaro & prorſus rudi. Verũ nihil horũ eum retardauit, vt erat animo ſemper reluctante difficultatibus, tamq́ incenſus cupiditate, vt philoſophorũ & aliorũ ſcriptorũ myſteria cognoſceret. Principiò itaq́ Græcis literis tanto ſtudio, tãtisq́ ingenij viribus incubuit, vt nõdum vertente anno, ſiue ad philoſophos, ſiue ad oratores ſe converteret, ignoratio linguæ nuſquam eum ab eorum intelligẽtia excluderet, eodẽq́ tẽporis interuallo Græcè etiã ad Gulielmũ Budæũ Gallorũ doctiſsimũ epiſtolas ſæ-

pe

pe mitteret. Pari ergo ſtudio atq; induſtria cũ quinquenniũ in Græcis ſcriptoribus legẽdis perſeueraſſet, iã lingua ipſa maximè illi familiaris fuit: eadẽq; opera doctos illos ſcriptores aſsiduè legẽdo, vberrimã maximarũ rerũ cognitionẽ ex illis hauſit. Memor verò vbiq;, cùm illos legeret inſtituti ſui, & cuius cauſa initio tot ſibi ſcriptores euoluẽdos ſumpſiſſet, nihil in his omiſit, quod ad pleniorẽ C. Plinij intelligentiã aliquo modo faceret: quin id diligẽter notatũ, quo loco & in quo authore legiſſet, in Plinij libro ſcriptũ relinqueret: vt ante omnia ſubſidia in hac re, quæcunq; ex lectione cõparari poterãt, tentaret. Eandẽ rationẽ in recentiorũ ſcriptis legẽdis ſeruauit. Quãdo verò de ſtirpiũ natura, multa Plinius traderet, nonnulla etiã de piſcibus ſcriberet, rebus à cognitione huius ſeculi ita remotis, vt ne omnia quidẽ intelligãtur: nõ contẽtus eorũ authoritate, qui aliquid de his ſcripſere, voluit ipſe verba rebus accõmodare, hiſq; diligenter inſpectis videre, quo pacto res ipſæ cũ antiquorum ſcriptis cõuenirent. Itaq; ea cauſa illi in Narbonẽſem prouinciã iterũ proficiſcẽdi fuit, cum adoleſcẽs antea ibi ius ciuile didicerat: quã quidẽ ſtirpiũ fertiliſſimã, piſcium etiam abũdantiſſimã, propter illius maris vicinitatẽ exiſtimauit. In qua quidẽ peregrinatione librũ etiã, quẽ Herbarũ hiſtoriã appellauit,

ſcripſit.

ſcripſit. Eã verò partẽ in qua Plinius terrarũ orbis deſcriptionẽ complexus eſt, diligẽtiſsimè eſt perſecutus: atq; in hoc etiã oculorũ iudicio vti voluit, amnesq; et ſyluas, ac mõtes, & antiqua oppida à Plinio deſcripta, quorũ aliqua veſtigia manerẽt, ipſe adire. Itaq; cũ adoleſcẽs Hiſpaniã totã peragraſſet, adulta iam ætate, Britanniã, Germaniã, Galliã, Italiã, emenſus eſt: ſtatueratq; in Orientẽ proficiſci, niſi Turcorũ arma, quibus omnia Chriſtianis hominibus clauſa eſſent, eũ ab hoc conſilio deterruiſſent. Quanquã etiã apud homines noſtros peregrinando in magna pericula ſæpe incidit. Apud Heluetios aũt, dũ eorũ regionẽ viſeret, nihil propius fuit, quàm vt interficeretur. Quid verò illi acciderit, & quomodo periculũ euitauerit, nõ erit alienũ cõmemorare, quò magis & induſtria eius cognoſcatur, & animus qui nullo periculo à rerũ dignarũ inueſtigatione deterreri potuit. Profectus eſt eò cũ duobus familiaribus Gallis eo ſanè tempore, quo accepta clade apud Mediolanum Heluetij à Gallis maximè diſſenſerunt. Cum comitibus ergo cum in ſuſpicionem veniſſet, ſpeculandi cauſa acceſsiſſe, pars quædam cohortis Heluetiorum eos aggreſſa eſt. Ibi cùm aliquandiu repugnaſſent, neq; pares eſſe potuiſſent, vnus eorum fuga Rhodanũ tranatando, vitã ſibi ſeruauit, alter in pugna caſus: ipſe graui vul

nere

nere altero brachio accepto, captus & in carcerem abductus eſt: Vbi triginta ferè dies, cum neq; medici neq; remedij vllius facultas daretur, vulneris dolore magis magisq; ingraueſcente in ſumma mœrore iacuit, donec caſu antiſtes Seduneñsis qui apud Heluetios dignitate & gratia maximè potuit, eò veniſſet. Cuius opem cũ Longolius per literas ſupplex implorasset ipſe caſum viri valde miſeratus ſtatim cuſtodia liberauit, adhibitisq; medicis, tã diu apud ſe retinuit dũ à vulnere prorſus ſanatus eſſet: tũ equo ornatũ & viatico liberaliſſimè inſtructũ in patriã remiſit. Nec verò ille ante diſcedere voluit, quàm id cuius cauſa venerat perfeciſſet, regionẽq; totã luſtraſſet, atq; tabellis deſcriptã ſecũ domũ reportaſſet: cuius rei perficiẽdæ maiorẽ tum facultatẽ habuit quàm ei Seduneñſis authoritas dabat. Itaq; cũ in omnibus quæ videre cuperet abũde ſatisfactũ eſſet, illinc in patriam diſceſſit. Sed vt eò de quo incœperã reuertar: hoc eũ ſæpe prædicantẽ audiui, ſe quicquid in rerũ natura cognitione profeciſſet id C. Plinij lectioni acceptũ referre, qui in omnibus illi occaſionẽ plura quærẽdi et inueſtigãdi ſemper dederat. Oratorijs artibus à puero ſemper deditus fuit earũ verò ſummã cognitionẽ non artis ſolùm præceptis, ſed multa exercitatiõe firmauerat. Declamandiq; conſuetudinẽ multis iam ſe-

culis

culis intermiſſam & prope mortuã, quæ nihil vnquam vtilius ijs qui oratores euadere cupiunt, inuentũ fuit, in ſeipſo primùm, pòſt in alijs renouauit, cum argumento propoſito, ſæpe in ſcholis declamando, alios ſuo exẽplo, vt idẽ facerent, cõmouit. Genus dicendi ineunte ætate ſecutus eſt, quod poſteà vir factus, valde improbauit. Nam cũ adoleſcẽs per omnia ſcriptorum genera vagaretur, neq; quenquã vnum ſibi imitandũ proponeret, ſed, vt ipſe de ſe dicere ſolebat, tantũ in vno quoq; notaret, quantũ acute aut ſententioſe dictum eſſet: eo factum eſt, vt prudenter ſemper ferè diceret, quod fuit etiam naturæ: oratio verò eius, quæ ex verbis vndiq; accerſitis conſtaret, nullam neq; elegantiã, nec venuſtatem præ ſe ferret. formãq; dicẽdi inconditã & minimè æquabilẽ redderet. In hoc tamẽ genere multa ſcripſit, Orationẽ de laudibus C. Plinij, alteram de laudibus Gallorũ: Comparationẽ iuris ciuilis cũ re militari, in qua iuris laudes extollit: Cõmentarios quoſdã in ius ciuile: hiſtoriã barbarũ: Cõmentarios in xj. libros Plinij ab eo admodũ adoleſcente, quo primũ tempore Pliniũ in manus ſumpſerat, cõſcriptos. Poſtremũ verò omnium, cùm iam etiã maiorem elocutionis rationem habere inciperet, quinq; orationes de laudibus vrbis Romæ fecit. Quòd verò genus ſcribendi mutauerit, id Petri Bem-

bi conſilio, qui eo tempore hac laude eleganter & Latinè ſcribēdi multū Italis omnibus præſtitit, acceptū referre ſolitus eſt. Ille enim cū Longolio amiciſſimus eſſet, multaq́ eius prudenter quidē ſcripta, ſed inquinatis & corruptis verbis referta videret, dolere ſe apud eū ſæpe teſtatus eſt, quòd cū à natura & literis ad oratorias artes inſtructiſſimus eſſet, volūtate etiā in eas maximè propenſus, negligeret tamē eam partē emendatè & Latinè loquēdi, quā M. Cicero eloquētiæ Romanæ parēs ſolū & quaſi fundamentū oratoris eſſe indicauit: vnde etiā eloquētia ipſa nomē ſumpſiſſet. Magnopere igitur eſt cohortatus, vt totam ſuā dictionē, ad præſtantē illā Ciceronis dicendi formā reuocaret, eūq; ſolū ex oratorib. ſibi imitandū proponeret. Cuius cōſilio & authoritati tantū tribuit, vt quinq; annos cōtinuos ab ea cohortatione, nullū alium authorē Latinū in manibus haberet, nullū legeret, præter vnū Ciceronē: in quo tantū ſtudio induſtriaq́; profecit, vt poſt breue tēpus, cùm ſibi eā legem induxiſſet, ne alijs atq; à Cicerone ſumptis verbis vteretur, ad omnia ferè quæcunq; animo concepiſſet exprimēda, abunde ex illo vno verba electa ſuppeterēt. Cumq́; ſe totum ad ſummi illius oratoris imitationem dediſſet, ſicq́; toto animo cōtendiſſet, vt nihil vnquam magis, vt perfectā illius ſcribendi formā ani-

mo incluſam haberet, etiam in omnibus quæ ſcripſit, vt eodẽ modo dicere poſſet, magnopere laborauit. In hãc verò formã ſcriptæ ſunt ab eo orationes duæ, qvibus eorũ accuſationi reſpondet, qui eũ Romæ perduellionis reũ egère. Vna præterea ad Lutherianos oratio, & aliquot epiſtolæ ad amicos. Reliqua omnia quæ ſcripſit, ipſe abolenda cenſuit: idq́, vt ita fieret, amicis moriẽs cõmendauit. Cauſam verò totam Lutherianã, cuius oppugnationẽ iuſſu X. Leonis Pontificis maximi, a quo etiam cõmentarij totius cauſæ miſſi ad eum fuere, ſuſceperat, quinq; orationibus complecti ſtatuerat: breuiq́; perfeciſſet (excogitatis iam ſecum vt ex ipſo audieram, quæcunque tali in cauſa dicenda forẽt) niſi prima ſtatim abſoluta, immatura mors cõſiliũ eius præueniſſet. Theologiã & eos ſcriptores qui de diuinis rebus tractãt, omni ætate coluit: idq́. putauit hominis eſſe Chriſtiani, nõ in ſenectutem, vt maxima pars hominũ facit, hoc ſtudiũ differre, ſed quotidie ad diſcẽdo in eo, quãquã lẽtius id fieret, aliquid tamen procedere. Hoc autẽ modo ipſe & Græcos & Latinos plurimos quos maxime in rerum diuinarũ explicatione excellere putauit, diligẽter euoluit. In his verò literis, & in alijs artibus, tot perlegit, tam multa, tãto iudicio in tam paucis annis, ea etiam ætate qua alijs vix maturũ iudiciũ adeſſe ſolet,

tot interim laboribus ex peregrinationibus exercitus, ut ijs, qui eũ & mores eius non noue re, penè incredibile videatur. Sed adiuuabat præter cætera, quæ modo cõmemoraui, temperantia ſumma in victu, & in omni vita, ut voluptatibus, quæ apud cæteros eius præſertim ætatis magnã partem tẽporis ſibi vendicant, nullũ omnino tempus daret. Cibi & potus erat parciſsimus: mero nunquam, dilutiſsimo ſemper vtebatur, maxime verò frigido potu delectabatur: quo etiã ſæpius vſus fuiſſet, niſi medici, quòd maxime inimicũ ſtomacho dicerẽt, eum magnopere deterruiſſent. Sõno parum indulgebat, cùm plurimũ, non amplius ſex horas dormiebat. Reliqua genera voluptatum ſummus ille ardor in ſtudia literarum ita reſtinxit, ut nulla prorſus in eo aliarum rerum cupiditas appareret: neq; verò ita prorſus ſtudijs deditus erat, ut reliqua omnia quæcunq; in Rep. Chriſtiana agerẽtur tanquam ad ſe nihil pertinerent, negligeret. Sed cũ ſtudijs plurimũ tribueret tẽporis, tum verò quãdo vel ſalutis ratio, vel quæuis alia neceſsitas eũ à ſtudio auocaret, libẽtiſsime & diligẽtiſsime de ijs, quæ foris agerentur, inquirebat. Quo factũ eſt, ut ſimul & doctiſsimus & prudẽtiſsimus haberetur: ut neq; hæc curioſitas rerũ externarũ cognoſcendi, quicquam legitimo ſtudiorũ tempori detraheret: nec illa

la lãguidiorẽ ad cætera redderẽt, aut quicquã de prudẽtia rerũ diminuerẽt, ſed contrà alterũ ab altero adiutũ hanc pulcherrimã in eo prudentiæ & ſapiẽtiæ coniunctionem effi cere. Corporis eatenus rationem habuit, quatenus ſtudijs ſufficere poſſet: quotidieq; ante cibum parua pila ſe exercebat: quanquã per ſe laboris apta mẽbrorũ cõpoſitione patientiſsimũ corpus habuit, & quod multis magnisq; laboribus ad omnẽ patientiã ineunti ætate firmauerat, quippe qui adoleſcẽs laborẽ etiã militarẽ fuerat perpeſſus, milesq; Neapolitano bello, cum Ludouico Gallorũ rege in Italiam venisſet: etſi à robore militari multum abeſſet, corpusq; decorum magis habere, quàm robuſtũ videretur. His verò rationibus ita corpus & animũ curauit, vt alterum ſemper ſanum, alterum quàm doctiſsimũ, varijsq; & multis artibus repletũ haberet. Quantũ verò doctrina & eloquẽtia inter huius ſeculi ſcriptores præſtiterit, ij demũ intelligent, qui pauca ea quæ ſuo iudicio probata, ſcripta reliquit, cum aliorum in illo genere ſcriptis conferent: aut is deniq;, qui in ſimili ſcribẽdi argumẽto ſui periculum fecerit. Neq; verò iſtis artibus atq; virtutibus præmia omnino indigna his tẽporib. tulit: multaq; præclara de eo iudicia principes viri fecere. A rege Hiſpaniæ Philippo duodeuiginti annos natus, ſanctioribus illis

reconditarum rerum notis, quibus hodie vnis omnia prope regnorum arcana committũtur, præfectus. A principibus Pannoniæ magno propoſito præmio accerſitus, vt regem puerum optimis artibus inſtituendum ſuſciperet. A Ludouico Francorum rege multis honoribus affectus: de quibus ille, in iudicio cùm pro ſe diceret, aduerſarijs maximè conditionis obſcuritatem obijcientibus, commemorare eſt coactus. Quo tempore regis decretum recitari fecit, à quo ille non vnius aut alterius (vt eius verbis vtar) ſuæ ditionis vrbium, ſed vniuerſi regni iuribus vno edicto eſt donatus. Sub quod, etiam aliud decretum conſilij illius centumuiralis, quod Lutetiæ Pariſiorũ cogitur, intulit. In quo illi iurati ſummo conſenſu in collegium ſuum cooptarunt, habiturũ in perpetuum ius vitæ & necis, ac ſummam fortunarum omnium poteſtatem, non in plebem modo, ſed in omnes regni proceres. Viceſimo verò octauo ætatis anno, ciuitas ei Romana vltro eſt oblata, virtutisq́ literarum ergò ciuis factus. Quæ res quanquam initio multarum illi turbarum cauſa fuit, multis clàm inuidentibus, nõnullis verò nobiliſſimis viris palàm eum oppugnantibus, & virtutibus eius obtrectantibus, inter quos magno periculo eſt verſatus: poſtea tamẽ optimè ceſsit, nomenq́ eius & gloriam magnopere auxit.

Nam

Nam cum ſtatim poſt ciuitatem adeptam in Gallias redire ſtuderet, vt amicos & propinquos, à quibus multos annos abfuerat, viſeret, crebræ verò aduerſariorum eius voces exceptæ eſſent, palàm dicentium ſe nomen eius delaturos: ea res fecit, vt paulò diutius conſilium profectionis differret, ne, ſi tali tempore Vrbem relinqueret, non amicos ſalutandi cauſa diſceſsiſſe, ſed timore & minis inimicorum perterritum ab Vrbe aufugiſſe videri poſſet. Sed cum diutius manſiſſet, quàm eius rationes paterentur, expectans quorſum obtrectatorum inuidia procederet, cùm illi interim nihil contra eum niſi conuicijs agerēt: exiſtimans vlterius eorum indignitatem nō progreſſurā: iter Galliam verſus iam diu ab eo deliberatum, eſt perſecutus, relictis tamen apud amicos defenſionibus ſuis ſcriptis, vt cōtra omnes conatus aduerſariorum, ſi abſentia eius aliquam illis occaſionem accuſandi daret, præſto haberent, quod opponerent: iam tum ex eorum conuicijs animo proſpiciens, quæ maximè obiecturi eſſent, quibus ille omnibus medicinam fecerat. Cuius ſui conſilij prudenter excogitati magnum poſteà fructum & voluptatem cepit. Vix enim Venetias in eo itinere peruenit, cum ad eum literæ amicorum ſunt allatæ, nunciantes grauiſsimam accuſationē, quā ſtatim poſt diſceſſū eius aduerſarij

ſunt Vſi, & quo pacto conſilium de relinquendis defenſionibus proceßiſſet. Accuſauit eum nobilis & diſertus adoleſcens Romanus, in quo magnam dignitatis ſuæ ſpem maiores natu Romani collocarāt, ad id inductus inimicorum Longolij multis & aßiduis precibus, obiecto etiam falſa gloriæ ſplendore, quod patriæ laudibus, quas oppugnatas à Longolio eſſe Voluerunt, in huiuſmodi accuſatione adeſſe eū aſſeuerarant. Ita Verò acerbè & Vehementer, ipſo audiente Principe Romano, cùm multi nobilißimi & clarißimi Viri iudicio intereſſent, egit, Vt nonnulli amici Longolij eſſent, qui de cauſa obtinenda deſperarent, donec amicorum præcipua cura defenſiones eius in lucem prodiere: quæ ita ab omnibus paßim probabantur, Vt multi dicerent non Longolium ciuitatis donatione ornatum, ſed ipſum ciuitatem illis orationibus ornaſſe, in quibus priſtinam dignitatem ciuitati & Vetera ſua ornamenta omnia reſtituiſſe Videbatur. Principi Verò ipſi ita placuere, Vt oblitus penè quid aduerſario eius tribuiſſet, quem paulo antè, nulla magis re alia motus atque eius in Longolium actione, in familiarium numerum receperat, protinus iuberet, Vt diplomata Longolio expedirentur, quibus ratum eſſet, quod S.P.Q.R. de ciue eum aſciſcendo decreuiſſet, præterea quod ipſe de pri-

uato

uato ærario ad tuenda ſtudia eius conceſſiſſet: atque ad eum vbicunque terrarum eſſet, deferrentur: ea tamen lege, ne ſedem ſtudiorum alibi, quàm in Italia poneret. Multis præterea honoribus affecit: nam in Palatinum & ſacroſanctæ Lateranenſis aulæ Comitatum ſua ſponte cooptauit, & in Romani Pontificatus ſcribarum numero eſſe voluit. Quæ cùm ad eum perlata eſſent, cùm alia omnia libenter audiuit, tum verò conditionem de commoratione ſua in Italia non inuitus accepit, lætusq́ in Galliam quaſi ex inimicorum dolore triumphum agens, animo ſtatim reuertendi eſt profectus. Vbi magno amicorum gaudio exceptus, quod nihil tam præter opinionem eorum accideret, quàm vt eum quem vix ſaluum in tantis contentionibus arbitrabantur, honoribus etiam auctum viderent, magno eum ſtudio apud ſe retinere contenderunt, pluribus etiam ad manendum præmijs & priuatim à multis, & publicè à rege ipſo Francorum propoſitis. Ex priuatis autem, qui hoc maximè ab eo contenderunt, Ludouicus Ruzæus Pariſienſis, cùm multa alia, tum verò ſuburbanum fundum lautum & fructuoſum muneri obtulit, nullam aliam beneficij ſui remunerationem aut operam ab eo expectans, niſi vt vrbe illa quaſi domicilio ſtudiorum ſuorum contentus, in Italiam am-

plius non rediret. Ille vero quanquam Galliam ſemper non minus charam, quàm patriam habuit, exiſtimans non inferiori amoris loco habendam quæ excepit, quàm quæ genuit, plurimi etiam in hac re amicorum ſtudia æſtimaret: tamen cum recordaretur, quã fidem X. Leoni Pont. Max. & reliquis amicis de reditu dediſſet, ab eo nullis cuiuſquam promiſsis aut precibus deduci potuit. Mirificè verò ipſe ſua ſponte erga Italiam & Italos homines afficiebatur: vt etiã in epiſtola quadam ad Sadoletũ, reditus ſui rationem probare volens, cum alias cauſas attuliſſet, poſtremo addit, ideo ſe rediſſe, quòd ad excitanda fouendáq; ſtudioſorum hominũ ingenia plurimum cõferre arbitratus eſſet cœli ipſius Italiæ clementiam, ſeq; in eo felicem illum, & planè diuinum Italiæ genium ſecutum. Antequam verò rediret, Britanniam nobilem inſulam videre voluit: adductus præterea fama eorum, quos præter cæteros illic Græcis literis & Latinis eruditos, omni liberali & ingenuæ doctrina pollere audiuerat. Cũ quibus pluribus diebus iucũdè conſumptis (quòd eorum doctrina ita delectaretur, vt etiam ſummæ admirationi eſſet, quemadmodum ſæpe eum prædicantem audiui, tantam & tam politam atq; excultam doctrinam in illis locis, apud eos homines vel vſquã penè terrarũ,

his

his temporibus, quibus propè omnes elegantiores artes iaceant, potuiſſe reperiri) ad conſtitutum ſibi in Italiam iter reuerſus eſt, Patauiumq́ue venit, quem ſuis ſtudijs locum accommodatiſſimum elegit. Quanquam ſimul ac de eius in Italiam aduentu auditum eſt, populus Florentinus non ſolum in ciuitatem ſuam ſi illic ad inſtituendã bonis artibus iuuentutem ſe conferret, inuitauit, verũ etiam vicena quina in annos ſingulos ſeſtertiorum nummum milia, ex ærario publico decreuit. Verùm ille recordatus, quæ præmia ante contempſerat, quòd nullam ocij ſui partem alijs vendere voluiſſet, nulla mercede à ſuſcepta propoſitáq́ue ſentẽtia potuit auelli. Patauij autem ſe continuit, ſibi & ſtudijs ſuis ſeruiens, primum in contubernio Stephani Sau'ij nobilis Genuatis, qui literarum cauſa eò ſe contulerat, optimarũ artium etiam ipſe ſtudioſiſſimus. Deinde verò eo in patriam reuocato, cũ multi nobiles viri (quorum tum Patauij propter celebritatem eorum qui literas docuerũt, magna copia fuit) certatim Longolium ad ſe inuitarẽt, quòd eius conſuetudinem non honorificam tantũ ſibi, ſed etiam fructuoſam fore putabãt: ille in domum Raynaldi Poli nobilis iuuenis Britanni, quem per eos dies Rex Britanniæ literarũ cauſa eò miſerat, migrauit: quo cũ cõiunctiſſimè in literis vſque ad extremum

mum vitæ diem vixit. Amicitijs vſus eſt magnis & illuſtribus, quas illi vbiq; ferè vel felicitas quædam eius, vel doctrinæ fama conciliauerat. Neq; verò in conciliandis amicis felicior, quàm in retinendis prudentior habebatur, quos ſumma fide obſeruantiaq; ſemper coluit. Quantũ verò officio in amicos tribuit, vel extremus ille vitæ eius actus facile declarauit. Nã cùm grauiſſime ex febre laboraret, ex qua etiam perijt, eodemq; tempore ab Hieronymo Sauorniano amico ſuo, qui tum filiũ ſumma ſpe & indole adleſcẽtem amiſerat, literas accepiſſet valde miſerabiliter de morte filij ſcriptas: exiſtimans ſe non aliter officio ſuo in amicum poſſe ſatisfacere, in medijs ipſis doloribus cũ grauiſſimè cruciaretur, literas ad eum conſolatorias, morbũ ſuum ſilẽtio tegens, ne hoc etiam ad amici dolorẽ adderet, dedit. Quæ quidem, vt tum ſcriptæ, maxime vim morbi auxiſſe exiſtimari poſſent, ſic vberrime, quo officio in amicos eſſet, declarauere: qui ne eo quidem tempore ſibi parcere voluit, aut officiũ intermittere, quod omnes illi libenter remiſiſſent, aut ſanè amicus non eſſet, qui hoc ab eo exigeret vt tum alium conſolaretur, cum magis conſolatione ipſe egeret. Sed ab ea humanitate quam in omni vita erga amicos retinuerat, ne tum quidem dolor corporis & propinqua mortis expectatio potuit eum de-

duce

ducere, aut facere, ut ſuorum cõmodorum rationem haberet, qui ſemper, quacunq; in re declarare poſſet, amicorum commoda ſuis prætulerit. Quo factum eſt, ut chariſsimos illos, ſemper firmiſsimos haberet: idq; maxime eſt expertus, cùm abſens Romæ in iudicium uocaretur. Quo tempore neq; aduerſariorum eius potentia, quæ maxima fuit, nec acerba eorum in eum accuſatio, quenquã eorum qui amicitia uel conſuetudine aliqua dum Romæ eſſet, coniuncti uidebantur, ulla in re flectere potuit. Plurimum uerò ex omnibus detulit Iacobo Sadoleto, & P. Bembo, uiris cùm authoritate & gratia inter eos, qui tum Romæ erant, maximè florentibus, tum uerò doctrina & omni politiore humanitate propè ſingularibus. Quorum opibus & gratia quãdiu Romæ fuit, in omnibus rebus eſt uſus. Vt uero alios in ſe benignos & liberales eſt expertus, ſic omnibus quos aut conſilio iuuare poſſet, maximè fuit expoſitus: præcipuè uerò ijs qui ſpem aliquam de ſe, uel ingenij, uel doctrinæ darent. Noui ipſe multos, qui cùm à patria abſentes, & amicorum ſubſidio deſtituti, ad eum confugerent, ab eo ſæpe pecunia ſubleuatos: cùm tamen ualde tenues facultates haberet, & aliorum opibus caſus ſuos ſuſtentaret: quando uerò diutius ſumptus tales ſe ferre nõ poſſe ſentiret, per amicos omnia egiſ-

ſe, ne quid illis deeſſet, nõ ſecus ac ſi omnia neceſsitudinis officia ſibi cũ illis interceſsiſſent, qui neq; cognatione, neq; patria eum contingebant, indole tantum & ſpe doctrinæ ei commẽdati. Aduerſæ fortunæ vulneribus multis, vt in tam paucis vitæ annis, ictus, nihil vnquam aliter atq; virum decuit, tulit. Primũ Philippi Regis Hiſpaniæ morte inopinata, ad quem ſe poſt amiſſum vtrunq; parentem contulerat: ex quo cum magna ſperaſſet, iámque apud eum gratia, & ſupra ætatem authoritate multum valeret, ille præter omnium opinionem in Hiſpania ereptus eſt. Deinde multis peregrinationibus & moleſtijs agitatus, carceris etiam moleſtiam & difficultatẽ eſt perpeſſus. Poſt contentio illa Romæ acceſsit cum potẽtibus & factioſis aduerſarijs, inter quos, cum ſæpe diſcrimen vitæ adijt, nunquam ſine magno periculo verſabatur. Extremum vero omnium, quod aliqua ex parte eum attingere videbatur, fuit Decimi Leonis Pontificis Maximi mors: in cuius vita omnem ſpem fortunarum ſuarum, ſitam habebat: cuius authoritatem & promiſſa ſequutus, contra omnium amicorum ſuorũ voluntatẽ in Italiam redierat. Cum autem neq; ad ſuos honeſtum reditum, quorũ antea promiſſa ſpreuerat, neque quo pacto in Italia defuncto iam Leone, qui antea ſumptus ſuppeditabat, ocium ſuũ

cum

cum dignitate tueri poſſet, ſatis videret, hæc nonnihil eum conturbarunt. Nuſquam tamen ſe commouit: ſed veteribus tantum amicis, quos in Italia habuit, de ſtatu ſuo per literas admonitis, ille in contubernio illius nobilis iuuenis Britanni ſe continuit. Cum vero decem menſes poſt obitum Leonis per[illegible] ſuo ferè in literis verſaretur, conſtitutum ſe habere dixit in Forumiulium proficiſci, cùm vt animũ ſuum curis literarum diſtrictum peregrinatione relaxaret: tum etiam vt eam partem Italiæ ſibi non ſatis cognitam viſeret. Itaque paucos ante dies, quàm egredi ſtatuerat, cum nihil omnino incommodæ valetudinis ſentiret, ſemotis arbitris multa cum Polo ſuo, cui ſemper plurimũ tribuit, fertur diſputaſſe de periculis, de fragilitate, de miſeria humanæ vitæ: hanc vero tandem ſummam orationis habuiſſe, vt quoniam ſibi peregrinandum eſſet, neq; ignoraret multa ſæpe peregrinantibus pericula præter opinionem, quibus obſiſti nõ poſſet, interuenire: vt rebus ſuis, quicquid ſibi accideret, prouideret, teſtamentum ſe velle facere dixit, atque apud eum deponere: flensq; penè rogauit, vt ſi quid ſibi aduerſi accideret, teſtamenti capita perſequeretur: famamq; ſuam & memoriam charam haberet. Atq; hæc cum magna admiratione illius cui hæc cõmiſerat, fecit. Quid enim nõ mira-

retur.

retur, quod in proximā prouinciam exiturus, optima etiam valetudine, vt ſibi & alijs videbatur præditus, ea diceret & faceret, quæ magis ex vita, quàm ex ciuitate migrātis videbantur? Verum ſiue diuinatione de propinqua morte id faciebat, ſiue prudentia quadam, quam caſus poſtea diuinationem videri fecit: eodem die qui profectioni cōſtitutus eſt, in grauem & aſsiduam febrē incidit. ex qua non cōualuit, eo etiam tempore cùm forte abeſſet Polus, cui anteà res ſuas omnes crediderat. Quem tamē per literas ſtatim quo ſtatu eſſet, certiorem fecit, nihil de teſtamento mutans: hoc tantum rogans, vt quemadmodum coràm recepiſſet, curam & quaſi diſſēſationem rerum ſuarum acciperet, mortuóq; memoriam piè & inuiolatè præſtaret. Quo nuntio triſtiſsimo ille perculſus, quòd eum vnicè amaret, ſubitò accurrit: multaq; cum in ſpem vitæ diceret, eadem etiam medici pollicerentur, nunquam ab eo deduci potuit. quin ea febris finē ſibi vitæ eſſet allatura. Id quod paucos poſt dies euenit. Antequam verò diſcederet, in diui Franciſci familiam voluit adoptari, eiusq; habitu poſt mortem & templo ſepeliri. Obijt xxxiiij. ætatis anno. iij. Septēbris. Anno ſalutis generis humani M.D.XXII. atque Patauij in Franciſci, quemadmodum ipſe præſcripſit, ſepultus.

CHRI

CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOLARVM

*

LIBER I.

CHRISTOPHORVS Longolius, Petro Bembo S. D.

SI QVID *hic eſſet quod te ſcire oportere exiſtimarem, ſcriberem id ad te cùm libenter, tum pluribus etiam verbis diligenter. Nunc omnino eiuſmodi res noſtræ ſunt, vt quid tibi literis meis ſignificẽ, planè non habeam: niſi illud fortaſſe ſcire vis, me ad hunc diem tuas ad tuos literas expectaſſe, vt Patauium proficiſcens, aliquod ſcribendi argumentum inde colligerem. Scripturus eras tu quidem Piſauro, ſed nihil adhuc illinc. Suſpicabantur tui, cum has exararem, te iam Florentiam, ſiquidem Piſauro eò recta profectus eſſes, veniſſe. ego autem has tibi Ro-*

ma redditum iri: Vbi velim negocia noſtra ita cures, vt & ego ſemper ſperaui, & tu te facturum mihi recepiſti. Illud vero an epiſtola magnopere dignum ſit, haud equidem ſcio, non mihi tamen prætereundum exiſtimaui: vt cognoſcas quo par ſit animo, tuos abſentiam tuam tuliſſe, cum vel beſtias diſceſſum tuum luxiſſe videamus. Scito Bembinum delicias tuas deſiderio tui penè extinctum eſſe: certè dolorem quem ex abſentia tua contraxerat, nobis & bidui inedia & perpetuo vlulatu diſcurſuque teſtatus eſt. Nunc etſi ad cibum, nondum tamen ad priſtinam illam ſuam alacritatem rediit: mœſtus ſemper, & ad contrectationes blanditiáſque noſtras ſubringens. Tu cura vt valeas: id enim & nos facimus: ac ſimul operam dabimus, vt ne fruſtra conſuetudine, conuictu, conſiliis tuis vſi tanquam videri poſſimus. Saluta mihi communes amicos: ſimul & illud quidnam ſit fac intelligam, quod me nõnulli cõminiſcuntur de ingeniis Romanorum interrogatum reſpondiſſe, non crepare montes. Ego enim cùm id nunquam dixi, tum vero cuiuſmodi ſit, intelligere non poſſum. Venetiis proficiſcens, XIIII. Calend. Maij.

CHRISTOPH. LONG.
Petro Bembo S. 2

Literas quas ad me Florentia quinto Calend. Maij. dediſti, accepi ad IX. Calend.

Iun

ſum. per breueis quidem illas, ſed mihi ſanè longè gratiſsimas, vt cui nihil optatius eſſet, quàm de te, ex te ipſo aliquid tandem audire. Nam poſtquam Venetijs profectus eras, nihil neque à te, neq; de te in eum diem, ad me quidem perlatum fuerat: neque vero poteram tibi à nauigationis itinerúmque difficultatibus non magnopere timere, qui te cum tuapte natura haud ita firmum, tum ex vetere illo & difficillimo morbo nondum planè cõfirmatum, in viam dediſſes. Leuaſti itaque tu me magna ſollicitudine: liberauit autem planè nuper frater tuus. qui te pridie Nonas Mai. Romam ſalvum incolumemq; veniſſe affirmaret. quo planè nuncio tanta ſum lætitia affectus, quanta par eſt eum qui te cum naſcentis laudis ſuæ fautorem agnoſcit, tum ſperatæ dignitatis autorem fore confidit. Profectò niſi me fideliſsimis atque amantiſsimus conſilijs tuis iuuiſſes (vt cætera diſsimulentur, quæ & maxima & innumerabilia ſunt, tua erga me merita) non modo is adhuc eſſem, qui anno ſuperiore eram, hoc eſt, via, qua ad bene dicendi facultatem iter eſt, omnino ignarus, ſed ne ſperare quidem vllum mihi ſtudiorum meorum fructum vnquam licuiſſet. Quod eo quidem pertinet, vt intelligas quàm mihi ſalus tua curæ vel ſit, vel eſſe debeat: ſi modo is ego ſum, vt plane ſum qui officium meum, memoremq; erga beneme-

ritos animum libenter præſtare ſoleam. Bolduccus hic aliquot dies nobiſcum fuit: nobiſcum inquam, quod domum noſtram familiariter ventitarit, horasq́ꝫ multas ſuauiſſimo ſermone nobiſcum conſumere ſit ſolitus. Is cum me ſæpe inuitatum, ad cœnam aliquando tandem perduxiſſet, lauteq́ꝫ ac ſplendide accepiſſet, ad extremum à me etiam contendit, vt opibus ſuis perinde atqꝫ tuis vterer. Quod quidem vtrum ille ſua ſponte, an commendatione tua adductus fecerit, haud equidem ſcio, vtrocunqꝫ modo ſiue etiam vtraque de cauſa id fecerit, velim per literas tuas intelligat, cùm humanitatem, ſtudium, officiúmque illud ſuum mihi fuiſſe gratiſſimum, tum vero me ſibi mirificas apud te gratias egiſſe. Pari liberalitate nobis & animum & domum ſuam patefecit Nauagerius noſter, qui nos etiam Calend. Mai. viſit, atque vt te ſuis verbis ſalutarem magnopere rogauit. Proſequebatur Lud. Foſcarum Vincentiam, eodem itinere Veronam profecturus, atque ſi res ferret, illic cum Turrianis fratribus æſtatem conſumpturus. Ego vero cum ad Idus Mai. Venetias nauigaſſem, etſi Octauiani Grimoaldi hoſpitio ſum vſus, fui tamen domi tua, atque apud te eſſe, vt volumus, id eſt, rectiſſime omnia, cognoui: de quo, etſi tuorum literis, multorúmque nuncijs crebro ſis certior, putaui tamen mearum eſſe partium

tium ea de re aliquid ad te ſcribere. Dedi ad te epiſtolam Venetijs proficiſcens, ſub id ferè tẽpus cum tu Florentiam aut iam aduentaras, aut certe appropinquabas. ea tibi reddita fuerit nec ne, ſi ad me ſcripſeris, gratiſsimum mihi quidem feceris. Nos hic interea dabimus operam: Vt quam de nobis prædicatione tua concitaſti expectationem, hanc ſuſtinere ac tueri aliquando poſsimus. Vale. Patauij quarto Calend. Iunij.

CHRISTÒPH. LONG.
Petro Bembo S. 3

P*Erpaucis diebus ad eas quas tu ad me Florentia literas dediſti, reſcripſeram cum mihi alteræ abs te Roma ſunt redditæ, in quibus me illa mirifice delectarunt, cùm quæ in eandem quidem cum ſuperioribus rationem, ſed multo me hercule ſubtilius, luculentiúſque ſcripta erant, tum quæ de amica Pont. Maximi erga me Voluntate ſignificabas. Illud Vero mihi tam gratum fuit quàm minime expectatum, quòd eum meis Verbis Veneratus eſſes. Nam cum ad ipſum nihil omnino literarum dare ſim auſus, ne ſummas eius occupationes interpellarem, cuperem autem me illi & gratum & memorem probare, nec qua id ratione aſſequerer mihi in mentem Veniſſet. reperiſti tu Viam, imò Vero confeciſti ipſe per te ex ſententia mea negocium, cum nihil facile*

minus ſperarem, aut omnino iam cogitarem. Sed hoc planè tuum eſt mi Bembe, non ita denique amicorum rationibus conſulere ſi admoneare, ſed omneis eorum cogitationes officijs tuis prauenire atque ſuperare. Nam Vt etiam pecunia ex Principis fiſco mihi prarogaretur, curaſti. Quod quidem ipſum ſanè ſum admiratus. neque tamen ex ea quam tu fortaſſe ſuſpicaris, parte, quòd nihil huiuſmodi poſtularam, Vel etiam ſperaram: ſed quia non horum eſt neque temporum, neque morum, as alienum ad diem diſſoluere, nedum gratuitam penſionum pecuniam praſentare. Pari te diligentia in ijs Vſurum eſſe confido, qua tibi de me cum Ioan. Pino Regis Franci legato ſunt communicanda. Aderit ipſe Vltro: ita enim pollicitus eſt. Incumbite (quaſo) in eam rem, atque inter Vos commentemini, qua ratione fortunam noſtram ſubleuare, & pontificijs me beneficijs ornare poſsitis. Ego enim ab omni alia cogitatione auerſus, curas ſtudia, ſenſus denique omneis meos, ad excolendum ijs literis animum te autore traduxi: in quibus ſi quicquam profecero, potero tua quidem ſententia, amicorum meorum non ſuſtinere modo gratiam ac tueri officia, Verumetiam remunerare atque illuſtrare beneficia: Vt ego Vero ſuſpicor, mihi deſperandum nō erit, quin eis tā magno ſim aliquando ornamento, quàm

ipſo

ipſi mihi præſidio extiterint. Aduentu tuo refrigeratos eſſe iniquos leuiſſimorum hominum de me ſermones, ex literis M. Antonij Michaëlis nuper intellexeram: ex tuis hoc amplius cognoui, cuiuſmodi id tandem eſſet, quod in me contuliſſent. Res planè ridicula: ſed meo tamen neſcio quo fato, ex iſtiuſmodi nugis tragœdia nobis iſtic quotidie excitantur. Atqui non tam ſum miratus homines ſui ſimilimos iſta aduerſum me cōminiſci, quàm viros quoſdam plurimis atque optimis artibus ornatos, huiuſmodi rumoribus commoueri atque in me etiam incitari. Sedaſti tu quidem hoſce rumores tuo aduentu: ſed quid mi Bembe, ſi tu aut Romam omnino non veniſſes, aut mihi parum amicus eſſes? Iterum, opinor, in inuidiam criménque abſens vocarer, vel indicta potius cauſa innocens damnarer. Scis enim, quod etiam apud te frequenter ſum queſtus, fortunam cum natura mea pugnare. huiuſmodi ratione fieri, ne mihi quicquam aſſumam, quod iure poſſit, non dico boni, ſed omnino maleuolentiſſimi cuiuſquam animum offendere. Illius iniquitate mihi vſu venire, vt vita mea curſus, aut potius hic noſter ſeceſſus, quamlibet obſcurus, minime certe inuidioſus, maleuolorum obtrectationibus facile pateat. Si Italos odiſſem, nunquam profectò relicta domo, patria, breuiter meis omnibus reclamātibus huc pro-

peraſſem, ut cum Italis in Italia uiuerem. Si de Romanis male ſentirem; cuius Romanus neque eſſe, neque numerari ſanè uellem. Verum quoniam de his cum eodem Michaele, eo conſilio nuper pluribus egi, ut eos meis uerbis doceret atque commonefaceret, ne ſibi quicquam de me temere perſuaderi ſinerent: ſuperſedeo ea ad te ſcribere, quæ mihi nunc in mentem ueniunt: ueniunt autem mihi crede, quamplurima: ſed nolo tibi moleſtus eſſe. Tantum te rogo, ut tuam in me defendendo conſuetudinem mihi praſtes: & iſtorum criminibus, quod te facturum oſtendis faciſque, reſiſtas. Quod de P. Paccio ſcribis, id huiuſmodi eſt, ut ea quidem uir ille noſtri amantiſſimus dixerit, quæ & ipſe fortaſſe cupiat, & ex re mea fore exiſtimet, non autem quid ego ſtatutum habeam. Statui autem (quod quidem inter nos liceat dicere) niſi quid aliud accidat, hoc ipſo, cuius mihi poteſtatem Pontifex Maximus liberalitate ſua facit, ocio perfrui: idque uel ut tibi morem geram, qui hoc noſtrum inſtitutum mihi probare ſemper es uiſus, uel quia ipſe ego huius conſilij maiorem in dies ſingulos, neſcio an fructum, uoluptatem certe percipio. Hinc porro in eum ſermonē Paccium ueniſſe opinor, quod Mariano Caſtellano, ut Florentinorum conditiones acciperem, à me uehementer etiam atque etiam

petente

petenti, per literas reſponderim, nihil me tanta de re prius eſſe conſtituturum, quàm affineis meos conſuluiſſem: ijs autem rem aut non probantibus, aut etiam extrahentibus, me meo conſilio eſſe vſurum, atque in amicorum, quos mihi in Italia comparaſſem, poteſtate futurum. Fac (amabo te) legas quam in hanc ſententiam ad Larianum epiſtolam ſcripſi: nam ad Paccium ea de re ne verbum quidem, quando nec ipſe ad me quicquam. Videbis me eo commento vſum, vt ſi præciſe & ſine vlla exceptione quod petebatur negaſſem, ne illi me aut ſuperbum, aut inſanum ſuſpicarentur, qui tanta, eáque amicorum opera mihi confecta, commoda præmiáque inſolenter repudiarem. Ad collegam tuum omnino ſcripſiſſem, niſi conſtans fama tam multos dies hic percrebuiſſet, eum ſimul atque tu Romam veniſſes, in prouinciam ſuam eſſe profectum: cuius rei (ſi tibi non eſt moleſtum) velim me facias certiorem. Vale. Patauij, IIII. Idus Iunij.

CHRISTOPH. LONG.
Petro Bembo S. 4

EPiſtola argumentum ad te nullum prorſus haberem, niſi id mihi Flauius noſter ſuis ad me literis præbuiſſet. Ad hunc enim cum mihi omnino literæ dandæ eſſent, quæ quidem niſi per te commode ei reddi non poſ-

ſunt,effecit ſanè, Vt ad te etiam eo nomine ſcriberem. Leue(inquies)argumentum. At quod ad te ſcribam aliud plane non habeo: niſi tu fortaſſe illud ſcire Vis, Vt certe Vis, quomodo hic aſtatem traducamus. Traducimus autem, mihi crede.ſumma cum Voluptate. Diem enim ita conſumo, Vt matutinas horas Latinis lectiunculis tribuam. prandium trigonali pila condiam,non quo noſtra eiuſcemodi ſint menſa, Vt hoc condimenti genere magnopere indigeant:nec enim multum Vel ſplendore, Vel lautitia Veſtris cedunt:ſed ita Valetudini noſtra libenter conſulimus. A cibo tempus Varijs ſermonibus ducitur: poſtea dum ſe calor frangat, leuiter meridiamur. quietem Graca, & interiores litera excipiunt. Sub has eadem pila in cœnam exercemur, ſed meo ſanè arbitratu,id eſt Vſque ad ruborem,citra ſudorem. Reliquas diei partes Veſpertina ambulatiuncula,eaq; aut propter aquarum decurſus aliquos, aut ſpatioſis in campis lenta ſibi Vendicant. Quòd ſi quando maiore aſtus Vi Vrgemur, admiſſis equis concurſantes Vrbem obimus. Simul ac me in cubiculum abdidi, reputo ſtatim mecum, quid eo die memoria, quid ſcientia comprehenderim. Noctem à prima ſtatim Vigilia ſomno damus: cum ſole ad eaſdem Vices ſacris operatur edimus. Quid quaris

ris

rū? Vtor literis, quantum ſemper optaui: fruor ocio, quantum nunquam ſperaui. An vero tanta felicitatis fructus mihi conſtet, niſi forte tam felix ocium ocij eſt fructus vberrimus. ſenties aliquando fortaſſe tu, quem mihi fortuna dedit ſtudiorum meorum adiutorem, tanti ocij autorem, multarum & clariſſimarum amicitiarum conciliatorem, denique non inimicorum modo meorum vltorem, ſed etiam obtrectatorum vindicem. Vt alteros tandem ſtultitia ſua puderet, intemperantia ſua alteros pœniteret. Laſciue nimis, at certe aliter gaudium meum gaudere non poſſis, nec ego tibi laſciuientis ocij ſpecimen præbere. Quòd ſi tu, ne hac quidem in ratione, exultans dicendi genus admittis, ecce ad illud veſtrum me confero. Vellem de me ad Marinum Georgium diligentiſſime ſcriberes, hoc eſt, me de meliore nota ei commendares. Nec enim neſcis cum quanta hic in ſolitudine verſer, qui cum pedem domo extuli, quem de facie, aut omnino nomine norim offendo neminem: tum quàm mihi propemodum opus ſit, non modo expediat, vt in alicuius principis autoritatis viri vel fide vel amicitia eſſe exiſtimer. Quanquam enim, vt dixi à domeſticis nemo planè eſt quem ego hic cognitum habeam, eorum tamen qui ſtudioſi numerãtur, nemo ferè eſt qui

me

me non merit. Certè vix vnquam prodeo, quin his mihi vocibus paſſim aures perſonent: Hiccine Gallus ille qui in Italiam? qui Romæ? quem populus Romanus? noſti cætera. Diſſiparunt enim egregij noſtri illi ciues, me ideo Patauij eſſe, quòd mihi Romæ tuto eſſe non liceat. Eo ſane fit, vt tanta gladiorum licentia mihi interdum timeam, præſertim cum aduerſus hominem Gallum, non minor ſolum ſit facinoris verecundia, ſed in mea iniuria popularis etiam quædam laus propoſita eſſe videatur. Equidem cum hæc mihi in mentem veniunt, euolare hinc nonnunquam cupio. atque Lerinam cogito, vbi ſicariorum neque facta videam, neque nomen audiam: nõ qui ſalutem literis vnquã ſim dicturus (ingraueſcit enim in dies ſtudium) ſed vt illic ocio non tantum honeſto & magno, verumetiam tuto perfrui nobis liceat. Eſt mihi quidem Marinus Georgius Venetijs proficiſcenti, & ſtudium & autoritatem ſuam pollicitus: verum ruſtico neſcio quo pudore deterritus, nondum animum inducere potui, vt me ei offerrem. Itaque mihi gratiſſimum feceris, difficile eſt loqui, & ſis quid velim ſed dicatur ſanè. Vellem is me ſua quaſi ſponte accerſiret, atque omnem in partem tuendum ſuſciperet. Quod quidem ille vnus omnium maximè poteſt, vel iure & poteſtate, quam hic habet maximam:

mam: vel conſilio & autoritate, qua vbique valet plurimum. Collega tuus iſtic adhuc ſit, an vero (quod quidem audio) in prouinciam ſuam profectus, nondum me certiorem feciſti: cum id tamen vt faceres, à te ſuperioribus literis petierim, & me ſcire mea plurimum interſit. Non enim ignoras, & quanti hominem faciam, & quàm de me idem bene ſit meritus. Vereor equidem ne à me literarum officium requirat: quod quidem ille pro multis ſuis in nos beneficijs, ſtudiorumq́ue & cauſæ coniunctione deſiderare nō debet. An idem tibi in rationibus noſtris cum Io. Pino regis Franci legato complectēdus ſit, tui eſt conſilij. Ego enim etſi eum omnia mea cauſa & velle & cupere exploratum habeo, quid tamē hac in re valeat, neſcio. Sed nec certè quid vos in eo genere præſtare poſſitis, ipſe ſatis intelligo, earum rerum tam planè rudis, & in huiuſmodi actionum vſu minus quàm nunc quidem velim, olim verſatus. Itaque quid efficere poſſitis, veſtrū eſt ſtatuere: Meum, quodcunque mea intereſſe duxeritis, vos valde rogare: tametſi id fortè nec humanitas tua expectat, nec facile amicitia noſtra patitur. ſimul enim atque me in fidem amicitiamq́ue tuā contuli, me non tuendum modò ſed augendum etiam atque ornandum ſuſcepiſti. Atqui illud etiam atq́ue etiam videte ne cum Principem habeatis

habeatis cum omnium liberaliſsimũ, tum vobis amiciſsimum, tum eum etiam qui me beneficijs ſuis ornatum velit, ipſi vos mihi defuiſſe videamini. Extremũ illud eſt, vt omniũ quas ad te dedi, epiſtolarum exempla mihi cures. Rides? Atqui tam ambitioſus non ſum vt eas in honorem adducere, aut in volumina referre velim: ſed me hercule ſcire cupio, tum quid adhuc ad te ſcripſi, tum ecquid meas ad te literas omneis acceperis. Scripſi autem penè ſemper non tam quicquid in mentem, quàm quicquid in buccã veniſſet. Quod quidem ipſum vſu mihi etiam nunc venit: nam cum initio nihil omnino haberem quod ad te ſcriberem, dum tecũ libenter quaſi colloquor, iuſtum penè volumen meorum ad te ſermonum conſcripſi. Vale, Patauij pridie Idus Iulij.

CHRISTOPH. LONG.
Petro Bembo S. 5

GRatiſsimæ mihi fuerunt tuæ literæ, quas Patauij paucorum dierũ interuallo accepi eodem exemplo binas. Vidi enim quantopere laborares, vt epiſtolæ ad nos perferrentur tuæ. niſi me fortaſſo ſchedula illa tua adductum eſſe putas, vt credam, eo te conſilio vſum, quod ſuperiorum genus tibi non ſatis probaretur. Mihi vero ita placuerant, vt ex poſterioribus nihil nouæ voluptatis perciperẽ,

niſi

niſi quod me quaſi repetita ipſarum lectio haud mediocri voluptate afficiebat: ſed hanc ex cæteris quoq; tuis literis communiter capio. Omnes enim per otium accuratius relegere ſoleo, ductus nimirum incredibili quadam earum ſuauitate atq; elegantia: quibus quã me afficias non dici poteſt. Nam quòd ſtudiorum meorum rationes ita probas, vt nos etiã de ijs vehementer laudare videaris, agnoſco humanitatẽ tuam. Ego enim, quod ad te proxime quoq; ſcripſi, ne fundamenta quidem tanti operis mihi adhuc iecisſe videor: ne dum in abſoluenda adornandaq́; ſuperficie occupatus adhuc non ſum. quanquã in eo potius laboro, vt veteris eloquentiæ ſpeciem aliquam aut colorem ſcriptis noſtris illinam, quàm vt neruos eius ac vires in lucem reuocem, præſertim hoc tempore nulla republica ſublato prorſus Latine loquendi vſu. De aduẽtu tuo quod ſcribis, eſt ille quidẽ in expectatione hic maxima, neq; mihi ſanè non gratisſimus futurus: vt qui me ſperem te adiutore id poſſe cõſequi, quod te autore velle cœpi. Sed vide per fortunas, num quid prius quàm iſtinc te cõmoueas de nobis confici posſit. Nam cum profectione tua omnẽ ſpem meam debilitari, vel potius cõcidere video: niſi quid in Io. Pino & collegæ tuo præſidij fore ſperas, quod ego planè deſperaui. nam ad alterum ea de re nũquam

ne ver

ne verbum quidem: alter quàm parum efficax ſit, vides. Quod mihi de Nicolai Leonici familiaritate gratularis, potes id tu quidem iure optimo, quippe qui ſuauiſsima hominis doctiſsimi & me hercule optimi conſuetudine perfruar. is tibi ſalutem per me referri voluit plurimam. Tu contra velim meis verbis ſaluere iubeas Alexandrum Capellam: quem nō modo ex tuis literis, verum etiam ex Leonici noſtri collocutionibus cùm noſtri eſſe ſtudioſum cognoui, tum etiam virum bonum & eruditum, & multo tractandæ Reip. vſu ſenatui Veneto apprimè gratū. atq; hoc ipſum à me tibi ſcriptum eſſe, in ſermone, ſiquando res feret, ei ſignificabis. Quid etiam? Quid, apud te eſt vt volumus, & migrationem hāc tibi tuisq; bene & feliciter euenire optamus. Erogauit Flauius noſter in puerū meū octingentos puto ſeſtertios nummos: eos ſi à te petierit, cures ei quàm primum meo nomine. Nec enim ignoras vnde eas ad Calend. Mai. poſsis auferre. Vale, Venetijs. Calend. April.

CHRISTOPH. LONG.
Flauio. S. 6

P*Ergratum mihi feciſti, quod puerū meum viatico proſecutus es: neq; id vero ipſum tam pueri cauſa, quem planè perditum video, & iſtic adhuc eſſe audio, ad me quidem nondum venit: quam quod in eo quanti me facer*

faceres, re oſtendiſti. Verum ne impenſam cum opera perdidiſſe rideamur, age, amabo te, cum Fr. Beraldo, Vt pecuniam, qua puerum ab eo ſpoliatum ſcribis, tibi reſtituat. Sin erit in eo durior, ſcis Vnde tibi ad calend. Maias octingentos ſeſtertios nummos auferre poßis. Tum enim decreta nobis à Pont. Maximo in annuum ſumptum pecuniæ dies cedit, in qua exigenda, quod adhuc feciſti, Velim mihi operā naues tuam. Quod ſi longius tibi interuallum Videbitur, interim per me quidem Verſuram facias licet: niſi quis modo iſtic eſt, Vt certe Bembus noſter eſt, à quo mea fide gratuito poßis ſumere: numeraturum confido, ſpero quidem certe. Extremum illud eſt, Vt has literas non epiſtolæ, ſed nominis cautionisq; Vim habere exiſtimes. Nam quo ſit erga nos animo puer, non Valde laboro. Multum quidem in eo tuendo diligentiæ poſitum Volui. non quo is de me ita eſſet meritus: (ſcis enim in iſtam Vel ætatem Vel fortunam nihil huiuſmodi cadere) ſed ne cum à Ioan. Pino, cui illum diligentißime commendatum tradideram, me inſciente diſceßiſſet perditiſſimorum hominum cōſuetudine exceptus iſtic corrumperetur. Id enim ad fidem exiſtimationemq; meam pertinere ſum arbitratus. Sed quando officio noſtro perfuncti ſumus operaq; à nobis Vt ne quid ei deeſſet, data eſt:

C. long. d abijcia

abijciamus iam omnem de eo curam atq; ſollicitudinē, quicquid peccauit, ſibi peccarit: me quidem neque laudatore, neque adiutore poſthac vtetur. Vale, Venetijs, Calend. Aprilis.

CHRIST. LONG. HIEronymo Fondulo S. 7

Legi epiſtolam tuam ſtomachi & querelarum plenam, in qua multis mecū verbis expoſtulas, quod ita ceſſationem meam puſilla quadam epiſtola apud te purgarim, vt ſcriptorū tuorum rationi interea non pepercerim. In extremo autem me ad literas tuas reijcis, iubésque vt pro ingenio meo iudicem, ecquid in illas præter inaneis voces & ieiunia quædam verba conieciſſes. Ego vero mi Fondule, nihil vnquam huiuſmodi me neque ad te ſcribere, neq; in epiſtolis tuis notare memini. genus earum ſemper probaui. pure enim loquebantur: officij, diligētia, humanitatis plena. vt mihi nunc quidem mirum ſit, tibi homini non inepto, in mentem veniſſe ſuſpicari, idcirco me tibi rarius ſcribere, quod literas tuas quibus reſponderē indignas exiſtimem. Ipſe de te quam tu bene ſentias, neſcio: me quidem parum noſti, qui te à me contemptū putas. At enim dixi literas tuas nullam mihi ſcribendi materiam attuliſſe. hoc ipſum illud

eſt ſcil

eſt ſcilicet, quod tibi ſtomachũ fecit, quod tantum bilis commouit. Equidem cum ad ſingulas tuas epiſtolas cuperem, ſed vel neceſſe non eſſet, vel quid reſponderem non ſatis occurreret, deſideraui nonnunquam in eis pleniorem reſcribendi ſententiam. ſed quæ tandem tua in eo culpa? non illa profectò magis quàm mea, qui me argumenti penuria excuſarim, præſertim cum tu me negligentiæ tam grauiter accuſares: Non audeo equidem tibi homini occupatiſſimo oneris quicquam imponere: ſed ſi quid puſilla illa mea & veteri epiſtola commiſi, diligentius attendes, videbis nihil cauſæ fuiſſe, cur tu verba mea durius quã vel animi mei ſimplicitas, vel naturæ tuæ moderatio poſtularet, interpretarere. Quod ſi eorũ quæ tũ tibi miſi non ſum planè oblitus; culpam profectò omnem literarum mearũm ſilentij in me unum contuli, tantum à te petij; vt ſi crebriores à me vel vberiores etiam velles elicere, ipſe tu mihi iſtinc aliquod ſcribendi argumentum ſuppeditares. In quo ſi tam grauiter, quàm quidem literæ tuæ oſtendunt offendi, quid iam mihi faciundùm ſit, non ſanè habeo. Taceam? at eo tu me nomine accuſas. Excuſem? at tu non modo excuſationem meam non accipis, ſed de eo ipſo peracute quereris, quòd me purgem. Expoſtulationi tuæ reſpondeam? at vereor, ne ſit [illegible]-
[illegible]

ne mea offendare, qui tam facile indigneris, morem tibi ſtatim non eſſe geſtum. Omnino ignoſci mihi abs te, vel in aliena culpa, peterem, niſi id ſuperiorib. literis fruſtra tentaſſem. Sic igitur puto faciam, obiurgabo ipſe te, qui prudentiæ humanitatisq; tuæ oblitus, hominis tibi amiciſſimi animum, ſine cauſa abs te alienes. Sed profecto non alienabis. Qua enim ſum in tuendis amicitijs conſtantia, querelas iſtas, vel delicias potius tuas omneis humaniter feram. nec ſi tu iniquior in me eſſe perges, ego te amare ea re deſinam: tantum vicem meam dolebo, qui cum te tanti faciam, quanti haud ſcio an neminem, iniuſtiorem te tamen, quàm mea erga te beneuolentia mereatur, experiar. Dolenter hæc ad te magis (mihi crede) quàm iracunde ſcribebam, cum ecce tibi à P. Bembo literæ quibus ille me de tuis in nos ſtudijs & officijs certiorem faceret, ſimul & iuberet, vt gratias tibi per literas agerem, quod Io. Pinum, currentem quidem ſua ſponte illum, ſed tuo etiã iudicio tribuentem plurimum, ad complectendam cauſam noſtram incitaſſes. Itaq; mihi grauiſſimum fuiſſe officium tuum ſcito: idq; vt ipſe tu aliquando intelligas, operam me daturum tibi velim perſuadeas. Sed non faciam, vt tibi gratias ambitioſius egiſſe hic videar, quàm vel tua expectet humanitas,

vel

Vel patiatur amicitia. Tantum habeto, præſtaturum me tibi re melius, quàm verbis memoriam beneuolentiamq́ quam debeo. Impertire meis verbis multum ſalutis, & Quin. Lælio Maximo, & Fur. Mario Molſæ noſtro. Vale. Patauij XII. Cal. Mai. Obſignata iam diu epiſtola, atq; propter repentinum Bembi noſtri ab vrbe diſceſſum, multos à me dies in manibus habita, accepi literas tuas, ad IIII. Calen. Mai. Romæ datas, in quibus quod ſcribis de P. Priſſoo noſtro eiusq́ aduētu mirifice delectatum eſſe, equidem valde gaudeo. Quod autē eum cōmunibus etiam amicis notū commendatumq́ eſſe voluiſti, in eo verò mihi tam gratum feciſti, quàm quòd eſt gratiſſimum. Spero enim & mihi tanti viri amicitiam iſtic amplam fore: & illi ipſi veteres noſtras neceſſitudines, quæ à nobis tantopere celebrarētur, viſum iri non indignas. Tu quas ad eum Hieronymumq́ Alexandrinum do literas ſtatim reddendas curabis: ſimul & Pino noſtro de iſta fortuna dignitatisq́ acceſſione meis verbis gratulabere. Iterum Vale.

CHRISTOPH. LONG.

Petro Priſſoo. S. 8

QVantæ me lætitia affecerint Fonduli noſtri literæ quibus ille te Romam ſaluum veniſſe ſcriberet, tu pro veteri noſtra & arctiſſima ſtudiorum animorūq́ coniunctione exi-

ſtimare poteſt. Ego certe quicquid ex iucundiſſima alterius conſuetudine fructus percipi poßit, id omne ex humanitate tua & olim percepi, & me poſthac etiam laturum confido. Sed tu tamẽ mi Briſſoe, huic tanto meo gaudio nonnihil moleſtiæ aſperſiſti, qui ut aliorum prius literis, quàm tuis de aduentu tuo fierem certior, commiſeris. Sed hoc ipſum tu faciliime apud me purgaris, ſi quid ad nos ſtatim ſcripſeris, aut ipſe potius ueneris: Venies enim mihi crede, expectatus. Exponerem hic tibi omnem ſtatus noſtri rationem, niſi te ex Fonduli, Bembiq́ noſtri ſermone ea iã omnia cognoſcere exiſtimarem. De tuis autem rebus, quando nihil niſi ex tuis literis certo ſcire poſſum, uelim tu de ijs ad me diligẽter accurateq́ perſcribas. Vale. Patauij. Cal. Mai.

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 9

C*Vm ante diem tertium Idus April. Patauium uenißem, reddita mihi ſunt à te literæ. & cũ ijs etiã exẽpla tuũ codicillorũ, quibus Pont. Max. Francorum Regi commendaſſet, tum epiſtola quam tu de me ad Gul. Budæum ſcripſiſſes. Quid quæris? non potuit animus quidem agi, nec ſtudioſius quàm actum eſt ad te de commodis noſtris: ſed quo*

me tu

me tamen in genere Pont. Max. liberalitate cumulatū potius, quàm ipſius commendatione ab alio quouis auctū iri ſperabā. Nā in gallicis rebus, quas ego non tam benignas nobis, quàm copioſas eſſe perſpexeram, nihil vnquam ſane ſpei ponendū exiſtimaui. Noui eius gētis principū ingenia cū literis noſtris ſua ſponte parum tribuētia: tum verò mihi, quod relicta Gallia in Italiam me contulerim, parum amica. Vt multo ſcilicet maiorem ex tuis erga me officijs voluptatem capiam, quàm ex illius regis liberalitate fructum expectem: præſertim cū ad eam quam tu mihi oſtendis ſpem, parati nihil omnino videam. Equidem cū de complectendo in cauſa noſtra Io. Pino tecum commentabar, id videlicet agebam, vt ab vtroque veſtrum res noſtra Pont. Maximo, non Regi Gallorum commendarentur. Neq; enim neſciebam quàm ſtultum eſſet, me quicquam ab eo petere, cui operam ipſe denegaſſem meam. Quid enim nobis ab ipſo Rege? quid ab eius tandem matre, ad quam etiam de me Pont. Maximum ſcripſiſſe ais? Quid ab ijs ipſis inquam nobis ſpei iniectum non eſt, quo nos vel apud ſe, vel etiam in Gallia retinerent? Atqui pluris apud me fuit, & eſt me hercule etiā nunc, earum ad quas tu me vocabas literarum conſcientia, quam omnis Regia illa fortuna. Hoc tibi (credo) notū non erat mi Bem-

be cum pontificios codicillos in eam ſententiam conſcribendos curares. Sed ea quidem mea certe culpa eſt, qui rem tibi non planè aperuerim. Tu vero nimio quodam noſtri ſtudio atque amore prolapſus es, qui me ſaltem de ratione codicillorum non conſulueris. Potuiſſes enim, in mea præſertim cauſa, nonnihil à me commoneri, quo artificio (neque enim ſatis erat pugnare conſilio) ea in re nobis vtendum eſſet. Nunc commiſſum eſt, non modo vt tu in eo fruſtra elaboraſſe, ſed vt ego iis ad quos miſſi ſunt, & ridiculus, & impudens videri poſſim. Equidem mihi eorum ſermones audire iam videor, qui me hoc biennio nihil niſi Pont. Maximi beneficentiam, nihil niſi P. Bembi in me ſtudia magnifice iactantem audiſſent. Sed quando nihil nobis in eo iam integrum eſt (mutari enim res non poteſt:) da (quæſo) operam, vt quod eſt, quódque tuis ad Budæum literis veriſſime cõmiſiſti, hæc me inſciente omnia à vobis confecta eſſe intelligant: ſic enim profecto, & illuſtriorem induſtriæ tuæ laudem retuleris, quaſi quæ tu ad me pertinere arbitrare, ea tua ſponte feceris: & me magna ſanè moleſtia liberaris, qui non mediocriter vereor, ne illi me iã conciliorũ meorum turpiter pœnitere exiſtiment, cum ego me in hac inſtituta vita ratione magis magiſque in dies ſingulos confirmem. Vel etiam ob

le

leſtem. Atque in his cũ mihi ſint omnia mi Bembe chariſsime, ea tu & pro tua prudentia conſiderabis, & in eam partem quam ſumma vel mea in te obſeruantia, vel tua erga me beneuolentia poſtulat, accipies. Scripſi ex tuis literis ad Hieronymũ Fondulum, idem facturus ad Io Pinum, & Albertum Carporũ principẽ, cum tibi maturum videbitur: iubes enim nequid feſtinem. Nam quod etiam ad Antoniũ Pratianum dandas nobis eſſe cenſes literas, poſsit ille quidem magno rebus noſtris eſſe adiumento: & eſt, vt quidem audio, non alieno à nobis animo: probaſſe enim illi conſilium noſtrum aliquando tandem videmur, ſed vide num ex dignitate noſtra ſit, me ſupplicẽ ad eũ nũc accedere, cuius ego neq; volũtati neq; promiſsis ceſſerim, cũ ipſe mihi de ſe prolixe polliceretur omnia ſi depoſito profectionis conſilio mallẽ apud meos in Gallia, quã in Italia vobiſcũ viuere ſed nihil certe mihi cõſuetudine veſtra, literiſq; veſtris fuit antiquius, quibus omne meũ ita do ſtudiũ, vt mihi in mentẽ nihil veniat minꝰ, quã cuiquã horũ inuidere. Sed quid eſt quod in extrema tua epiſtola facis obſcure? ad eã qua nobis à Pont. Maximo in annuum ſumptum decreta eſt, pecuniam, acceſ-ſurum quiddam. Id cuiuſmodi ſit, aueo ſcire, ſi quidẽ res eſt in manibus, ſin minus, incumbe tamen in eam curam, vt à te non ſtudiorum

modo meorum, ſed etiam fortunarum omnium ornamenta profecta eſſe omnes intelligant. Nec enim eſt quod te primus iſte conatus deterreat, quaſi non ex ſententia noſtra proceſſerit. Nã & ego falli poſſum: eſt enim fortaſſe tam diligens commendatio maximi apud Regem ponderis futura, hoc præſertim tempore, cum is maiorem Pont. Maximi quàm noſtri rationẽ habeat neceſſe eſt: & tu aliã facile nobis viã munieris, qui apud Principem iſtum, pontificiamq; cohortẽ omnes tantum vel gratia vel authoritate polleas, quantũ te iſta doctrinæ, virtute ſplendore virum poſſe atque valere par eſt. Vale. Patauij. XII. Calend. Maij.

CHRISTOPH. LONG.
Petro Bembo S. 10

EA ẽ mihi nunc ad te ſcribendi cauſa eſt, quæ proxime fuit: hoc eſt vt literas, quas iſtic doctis quibus ſcripta ſunt, ſtatim reddendas cures. Neque vero eſt, quod me in eo vel patientia tua vel facilitate abuti exiſtimes: quando id certe non facio, vt aut oneris aliquid tibi imponam, qui id nullo conficere poteſ, aut ea in re opera tua libenter vtar, quæ parum ex dignitate tua eſſe videatur: ſed vt omni tempore tecũ quoquomodo ſim, quando

aliter

aliter conſuetudine tua frui non poſſum. Equidem tum erga te cùm meo amori ſatisfacere, tum etiã officio fungi mihi videor, cum ad te, quocunq; dato vel etiam quaſito argumento, ſcribo, quod quidem in eam te partẽ accepturũ eſſe confido, quam & ſumma tua humanitas, & iam planè confirmata amicitia noſtra poſtulat. In rebus noſtris nihil eſt ſanè noui, niſi quod me ceruicis rigor (τέτανον appellant) aliquot dies exercuit: idque cum paulò ante ex pleniore inteſtino laboraſſem, ſed non tã grauiter, vt à literis omnino abducerer. Sic enim me tuis monitis atque præceptis illarum ſpe, ad laudem vocaſti, vel inflammaſti potius, vt ſi in illis vita mihi ponenda ſit, præclare mecum actũ putem. Omnino in hoc vno ſunt totus, vt neque tu neq; collega tuus quicquam de me cæteris vel temere pollicitis, vel fruſtra recepiſſe videamini. Quod ſi fidem in eo veſtram planè liberare non potuero, ſtudio quidem certe, opera, aſsiduitate ſingulari perficiam, vt nobis fortunam potius inuidiſſe, quàm meum laborem autoritati veſtræ defuiſſe, æqui & iniqui aliquando intelligant. Menſe proximo ſum partim Veronæ, partim Vincentiæ: animi cauſa quidem, ſed nõ ſine libellis noſtris futur⁹. Quare ſi fortè longius internallũ literarũ mearũ fuerit, id ne ſis admirat⁹: Nauageriũ noſtrũ vnà nobiſcum

ven

venturum ſpero. Sed ſi res faret, faciam te ante quam hinc proficiſcar, de tota itineris noſtri ratione certiorem. Vale. Patauij, Calend. Aug.

CHRISTOPH. LONG. Io. Aurelio Augurello S. II

IVcundiſsimæ mihi fuerunt tuæ literæ, idq́; ipſum ſanè multis de cauſis. Primùm quòd tuæ, hoc eſt viri omnium ſententia optimi at q; doctiſsimi: deinde quòd elegantiſsimis numeris, verſibusq́; cõtextæ eſſent: poſtremo quod mirificam quandã tuæ erga me voluntatis ſignificationem habebant. Addo etiam, quod defenſionũ noſtrarum librum in ijs ita laudares, vt me eo plurimum aſſecutum putarem, qui te ſola illius lectione, ad cauſam adiunctum eſſe perſpicerem. Neque vero adhuc cõſtitutum habeo, quid mihi inter hæc ampliſsimum fuiſſe putem. Nam quod tu, qui in hac ſumma virtutis doctrinæq; fama viuas, ad me prior ſcripſeris, eſt id omnino magnum: ſed non eo ſanè maius, quod ſingulare quoddam literarum genus in conſtituenda amicitia noſtra tibi vſurpandum duxeris. Illud autem, in mea præſertim cauſa, quanti? quod nihil veritus iniquorum ſermones, & victoriam nobis tam amice gratulari, & res noſtras graui tuo teſtimonio iudicióque adornare es auſus? Ego vero

mi au

mi Aureli, etſi te ea eſſe intelligo cum natura, vt diſsimulare quicquam nolis, tum fortuna, vt tibi ſimulare neceſſe non ſit, cum tamen ipſe me ab eo longè abeſſe ſentiam, vt tuis etiam nunc laudibus reſpondeam, facile in eam ſententiam adducor, vt me non tam illis tuis verſibus laudare volueris, quàm ad ſuſtinendam illam quã de me excitatam vides expectationem, amanter fideliterque cohortari. Id ſi ita eſt, quod quidem ex ætate tua meáque mihi facile perſuadeo, bene velim de me ſperes. Dabitur enim à nobis opera, vt neque tu quicquam de me falſo prædicaſſe, neque ego tãtam videar opinionem fruſtra concitaſſe. De mutuo meo erga te amore nihil eſt, quod hic ad te pluribꝰ verbis ſcribam. Eſſem enim ijs literis ſtudiiſque, quibus me à pueritia dedi, omnino indignus, & planè inhumanus, niſi tibi in eo non reſponderem modo, ſed etiam cumulate ſatisfacerem: quod etſi quàm difficile ſit video, id me tamen exitu tibi præſtaturum confido. Tu me, vt inſtituiſti, fac diligas, ac valeas. Patauij X I I I I. *Cal. Septemb.*

CHRISTOPH. LONG. Hieron. Alexandrino S. 12

LItera, *quas te ante* X V I. *diem Calen. Ian. ad me dediſſe ſcribis, reddita mihi*

ſunt

*ſunt Venetijs ad VII. Non. April. quod qui-
dem te idcirco in primis ſcire volui, cùm ne tu
longius huius epiſtolæ internallum negligen-
tiæ meæ aßignares, tum vero vt quibus literæ
recte darentur, poſthac videres. Nam quòd ceſ
ſationem tuam tam religioſe excuſas, facis tu
quidem humaniter: ſed nihil ſanè, vt te mihi
purgatum velles opus fuit, qui mihi negligen-
tiæ nomine ſuſpectus nunquam fueras. Nihil
enim eiuſmodi iſtic accidiſſe ſcio, quod à te mi
hi perſcribi mea intereſſet, niſi quod de Ale-
xandri fratris tui obitu ſignificas: ex quo quan
tum doloris traxerim, tu pro mea erga tuos
omnes, ſed illum inprimis, beneuolentia iudi-
care poßis. Verum quid agas? recuſandũ nobis
non eſt, quo minus iure ſuo natura in nos vta
tur. Dederat illi fratrem tibi, ſingulari quidẽ,
& ingenio, & virtute adoleſcentem: ſed ea
profecto lege dederat, vt ſuo arbitratu eum à
nobis repeteret. Repetijt, citius quidem quàm
expectaramus ſed non quàm illi licitum eſſet,
maturius. Feramus igitur quemadmodum
gratos, minimeq́ ſtultos homines decet, placi-
te, quod neque accuſare, neque vitare quiſquã
poteſt. Equidem de Rubemontio homine de
me tam bene merito, mihi tam amico, tuli vt
debui: idem tibi etiam de Volumnio faciundũ
cenſeo, quos vno die ambos nobis ereptos eſſe
ſcribis. Nam de Gonzaga noſtro quod iſtic au*

ditum

ditū, eſt falſum eſt. Philippi cuiuſdā nobiliſſimi adoleſcentis Mantuani miſerabilis cædes, fabulæ locū dedit. Quod de Alcionio & Stathio ſcribis, ego vero cum altero nullas vnquā inimicitias geſſi: cum altero quod ad me quidē attinet, bona fide in gratiam redij. Sciſcitatus ſum autem per literas de Lælio Maximo, cuias is eſſet, qui ſe Romanum diceret, multi negarēt, ego interrogatus de eo, quid reſpōderem nō habebā. Reſcripſit quidem mihi Lælius, Calabrū eum eſſe: quid etiā ipſe de te mihi audiſſe videbar, ſed quoniā nō deſunt, qui in diſceptationē id ad huc reuocēt, tu me velim, ſi quid exploratius habueris, facias certiorē. Turpe enim mihi duco, non poſſe me alienos à ciuibus meis diſtinguere. Gratularer hinc tibi de noua iſta honoris acceſſione ſi quā lautus quoq́ſplendore ſis eques ad me ſcripſiſſes. Sic enim huc affertur cōplures iſtic eſſe nudos equites, eosq́ ipſos prius equeſtri cēſu exhauſtos, quā in iſtū ordinē receptos. Qua quidem certa de cauſa, Lælio Maximo nondum ſum eo nomine gratulatus. Si quando intellexero qua ſit in iſto ordine dignitas, quæ vobis in eo tuendo facultas, tū quidem ea de re ad vtrunq́ accuratius ſcribam. Sed hæc iocati ſumus. illud ſerio. Iſtam vobis emptionē bene ac feliciter euenire volo, veſtrumq́ in ea re iudicium vehemēter probo. Vale. Patauij. IIII. Cal. Mai.

CHRI-

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimaldo S. 13

AVdio Bapt. Egnatium, quæcunque ipſe loca in ſcriptis noſtris animaduerſione digna indicaſſet, ea tibi cum ſuis ad me literis notata deſcriptáque iampridem tradidiſſe. cuius quidem rei autorem habeo Romulum Amazeum, qui id ſe de eodem Egnatio iſtic audiſſe diceret. Quod ſi ita eſt, ſatis mirari non poſſum, ea ad me nondum eſſe perlata, præſertim cum tuam in me vel fidem, vel diligentiam nunquam deſiderarim. Equidem cum multa mihi quæ verear, in mentem hoc loco veniunt: tum nihil æque metuo, ac ne illa animaduerſionum ratio in alienas manus peruenerit. quod non accidiſſe, quam mea interſit, non ignoras. Tota de re ſi me certiorem quamplurimum feceris, & me magna ſanè moleſtia liberaris, et mihi tam gratum, quàm quod gratiſſimum, feceris. Saulinus noſter Genuam proficiſcitur ad fratrem, aqua ſubter cutem fuſa grauiter laborantem. Reditus ſui ſpem nobis facit ad hyemem proximam. ego rediturum non puto. Vale, Patauij. Calendis Maij.

CHRISTOPH. LONG.
Guliel. Budæo S. 14

ETſi cum Iaco. Sadoleti literis, meas quoque nuper ad te dedi: tamen cum Nicolaus

Deius

Deius Samarobrinus iſtuc proficiſceretur, homo tibi quidem minime notus, ſed tui tam cupidus, quàm ſtudioſus mei, non potui ei, id etiam atq; etiam à me vehementer petenti, nihil ad te literarum dare: quanquã me hercule quod ſcribam non ſatis occurrit, niſi tu hoc mihi permittis, vt te pro incredibili meo erga te amore, ad eam quam de virtute tua concitaſti, ſuſtinendam tuendãq; expectationem iterũ cohorter. Neq; enim vti ceſſes, iam tibi aut integrũ, aut omnino poſtulandũ eſt, qui cauſam tua ſponte ſuſceperis, ac te Reipub. in veterem dignitatẽ libertatem q́; vindicanda principem, bonis omnibus profeſſus ſis. Neq; vero, eo fides tua liberata eſt, quod ille ad recuperãdam libertatem exercitũ comparaſſe videatur. Comparauit enim copias, numero quidẽ magnas illas, ſed genere & vſu exiguas, id eſt, tyronum & collectitias: hasq́; ipſas leuibus prælijs, quàm ſtatariæ pugnæ aptiores. Iam ſi, vt nunc quidem eſt, bellum ducendum fuerit, cum tu ſumptui in rẽ militarem faciendo parem fore putas, qui ne rem quidem familiarẽ ære ſuo tueri poteſt? Quod vt animo ad conferenda ſigna paratus venerit, non tamen ignoras, quantum in acie tyroni committendum ſit, eo preſertim duce, qui neq; ſcientiæ rei militaris, neq; autoritatis, neque ſanè felicitatis ſatis attulerit. Prorſus

Vt hoc nomine hominem laudare poſſimus, quod nec de Repub. deſperarit, & ad afflicta auxilium, magna cum ſpe, ac voluntate optima acceſſerit: in eo fortaſſe nonnihil reprehendere, quod neq; viribus, neq; facultatibus ſuis neq; rei magnitudine difficultateq; ſatis exploratа, in ſpecioſis quibuſdam honorum nominibus, & nudo bonæ mentis animo ſatis eſſe præſidij existimarit. Sed non propterea cuiquam ſtomachum facere, aut te ab inſtituto opere abducere debuit. Id enim perinde ſit, ac ſi tu grauiter ægrotanti amico, ea re opem afferre nolis, quòd alius quiſpiam vel cunctatione tua offenſus, vel diutina abſentia inuitatus, morbo, quem tu nondum omninò depuliſſes, mederi fruſtra tentarit, poſſis huic fortè ſuccenſere, quod eam in qua nō ſatis ſcientiæ habeat, artem exerceat: miſero illi propterea deeſſe non poſſis, cui etiā hoc te maturius ſuccurrere decet, quod iam perſpectum habeas, niſi tu medicinam vnus feceris, illi ſtatim pereundum eſſe, idq; medicorum partim inſcitia, partim iracundia, quorum vtrū crudelius ſit, tibi dijudicandū relinquā. Quod ſi de prouincia, quā nec dum obiſti, & in qua tibi ſummo bonorum omnium conſenſu imperium prorogatum eſt, homini nobiſq; iratus, eo. deceſſurus es, quod eam ille ſibi tecum eſſe communem putarit, nec quæ geſſiſti,

ſiſti, omnia comprobarit: Vide ne eandem in te animi æquitatem deſideremus, quam tu anno ſuperiore in Eraſmo Roterodamo requirebas. Meminiſti quàm tu illum grauiter abs te obiurgatum eſſe volueris, quod non ſatis placate Iac Fabri ſententiam (qua ille eum tanquam de religione male exiſtimantem corriperet) tuliſſe videretur: cum tu nũc tam acerbe feras, auſum eſſe aliquem, non de ſumma rei quidem illum, ſed de belli gerendi ratione à te paululum diſſentire. An tibi in cauſam ingredienti illud in mentem non veniebat, nequaquam defuturos homines, qui partim maleuolentia, partim imperitia res tuas iniquè æſtimarẽt: ac te in eo potiſſimũ dãnarẽt, in quo induſtriã tuã nemo ſatis neq; laudare neq; ſane admirari poſſit? hoc ſi neſciebas, & tuã profecto & imperatorũ omniũ cauſam ignorabas. Verũ quod ad rẽ pertinet, tãtũ abeſt, vt ille de laude tua quicquã delibarit, vt eo quidẽ facto et ſtultitiam ipſe ſuã prodiderit, & virtutẽ tuã: clarã illã omnino et ſua ſpõte nobilẽ ſed illuſtriorẽ tamẽ reddiderit. Sic enim omnibus perſuaſum eſt, illa tua proxima victoria, imò verò glorioſiſſimo triũpho, in Pop. Romani ærariũ iã planè tot ſeculis exhauſtũ, illatas eſſe abs te omnes omniũ fere gentiũ opes, idq; nulla cuiuſquã iniuria aut omnino querela, quo quid vel ad

mirabilius, Vel certius dici poßit, non ſanè Video. Reſtat bellum aliud quod ſi ex ſententia, Vt ſpero et opto, cõfeceris (eſt enim abs te iampridem inchoatum, & Vt Verè dicam affectũ) debebit tibi Pop. Romanus ciuitatem ſuam non maximis modo opibus beatã, ſed optimis etiã legibus et inſtitutis fundatã atq; ſtabilitam. Hic tu mihi delicias facis, quaſi ea exceptione operam tuã Reip. ſis pollicitus, Vt ne alius quiſquam manus operi admoliretur. id ſi ita eſt, & (ut inuerſionibus tuis tecum agam) te initio huiuſce ædificationis redemptorem, Vel dominum potius fuiſſe contendis: cur non aut illi nouum opus ſtatin nunciaſti: aut interdicto, quod Vi aut clã cum eo ad reſtituendum opus experiris, potius quàm ipſe nunc boni Viri officio non fungaris? Planè ſi pro fiduciæ formula, inter bonos bene agier oportet, ac tu id nobis bona, nec aliena fide recepiſti, farctum etiam tectus opus nobis præſtes oportet, Nec enim, Vt ille ſe expromiſſorem Vltro obtulerit, illud certe planum feceris, populum fidem ſequi maluiſſe, quàm tuam. Nam quæ tu mihi narras prædia, ea optimo eſſe iure omnes negant: ſed nec prædes omnino locupletes eſſe, cenſores ipſi contendunt. Equidem neminem conueni, (conuenio autem quotidie plurimos) qui non & illi hanc operam libenter remi-

ſiſſe

ſat, & te vnum eſſe fateatur, qui poſsis ex-
trema cum primis contexere: addo etiam,
qui non, te hac de re multum accuſet, mecum
q́ꝫ quaſi tecum expoſtulet, quod hominum ex-
pectationem tam diu ſuſpenſam teneas, in eo
præſertim exoluendo nomine, cuius cum opti-
ma iam pars ſit abs te expuncta, tum reliqua
tibi expeditu eſt facilima. Quid multa? iniu-
ſtas eorũ querelas ſuſtinere iam non poſſum,
qui te non dico appellãt, ſed planè flagitant,
idq́ꝫ ſuo iure, quando fidẽ ipſis tuã priore ex-
peditatione obſtrinxiſti, poſteriore etiã confir-
maſti te ad aſſem exoluturũ eſſe, quicquid vn-
quã populo ſpopondiſſes. Et re vera ſatius eſ-
ſet nihil initio mouiſſe, quàm tanta excitata
expectatione, nõ modo hominũ opinioni nõ reſ-
põdere, ſed etiã ſui diſsimilẽ euadere, fidemq́ꝫ
ſuã nulla de cauſa labefactare, ne quid hic
dicã, quàm ſuperbũ ſit, tot hominũ deſideria
aſpernari: quã ſtultũ, cũ id nullo poſsis nego-
cio, nolle de Rei ſumma cũ tua laude optime
mereri: in cuius quidẽ adminiſtratione, ſi te il-
le nõnihil interpellaſſet, atq́ꝫ adeo offendiſſet,
eſſet tamẽ tuæ cũ prudentiæ, tũ etiã modeſtiæ
atq; humanitatis, maiorẽ omnino Reip. quàm
priuatarũ ſimultatũ rationẽ ducere. O mi Bu-
dæe ſi vera ſunt, quæ de ceſſatione illa tua ſcrip-
ſiſti & in ea, quã mihi ſignificaſti, ſententia
permãſurus es, parũ te ſcilicet noſti, qui de

 aliĩs tam

aliis tã ſapiẽter iudices. Tu iſtã igitur ſpẽ, imò vero hãc quã in manibus habes gloriã tibi vel turpiter eripi, vel turpius etiã perire ſines? Non ſines opinor, ſi tuos ſenſus bene cognitos omneis habeo. Scio enim & quàm officio cõſtãtiaq́; tuæ deeſſe nolis, & quibus nomẽ tuũ virtutibus atq; ornamẽtis immortalitati cõmẽdare velis. Noui animi tui grauitatẽ, noui altitudinẽ: quæ nec ad inferendã iniuriã vllo modo poſſit adduci, neq; ad referendã facile impelli. Quòd ſi illius odio in nos durior eſſe perges, vide ne probabilẽ nacti ſermonis materiã homines, vt cuiq; cõmodũ fuerit, dicãt, aut tibi bonã mentẽ, iracundiæ tumore ablatã eſſe, aut te non quidẽ iudicio vigiliã tuã aliis tradidiſſe, ſed metu territũ, reiecta ſtatione fugiſſe, aut (vt optime tecũ decidat) ſociũ laudis ferre nõ potuiſſe. Cupio enim te pro ea, quã mihi tecũ intercedere voluiſti, neceſſitudine, nõ omni modo culpa, ſed omni etiã iniquorum crimine carere. Quod ſi cauſa, ſuadendoq́; parũ proficimus, iam vero precibus & gratia cõtendimus, vt vel noſtra, vel tua, vel ipſius Reip. cauſa, exitus principiis cõſentire velis: id eſt, vt cuius magna ex parte ſalutẽ per te recuperauimus, eiuſdẽ per te quoq; & ornamenta & iura aliquando recepta conſpiciamus. Sic enim certe fiet, vt Pop. Romanus intelligat, Galles olim nunquam

tam hoſtili animo Vrbē diripuiſſe, quàm ijdē nūc ſtudio ad eam ipſam quā alij euerterūt, inſtaurandā reſtituendamq; incumbunt. Tu modo caue, Vt quod tanta tua, tanta patriæ tuæ laude opus facere cœpiſti, id inchoatum & rude ijs perficiendū expoliendumq; relinquas, quos forte Vt fabros aliquis, nemo certe Vt architectos, ad iſtiuſmodi ædificationē adhibeat. Tuū eſt hoc munus, tuæ partes: à te hoc omnes qui Vel Remp. ſaluam eſſe Volunt, Vel dignitati tuæ fauent, Vel ocio ſuo conſulunt, non expectant ſolū, ſed etiam poſtulant quanquā enim tātas rebus ſuis, tum fortunæ, tum dignitatis acceſſiones cōſilio Vrtuteq; tua factas eſſe fatētur, quātas in mētē Venerat optare nemini, tamē cōtēti nō ſunt: atq; cū pro illa qua quōdā florebāt, gloria rerū omniū maxima, tū pro opū animiq; & beneficij tui magnitudine incredibili, abs te maiora deſiderāt, nec quicquam eſſe tantum ſibi perſuadent, quod non à te perfici atque facilime præſtari poſsit. Quòd Vero in Gallia natus es, non tam eo iam quidem Vulgo mouetur, quàm bonis omnibus perſuaſiſſimū eſt, Romanos eos eſſe, & numerari deberi omneis, qui nec ſermone, nec animo, nec religione, nec legibus à Pop. Romano diſsideant. Extremum illud erit, Vt ſi nobis in eo morem gerere non poſſis: Velle enim te certo ſcio, officium meū ar-

rogantiæ ne condénes, quod iiſdem de rebus, et verboſius fortaſſe quàm par fuiſſet, & vehemẽtius quã tua meaq́ patiatur ætas, tecũ agere ſim auſus. Verum alterius cauſam meus erga te amor ſuſtinebit: cuius teſtificandi gratia, magis quã vt prudentiã tibi oſtẽtã rẽ meã, ſæpius in eandẽ ſententiã ad te ſcribo. alterius cupiditatẽ, rerũ abs te geſtarum præſtãtia tuebitur: quarum equidè ſtudio incẽſus, facere non poſſum, quin vt de reliquo optime ſpero, ſic tibi interdũ ſuccẽſeam, quod tum nobis tantam felicitatem tam diu inuideas, tum nonnulis hanc ligurientibus laudent tam facile concedas: quam tibi me hercule totam vni & deberi, & reſeruari integrã ſummopere cupio, vt idẽ tu nobis Rẽpub. in priſtinum ſtatum reſtituas qui primus in ſpem libertatis ingreſſus ſis, vniusq́ tanti opè is & fundamẽta ieceris, & princeps eius autorq́ extiteris. Qui ſit rerum mearum ſtatus, et ſi ex proximis meis ad te literis cognoſcere potuiſti, ex hoc ipſo tamẽ qui tibi hãc reddidit, planius omnia et vberius intelliges in primisq́ illud cur vicena il la quina in annos ſingulos ſeſtertiorũ nũmum mille qui bus me Po. Florentinus inuitat, non tanti faciam, quanti multorum opinione fiunt: Cur commentationes noſtras de animaliũ, plantarum, mundiq́ & cæli natura, quas ſupe

ſuperiore hyeme in apertũ proferre cõſtitueram, in aliud tempus repoſuerim, quibus me literis tum Pontifex Maximus, tum S.P.Q. Romanus in ciuitatẽ acerſierint: tum vero quod nam ſecutus conſilium, huc me contulerim. Quid quæris? in tota vitæ noſtræ ratione nihil ſanè eſt cuius te is certiorẽ facere non poſſit: ita eſt homo & prudens & rerũ noſtrarũ curioſus, ea porro doctrina atq; animi magnitudine, vt cum ipſum iureconſulti principatus ſtudioſæ iuuentutis abeuntem, omnibus ſui ordinis inſignibus ornandum, ob rem in eo magiſtratu præclare geſtam, decreuiſſent: nõ ante illo ſibi honore vtendũ duxerit, quàm tyrocinio ſuæ in iure & ſcientiæ autoritatem cõſtituiſſet, & memoriæ fidem apud omnes feciſſet, vt iam non poſſis hominem multis nominibus commendatum nõ habere, ſed illo maxime, quod tum tui, tũ ſcriptorũ tuorũ tanto teneatur ſtudio, vt in eo quidem vix mihi cõcedat, qui me huiuſce rei principatum obtinere arbitrabar, Sic tamẽ velim, vt eũ honoris mei cauſa omni tua humanitate beneuolẽtiaq; cõplectare, atq; ad id quod ipſius cauſa velle debes, cumulum meæ commendationis adijcias. Hoc ſi feceris erit mihi tam gratum, quàm quod gratiſſimũ. Salutẽ Ludouico Ruzæo, & Fr. Deloino quorũ alterũ citerioris Galliæ prætorẽ expectabamus, alterũ

 offenſiore

offenſiore in nos animo eſſe audiebamus: quæ res plané fecit, ut ei literis obſtrepere non ſim auſus. Placa mihi queſo, hominem: quem minime omnium uelim habere iratū. Ita eſt de me meritus, ut nihil ei meo nomine abs te pollicendum non cenſeam, quo quidem uolūtatem eius recuperemus: Quicquid promiſeris, bona id ego fide præſtabo. modo ne me iſtò reuocetis. Vale. Ex urbe Patauio, pridie Calend. Septemb. Obſignaturo epiſtolam mihi uenit in mentem, te admonere, quanto meo periculo, huiuſmodi literæ, niſi abs te diligenter reconderentur, in alienas manus peruenturæ eſſent. Quare tum has, tum eas quas ad te proxime dedi. ſi modo ſalus mea tibi curæ eſt, ſtatim conſcindes, aut ita certe, nequando emanent, comprimes. Vix credas quàm hic omnia mea ſcripta, dicta, facta in ſuſpicionem ueniant: tanquam id unum mihi ſit operis, ut de Italia dignitate: quàm poſſum plurimum detraham: cum ſi quis unquam de noſtris hominibus huic nationi fauit: ego & faueam multum, & tribuā mehercule plurimū. Non temerè hoc ſcribo, qui ſingulari quodā hac in re ſum fato. Nec enim neſcis, quas mihi Romæ turbas concitarit illa noſtra de Gallorum laudibus declamatio. Quàm item à me abalienarit Eraſmum Roterodamum epiſtola quadam, de nobis ad

Iac.

Iac. Lucam conſcripta: quam etiam (ſi Deo placet) idem Eraſmus, cum nec ab ipſo, nec ad ipſum miſſa eſſet, in volumine referendã, & vnà cum ſuis edendã curauit. Pari temeritate prolatus eſt in Italia, ab amicis quidẽ noſtris illis, ſed me nõ conſulto tamẽ, defenſionũ mearũ libellus. Valentiæ autem quadam mea in iuris prudentia laudẽ Oratio, cũ quicquid huiuſmodi nugarum cõmentor, id non ad ingenij, doctrinæue famam, cuius quidem illæ capaces non ſunt, ſed vel ad præſentẽ modo vſum, vel ad comparandã aliquam dicendi facultatem mihi præſcribam. Equidem non facile dixerim, iſta ne me ſcripſiſſe pœniteat iam magis an pudeat: tametſi nõ tam mea infantia, quàm iſtorum qui & contra voluntatem, & præter opinionem meam nugas illas in apertũ protulerunt, culpa traducitur. Atqui facilis ſit huiuſce exiſtimationis iactura: illud omnino non ferendũ, quod me vulgò hominũ opinio ex ſcriptis meis in crimẽ inuidiamq; adhuc vocat. Itaq; niſi me ſtyli pœnas hic dare vis: neq; enim obſcurũ eſſe poſſit, ad quem ἀλλαυοςίαν illa noſtra pertineant: inſcindes vtranque epiſtolam, aut ſic eas aſſeruabis, vt nunquam exeant: quanquam enim nulla equidem maleuolentia in hominem ſuffuſus hæc ad te ſcripſi, qui ſanè ab ingenio eius nec ſtudio, nec voluntate abhorreo,

& egre

& egregium illum ac præclarum ad ius ciuile nobis reſtituendum animum cùm laudo magnopere, tum me hercule etiam exoſculor: ea tamen mea hic eſt cauſa, vt mihi vel de cuiuſuis ingenio libere pronunciare ſolutum non ſit: neq; adeo interrogato tacere integrum. Si laudo, blandiri: ſi vitupero, odiſſe: ſi taceo, inuidere me ſuſpicantur. Cur te igitur, inquies, ad nos non recipis, apud quos tibi vel planè tacere, vel etiã aperte quæ ſentias, dicere liceat? Primùm, quia etſi imperitam multitudinem partim obſcurius iniquam, partim non diſsimulanter infeſtam experior, tamen omnes omnium ferè ordinũ principes ad cauſam adiunctos habeo. Deinde eorũ hic mihi & iam facta eſt, & vt ſpero fiet, græcorum librorum poteſtas, ſine quibus inſtituta à nobis opera nunquam neq; ex ſententia, neq; ex dignitate noſtra abſolui potuiſſent. Poſtremo, ne quid hic de P. Bembi & Iac. Sadoleti erga me voluntate dicam, qui ſibi nullum mei ornandi finem faciunt, à Pont. Max. honeſte diſcedere qui poſſum? cum meis non ſolum in illa temporum meorum nouitate ſua autoritate ſalutẽ & vrbis compotem præſtiterit, ſed etiam nũc ocium meũ liberaliſsime tueatur, pollicitus ſe fortunam meam ſuis quoque beneficijs honeſtiſsime ornaturum, ſi in eas toto pectore literas incumberem, quarum ſpe ad ſummam

laud

laudem omnium expectatione, me vocari ipſe ſibi perſuaſiſſet. Sed hæc ſubtilius cum magis vacabit. Illud te vehementer etiam atque etiam rogo, vt Ruzæi noſtri animum mihi recolligas atq; reſtituas: ſimul et vt in omnibus tuis epiſtolis, quas ad Bembum aut ad Sadoletum mittes, legitima quadam neq; ea vulgaris noſtri commendatio accedat. quanquam enim mea cauſa nihil non vltro facturi videantur, tamen rebus meis multum conducere arbitror, vt per literas tuas me meaq; omnia tibi curæ eſſe intelligāt. Id ſi feceris, & ex intima tua arte mirificū quoddā cōmēdationis genus depromp ſeris, faciā vt aliquando intetelligas, te officium tuum apud hominem memorem minimeq; ingratum poſuiſſe. Iterum Vale.

CHRISTOPH. LONG.

Petro Bembo S. 15.

POllicitus ſum tibi ſuperioribus literis, quod commendatione tua profectum eſſet, id primo quoq; tempore ad te ſcribere. Nihil igitur, vt nunc quidem eſt, adhuc profecimus: neque id ipſius tamen culpa, qui ſe nihil tua culpa cauſa non facturum Bolduco recepit, ſed mea quodāmodo ignauia, qui nondum hominem cōueni, veritus primū, nō acceſſitus ad eū, qui occupatiſſimus eſſet, accedere: deinde ne ſi literis tuis fretus, quas ille à me

non accepiſſet, vltro accedere, contrà atque inter nos cõuenerat, idq́; ipſum neq; loco, neque tẽpore ſacere. Poſtremo metui, ne me multum græcis literis operã aliquãdo dediſſe alicunde reſciſſet. Eſt enim eo in græcos animo, quo ille qui ad villam ſuam græca via vt iret, animum inducere nũquam potuit. Iocari me putas? ſerio tecum ago, ſi quidem vera ſunt quæ audio. Audio autem hominem ſibi perſuaſiſſe vt quiſq; optime græcè ſciat, ita eſſe nequiſſimum. nequiſſimũ autem? Imò verò etiam indoctiſſimum. Itaq; ſi commendationem tuam renouandam eſſe mea cauſa putabis, velim eum commonefacias, nihil me minus, quàm optimè græcè ſcire. Quod ſi diligenter feceris, & verum me hercule ſcripſeris, & me magna inuidia liberaris. Atqui nec te itẽ illud lateat velim, quod mihi hoc ipſo in genere per quã ridiculũ accidit. Poſtridie eius diei qua Balducius literas tuas illi reddiderat, deſcendebam in forum. & ſpei & animi plenus: cũ ecce tibi incurro in prætorem ipſum & vrbis præfectum, purpuratos ambos, ac magno comitatu ad eam quam incolimus vrbis regionẽ proficiſcentes. Ego qui me cum mea ſponte illi antea ſatis eſſe commendatũ arbitrabar, tum vero commẽdatione tua gratioſiſſimum iam eſſe iudicabam, ſtatim ſuſpicatus ſum eos ad me, quo vel beneuolentiam ſuam erga nos teſtatiorem,

ſtaticrẽ, vel commendationẽ tuam illuſtriorẽ facerent, officioſe venire: tamen cum neq; pudor meus ferret, vt cum tãtis viris temere cõgrederer, & mihi etiã honorificentiſsimũ fore ducerẽ, vt ij domum meam ventitaſſe dicerentur, de via pauliũ ad leuam deflecto: M. Antonium Flaminium qui mihi vnus comes hærebat, idẽtidem, num quonam illi? rogitãs: quo negante, Quin igitur dum hi cum toto abſunt comitatu curiam ſpectatum imus, nondum à me per ocium viſam? Ideo conſilio commentabar, vt ibi fabulæ exitum expectarem. Redeunt illi tandem: ego me in litigantium turbam conijciens abdo. iam enim me & meæ ambitionis pudebat, & quod eis domi preſto non affuiſſem, pœnitebat: Quo ad ædes noſtras accedebam propius, eo magis tacitus mirari, neminem nobis occurrere, qui rem tantam nunciaret. Ingredior: ſolitum vbique ſilentium. perconctor: nullum de prætore verbũ, quid multa? cœpi ipſe aliquando meum & ſtultitiam meam ridere, & quod erat ſtatim conijcere: nihil illis minus quàm res meas eſſe curæ: quod quidem pro animi noſtri facilitate æqui boni q; fecimus, & ſi res coget, poſt hac etiã facturi videmur. Paucis antequam has ad te darem dieb. rumor hic erat te rem tuã bene geſsiſſe. ſed is etiam raucus factus eſt, & ad me nõ ſatis conſtã: et

perlatus. Tu ſi quid erit, quod amicis tuis iucundũ fore iudicabis aut ſcribes ipſe, aut aliorũ certe literis id nobis quoq; ſignificandũ curabis, & valebis. Nos enim ita vt cũ maximè & valemus & ſtudemus. Cum has ad te ſcriberem, cogitabam Venetias animi cauſa, vnde ad te literarum aliquid fortaſſe dabimus. Ex vrbe Patauio, Idibus Octobr.

CHRISTOPH. LONG. Furnio Mario Molſæ S. 16

E*Xercebar trigonali pila domi cum M. Antonio Flaminio, cũ Nicolaus Machalus ſalutẽ vtriq; noſtrum tuis verbis attulit. Quẽ cũ rogaſſẽ, ecquid à te aliud? nihil ſanè, inquit. aderit enim propediem ipſe, ſic tamen literarum aliquid à vobis interim expectat. Quid ita inquam, ſiquidem continuo congreſſuri ſumus, nec ille præter ſalutem quicquã. Hic cum ille conticuiſſet, ego ad M. Antonium, Tu Flamini, quid tibi ſit licitum videris. ego ad iſtum ſcripturus non ſum, qui neque me literis ſuis dignum vnquam iudicauit. & accuſatoris noſtri nomen immortalitati commendauit. Scripſi has tamen ſtatim cum paulum à luſione reſpiraſſem mi Furni: ne vel tu id à me ſerio dictum exiſtimares, vel ego te in eo imitarer, de quo te potiſſimum ſub accuſare ſoleo, quanquam mehercule, quod ſcri*

berem.

berem nihil planè erat, niſi nobis aduentum tuum in ſumma eſſe expectatione: cuius quidem rei me primum ſuis literis certiorem fecit Fl. Chryſolinus, deinde Q. Lælius Maximus: quem Quinti prænomen ſecutum eſſe arbitror. quod Quintiæ alicuius, vt tu Funiæ, cõſuetudine iſtic teneatur. Sed hæc & noſtro more iocati ſumus. & coram liberius videbimus. Tu modo fac venias: venies enim expectatus, non mihi modo, qui quàm libenter multas horas tecum ponam atq; ſuauiter traducam, ipſe meminiſſe potes: ſed familiaribus etiam noſtris omnibus, in primisq; St. Saulio & M. An. Flaminio: quorũ alter per me ſalutem tibi aſcribi, alter referri voluit. Tu ſi ante quintumdecimum Calend. Nouemb. diem ad nos exieris, fac omnino Venetijs iter facias. Nos enim ibi offendes qui cras ad ſummum perendie, illò animi cauſa cogitabamus. Vale. Ex Vrbe Patauij, prid. Cal. Octobr.

GHRIST. LONG. DIOnyſio Monacho Lerinenſi S. 17

VTinã eius eſſet generis meæ literæ, vt te quemadmodũ ſcribis delectare poſſent: crebras omnino, nec eas ſanè minus longas quàm optare videris, à me acciperes. Verum cum nec ipſe tu, quanta ex ſermonis Latini

paupertate laborem ignores, & egomet mihi planè ſim conſcius, quanta difficultate praeſertim ad homines doctos tuiq; ſimiles ſcribam: ne mirere ſi vel rariores vel breuiores, quàm expectas, à me tibi reddantur. Nam etiam cum nihil vnquam fere eſt quod tibi mittam, niſi te à me fieri plurimi, ſed de quo ipſe non dubites: tum vero ſi quid aliquando eſt deeſt penè ſemper cui id recte dari poſſit: Sodales igitur tui, quoties iſtuc proficiſcentur, eius me rei certiorem faciãt neceſſe eſt: & ipſe tu ſcribendi argumentum aliquod nobis praebeas oportet, ſi modo meas elicere voles. His enim ad tuam beneuolentiã magis erga te mea adductus reſpondi, quã quid reſponderem occurreret: niſi forte in eo epiſtola materiam à nobis quaeſitam eſſe putas, vt me tibi tum de praeterito, tum etiam de futuro ſilentio excuſarem. Vale. Patauio, IIII. Cal. Iun.

CHRIST. LONG. GREgorio Corteſio S. 18

QVod poſteaquam in Italiam redij, nihil ad te literarum dedi, id profecto neque obliuione tui factum eſt, qui etiam ſi velim, tui tamen obliuiſci non poſſim, ita frequẽs & iucundus nobis hic eſt de te quotidie ſermo: neque ſane quin eſſet, quod per literas tecum agere vellem, ſed quod ea erant in manibus,

quæ nec literis, nec cuiuis recte committi poſſent. Rem tenes, genus tabellariorum noſti. Nunc autem cum rationẽ ad te tuto ſcribendi inierim, ſcito mihi magis magisq; quotidie de rationibus tuis cogitanti, non iam placere ad rem, ea quã tibi iſtic oſtenderam via aggredi, ne ſiquid offendatur, iniquorum ſermonibus detur locus, quos vel minima re ad deridendũ contentos fore video: ſin vt volo & opto cadat, ne rem mali exẽpli inſtituiſſe, nec tam doctrinæ ſtudio, quàm religionis odio cò confugiſſe exiſtimemur. Quinetiã non poſſint multorũ ſuſtineri cauſæ, ſi tibi quod poſtulas à Pont. Max. vni concedatur: nec tu non temere de iudicio principum tuorũ aut iudicaſſe aut deſperaſſe, qui rem tam honeſtam ab eis non petendã eſſe duxiſſet. Huc accedit grauis illa inter vos & Pont. Maximum controuerſia, vt ne ſi exploratum quidem ſit illius nos cõpotes fieri poſſe, tamen velim hoc tẽpore, ne ordinem deſeruiſſe, vel etiã data occaſione turpiter trãsfugiſſe potius, quàm ſtudijs noſtris præſidiũ quæſiuiſſe vllum videamur. Equidẽ cum noſtra plurimũ intereſſe arbitrer, grauitatem vt tueamur, neque tam docti: quàm boni viri hominum opinione habeamur: tum vero te non omni ſolum cupiditate, ſed omni etiam cupiditatis ſuſpicione carere velim. Nec enim neſcis, tametſi volunta-

tem ea in re tuam, quaſi ambitioſam & inanem bonus nemo reprehendere poſſit, quàm tamen difficile ſit, his præſertim moribus, conſiliorum noſtrorum rationes vulgo probare. Atque ſi Romæ nunc eſſem, ipſe tibi negotium nullo maiore negocio per me conficerem, operam quidem profectò ſtudium, conſilium, fidem, rem denique meam in eo tibi diligenter nauarem. Abſens rem tantam per interpretes moliri ſine periculo qui poſſum? Itaque ne per Sadoletum quidem noſtrum quicquã mihi conandum arbitror: præſertim cum crebris amicorum & ipſius maximè Sadoleti literis Romam vocer, quo ſi me aliquando contulero, omnes vias perſequar, quibus ad id quod cupis peruenire poſſe putem. Sed audi caſum planè diuinum: ſcribente me hæc ipſa anxie, repente nuncius, rem in conuentu veſtro ex ſententia noſtra confectam eſſe: habere iam te omnium munerum vacationem: tantum ſodalitatis tuæ ſtudioſis omnibus ocij publico pat. ũ decreto impertitum, quantũ tu vix vel per nos, vel à Pont. Maximo cõſequi potuiſſes. Quid quæris? Suſtuli manus, meq; à cõſilio & deliberatione ad gratulationẽ totũ cõuerti: præſertim qui eã rem non modo facultatẽ apud tuos habuiſſe, quod vel ipſum planè deſperabã, ſed ſũmo etiã totius cõuentus aſſenſu cõprobatũ fuiſſe perſpicerẽ. Quapropter ſine

re iſto

re iſto mi Corteſi occiſio: quo nihil neq; tibi accõmodatius, neque ſodalitati tuæ ornatius, neque nobis amicis tuis iocundius contingere potuiſſe iudico. Vale ex Vrbe Patauio, IIII. Calend. Iun.

CHRSITOPH. LONG.

Aug. Grimoaldo Pont. S. 19

QVod magnum, cùm tuæ in Chriſtianã religionem pietatis, tum in optimarũ artium ſtudia animi, Lerina tua priſcæ dignitati reſtituta, id eſt, doctiſsimis atq; ſanctiſsimis Viris dicata, fructum ceperis: nec ipſe quidem dubito, & pro mea erga te obſeruantia Valde etiã lætor & gaudeo. Nunc enim denique, non fortunam quidem ipſam, quæ nihil hiſce in rebus iuris haberet, ſed Ieſum Opt. Max. optatis tuis reſpondiſſe Video. Quod quidem tu quaſi ita futurum præuidiſſes, cœperas etiam, Vti audio, ad amœniſſimas illas fontium ſcaturigines magnificum opus facere, loco mea quidẽ ſententia, ſtudioſorum hominum habitationi perquã accommodato. hanc quoque ædificationi bene tibi ac feliciter euenire cupio, ſed non mea minus quam tua cauſa, qui mihi illic non nihil loci atque ocij ad recolenda ſtudia noſtra abs te aſsignatũ iri ſpere. Literæ quas ad Gr. Corteſium do, eius ſunt generis, Vt eas in alienas

manus peruenire olim: quæ plane de cauſa cũ tuis complicatas, & in tuarũ faſciculum coniectas obſignaui, Veritus ut ſi illi nominatim deſcriptæ eſſent, ne quem ſodaliũ eius ad lectionem ſui inuitarẽt. Itaq; mihi gratiſſimũ feceris ſi eas ipſe tu illi reddideris: quod ut facias te uehementer rogo. Mitto ad te defenſionum noſtrarum librum, non quo hæ mihi magis probentur illis, quas tibi iſtic legendas tradidi, ſed ut intelligas quid acerbæ illi aduerſariorum meorũ accuſationi reſpõderim, qua me abſentem & iam Roma profectum in crimẽ inuidiamq; apud Pont. Maximum uocaſſet. Vale. Ex urbe Patauio, IIII. Cal. Iun.

CHRIST. LONG. Stathio S. 20

VAriè ſum hodie tuis literis affectus, quæ enim officia in me tua commemorabas, fuerunt mihi non inſuaues: quæ uero ad te eſſe allatum ſignificabas, mihi epiſtolam neſcio quã tuam non ſatis probari, haud mediocrem moleſtiam mihi attulerunt. Illud autem in eis odioſiſſimum, neque medius fidius uel pudore, uel ætate tua dignũ fuit, quod prope minitabũdus me ad inimicitias uocare ſis auſus Ego Stahi, quod ſcribis te, tum iſtic tum in Gallia probitatem doctrinamq; noſtram prædicare ſolitum, quanquam id

nunc

nunc primũ audio, tamẽ facile credo, atq; de eo tibi gratiã etiam habeo. Quod autẽ iniquis cuiuſdã mihi hominis, eiuſq; quẽ tu vel indignatiõe tua indignũ profiteris, ſermonibus adductus, inimicitias mecũ gerere non recuſas, in hoc plane modeſtiã tuam requiro: nam prudentiã quidẽ aut conſtantiam dicere non auſim, quãdo nihil huiuſmodi in hanc ætatẽ cadit. Fuerat tamẽ tuæ iſtius preclaræ indolis primum, hominis qui illa in me conferret, æſtimare ingeniũ: deinde naturæ noſtræ moderationẽ: deinde ecquid de te in eo quidem genere detrahi poterat: poſtremò non ſtatim tibi in animum inducere, te mihi diſplicere, ſi epiſtola quædã tua mihi non ita placuiſſet. At cognoſce expoſtulationis tuæ æquitatem. fac me dixiſſe illud vnum, de quo quereris illam tuam in Salmonium Macrinum epiſtolam viſam eſſe mihi ſatis, neque elegantem, neque copioſam. an hæc tibi tãdem iuſta ſuſcipiendarum inimicitiarum ratio videtur? At erat (inquis) tui officij me admonere. Quaſi vero tu eam mihi legendam tradideris, aut vt ea in re operã tibi nauarẽ meam, vnquam poſtularis. Vide quam inania ſint, & quam tu temere, ea quæ ad te delata ſunt, credideris. Ego enim neque elegantiam, neque copiam in iis literis me deſiderare tum dixi, quanquam vtrunque deſide-

rabiem: ſed humanitatē tuam, qui nulla iniuria laceſſitus ſimultates tibi, vel vſq; trans alpeis, cum homine vtrique noſtrum amico gerēdas putares. Quod quidē ſi à me, ne communis concordiæ quidem cauſa, dictum oportuit: tibi in cōmunem amicum gratis ſcribere qui licuit? Sed nolo tecum accuratius agere, neq; ſane quæ mihi in mentem aduerſus te veniunt, ea hic perſcribere: multo vero minus illa tibi commemorare, quæ te non modo in literas, ſed in mores etiam meos iſtic in dies ſingulos euomere audio, purgare me tibi tantum hoc tempore volui, non te accuſare, quod de me temere credideris, atque tam nulla prorſus de cauſa, Romano quidem, (vt tu arbitraris) ſed plane gladiatorio more, inimicitiæ ac amicitiæ teſſeram contēptim mihi propoſueris, adiectis quoque inſolentiſſimis illis verbis, quibus te mihi acerbiſſimum infeſtiſſimumq; hoſtem fore pronuncias, niſi te mihi amicum deligerem. Quid ſi nolim? Atqui ea ſanè tua eſt cū ætas, cui facile ignoſci poſſit: tum rerum humanarum imperitia, vt multa potius miſericordia, quàm vllo inſigni odio dignus videare: ea autem noſtra humanitas, vt iſtiuſmodi ineptias facile concoquamus: is animus, vt nimis fortiter contemnamus: ea religio, vt inimicitias fugiamus, & iniuriarum facillimè obliuiſcamur.

Quare

Quare amicitiæ teſſeram libens accipio, atq; te interim pro inſtituta inter nos amicitia moneo, vt neque in laceſſendo poſthac ſis tam procax, & cæcum hunc animi impetum, ſi omnino tollere non potes, certe refrenes atque cohibeas. Nec enim tibi mecum ſemper erit negocium, qui cum meæ facilitatis rationem libenter habeo, tum etiã indoli tuæ plurimum faueo: cuius ſi ardorẽ, non ad ſuſcipiẽdas vel gerẽdas inimicitias, quod planè barbarũ eſt, & homine Chriſtiano indignũ: ſed ad bonarum artium ſtudiũ traduxeris ſpero te non tibi modo, ſed ciuibus etiam tuis magno aliquãdo ornamento futurum. Hæc ad te paulò quidẽ triſtius atq; ſeuerius quã mea natura ferat, ſed fideliter mehercule & amanter ſcripſi, nõ quod amicorũ meorũ iudicio, literæ tuæ tam contumelioſæ, tam minaces, dignæ eſſent, ad quas tam humaniter reſcriberem, aut omnino reſponderem: ſed ne me tu tibi iratũ exiſtimares, ſi in eo quo me ad reſcribendum inuitaras, morem tibi non geſſiſſem. Quod quidẽ etiam mea ſpõte facturus fuerã, tum vt animum tibi aperirem meum, tum vt te monerẽ, videres etiam atque etiã diligenter, quid tibi expediat, quid te deceat, aut ſi per te ipſe id perſpicere non poſſis, adhiberes in conſiliũ viros probos & homines amantes tui, quorũ ex ſentẽtia nihil tibi facile minus

licebit, quàm ut cũ ætate, dignitate, fortuna noſtra deniq; erga te beneuolẽtia depugnes. Quod ſi aliter tibi faciendum ipſe ſtatueris, non tamen perficies, ut te omnino oderim. illud fortaſſe aſſequeris, ut cum operam dederim, ne mihi quicquã conſilia tua noceant, in utram partem noſtrum de te iudiciũ accipias, non magnopere laborem. Vale.

CRISTOPH. LONG.

Petro Bembo S. 21

AMoris erga me tui veſtigia, nullis opinor literis vel plura, vel illuſtriora imprimi potuerũt, quàm iis quas abs te proxime accepi. Sic enim quocunq; me verti, leniſſimis atq; amantiſſimis verbis expreſſa apparent, ut etiam cum me obiurgas, magnam quãdã tuæ erga me voluntatis ſignificationẽ perſpiciã. Illud vero quã non iam ſignificat, ſed me meaq; omnia tibi curæ eſſe planè declarat, quòd tot ac tantis, quas tu copioſe quidẽ & eleganter collegiſti, ſcribendi difficultatibus affectus, tamen tibi ad me ſcribendum duxeris. At quas literas? quam uberes? quàm ſuaueis? quam ſubtiliter luculenterq; omnia quæ ad nos pertinerent, explicãtes ut facilimè animaduerterẽ. quãtum in eo meæ cauſa laboraſſes, qui maiorem meæ omnino, quàm tuæ quietis rationem habuiſſes? Atqui nolim vir optime mihiq; chariſſime Bembe,

tantum

tantum mihi poſthac tribuas, aut omnino quicquam meo nomine in ſcribẽdo induſtriæ ponas. ſi quidem interim tibi cum huiuſmodi literarum ſatietate vel etiam (quod minime omniũ velim) cum valetudine tua pugnãdũ eſſe cognoſces. Mihi quidẽ certe ſatis factum putabo ſi ex literis tuis, meas tibi redditas eſſe intellexero. Neq; enim dubium mihi eſſe poteſt, quin ſi eas legeris, pro ea quam mihi tecum eſſe voluiſti neceſſitudine, mandata etiã noſtra diligenter curaris. Itaq; te omni iſta accuratius ſcribẽdi moleſtia libero, quanquã me hercule in literarũ tuarum lectione, quaſi in aureæ illius ætatis ſpecula quadam iucũditer acquieſco. Verum non id mihi ſumo, vt voluptatem meam cõmodo tuo anteponi velim. Quod autem te negocia noſtra cum Io. Pino, Regis Franci legato procuraturum ſcribis, de eo ſic velim ipſe ſtatuas, vt omnia tibi putes ex re & tempore conſtituenda, neq; verbum à me in poſterum hac de re expectãdum eſſe. primũ quia nihil certi, ad quod literas meas accommodẽ, habeo, deinde, quia ſiquid in his prouideri poteſt, vos id melius. Quare velim quidẽ à vobis factũ egregium aliquod prius audire, quàm id futurũ ſperarim. ſed quãdo id nõ tã in veſtra, quàm fortunæ ipſius manu poſitũ video, nõ equidẽ ipſe vos, ne mihi deſitis rogabo, ſed Deum potius immortalẽ ne ſtudio

dilig

diligentiaq; veſtræ deſit, deprecabor. Illa porrò mea tuorũ in me beneficiorũ commemoratio, non eò quidem ſpectabat, vt vel auribus tuis aliquid darē qui ſum vnus omniũ (vt noſti) minime blãdus, vel locum mihi apud te quærerem, qui me fratris habes loco, vel te in me amando confirmarem, qui de conſtantia tua nunquã dubitaui: ſed quo me tibi memorem atque gratum probarem. tametſi iſtuc mihi modice, vel intra modũ potius & raro videor feciſſe, qui nullum eiuſce rei locum ſine nefario ſcelere potuerim prætermittere. Sed quãdo ea es animi moderatione, vt tibi ne gratias quidem ab amicis agi velis, erit mihi poſthac tua volũtas officio meo antiquior, præſertim cum ineptum ſit, me, qui tibi vix re ſatisfacere poſſum, verbis gratiam referre conari. Quod autem me ad omnem abiiciendum timorem, graui illa tua diſputatione cohortaris, atque interea etiam amãter ſubaccuſas, quaſi ſaluti meæ diffidere hic deniq; incipiam, qui Romæ tam fortiter atque intrepide imperitæ multitudinis impetũ ſuſtinuiſſem: Ego vero mi Bembe non tam magno animi motu perturbatus ſum, quàm aut tu quidem exiſtimas, aut pars etiam quædam mearũ ad te literarũ ſignificare videbatur. Sic autē tecum egi, vt mecum interdũ ſoleo, cum illa mihi propono, quæ homini, cuius ea ſit

ſit quæ mea eſt cauſa. accidere & poſſunt & ſolent. Equidem ad neminē, præter te, in eam rationem ſcripſi, cum domeſticis ne verbum quidē feci. Neque tamen magna iuſti metus cauſa non fuit. Nam ſi ad vos vndique perferuntur omnia, audiſtis ſcilicet aliquid de indigna illa quorundam ex Gallia procerū, nonnullorū item ex ſtudioſa iuuentute adoleſcentium cæde, quos hic per eos quibus illa ad te ſcripſi dies, crudeliter trucidatos eſſe conſtabat. Accedebat eodem, quod ex nequiſſimis illius Simonis noſtrij gregalibus emiſſarij quidam, partim me literis minaciſsimis contumelioſiſſimisq́ ad inimicitias vocarēt, partim non bellos de me rumores diſsiparent: Alij Lazarum noſtrum iniquis ſermonibus in me incitare conarentur. Quibus equidem rebus commotus, non ego quidem, vt meæ firmitudinis eſſem oblitus ſed certe vt te improbitatis iſtorum facerem certiorem, ſcribēdum ad te putaui: idque magis vt me tuis conſiliis aduerſus impendētia mala munirē, quàm præſentibus, quæcunque magis quàm timeo, perte referrem. ſolutus enim ab omni grauiore cura tum eram: cui quidem rei argumento vel epiſtola illa mea eſſe poſsit, quā ſummā animi mei lætitiam non modo tranquillitatē, optima ſui parte præ ſe tuliſſe nō ignoras: etſi mehercule nō eadem hic eſt tem-

porum meorum ratio, quæ anno ſuperiore iſtic erat. tum enim conſilio & authoritate de iure publico diſceptabatur, eoq; mihi fortè parcebatur, quod aduerſarij noſtri victoriam ſibi deſpondiſſent: nunc vero non ea ſolum ſpe deturbati, ſed etiam turpiſsime victi, ad extrema conſilia deſcẽdunt, nec ex iure manu conſertum, ſed pilis & gladijs rem repetitũ veniunt. Iam mihi iſtic cũ Pop. Romano erat negocium, qui me iudicio & legibus, quàm vi atq; oppreſsione vinci maluiſſet: hic mihi res eſt cum portentis neſcio quibus, quos neq; S.P.Q. ipſius Romani iudicium, neq; pudor vllus, neq; ius aliquod ad æquitatem animi traducat, ſed ſuus furor, ſua immanitas ad latronum gladiatorumq; conſilia præcipites agat. Eò ſane factum eſt, vt non ad te modo & M. Antonium Michaelem pluribus verbis ſcripſerim, Sed Venetias etiam ipſis obtrectatorib. meis in eandẽ ſententiam reſcripſerim. Nec enim aliam profectò, quemadmodũ me ab iſtorum calumnia vindicarem, rationem inire potui, niſi tu fortè à me nullũ meæ in nomen Italum beneuolentiæ ſignum datũ velles, ne tum quidem, cum me iſti in crimen inuidiamq; iterum vocarent. atqui ocium tuum huiuſmodi cogitationib. perturbari nollem. Sapienter hoc tu quidem & amiciſsime præcipis, verum nõ me tam ſollicitum ea res

habuit:

habuit, quā tu tibi perſuades. Ita enim vitā meā iam pridē inſtitui, vt nihi mihil magnopere metuendū, neq; adeo in malis numerādum, quod quidē à culpa abſit, exiſtimem. à qua culpa, cum abſim, hac certe in re, quàm qui leuiſſime, non tam moleſte iſtorū calumnias accipio, quàm tibi nonnunquam videor ferre. Omnino eo ſum animo, quo tu eſſes, ſi te in eum fortuna caſum demiſiſſet: vt aut iniuriam ferendo impius, aut crimen diluēdo timidus querulusq; haberere. Quæ ſane cauſa fuit, vt iſtos de me impune cōcionari nollē. Equidē in cæteris cauſis facile tacere poſſum: ſimul ac vero quis voluntatē meam, tanquā à vobis alienā, atq; (vt iſtorum verba ponā,) Italiæ infeſtam, populari odio ſubijcere conabitur, non diſſimulabo contumeliā, neq; ſanè committam, vt taciturnitatē meam iniquus interpres conſcientiæ aſſignet. Quid enim? Si quis me quaſi de religione male ſentientē publicæ inuidiæ obijciat, tacendum mihi putabis? Non putabis opinor. quare nec iſti, cum me contra Italiæ dignitatē omnia tum facere, tū dicere calūniētur, id quidē tacitū tulerint. Scitum eſt enim illud iureconſultorum, Qui tacet, fatetur, confeſſus pro iudicato habetur. Purgatū me tibi quidē, imo vero ne in ſuſpitionē omnino neq; apud te, neq; apud tui ſimiles vnquā veniſſe certo ſcio. ſed nō aliter

tamen

tamen exulceratis cæterorum animis mederi poſſum, quàm ſi aut falſa ea eſſe oſtendã, quæ in me conferuntur, aut iſtos qui ſe Italiæ dignitatẽ atq; Pop. Rom. maieſtatẽ aduerſum me tueri gloriantur, omni cura diuturnaq; ſollicitudine liberaturus Lerinã commigrẽ. Quocirca à te peto vt te meo vel dolori, vel ſi mauis timori, æquũ iudicẽ præbeas: ſi & me olim Romæ temeritatis dãnare ſolebas, quod imperitæ multitudinis minas inſidiasq; fortiter contemnerem: & ea noſtra eſt cauſa, vt pium meum ſilentium in contrariam partem facilime rapi poßit. Neq; tamen eſt, vt ſupra ſcripſi, quod ſtudia mea his contentionibus interpellari metuas: quando nullam in eo iacturam, nõ nihil etiam fortè lucri, in exercendo ſtylo fecimus. cuius ego te rei teſtẽ laudare poſſum, ſi modo vera ſunt quæ de acceſſionibus in ſcribendo noſtris epiſtolæ tuæ conſignaſti. Quod ſi me nõ tam præſenti iudicio, quàm reliqui tẽporis expectatione adductus, ad ſummam cohortari voluiſti, tamen mihi bene ſperandum eſt. vt enim illa literarum tuarum particula, qua te mihi fortitudinis præceptorum præberes, omnẽ animi mei metum, ſi timidus eſſem, abſtergere potuiſſet: ita admonitio & adhortatio illa tua τὰν τῶν τῶν γραμμῶν vrget, rem non habere modo facultatem, de quo quidem dubium mihi diu

fuit

fuit, ſed nobis etiam vt volumus & optamus aliquando proceſſuram oſtendit atque pollicetur. De Mariano Caſtellano quod feciſti, eſt id mihi tam gratum, quàm quod gratiſsimum. Sed maximo me certè gaudio cumularis, ſi hominem mea cauſa omni humanitate comitateq́ꝫ tua quàm honorificentiſsime complectendum ſuſceperis: id eſt, re, verbis, vultu deniqꝫ expreſſeris, & quàto tibi ſtudio dignitatem eius coràm commẽdarim, & quàm tu illum meis etiam literis habeas commendatum. Pari velim liberalitate Laelium Maximũ comprehendas, virum mihi & familiariſsimum, & illa meorum temporum nouitate probatiſsimum: de quo tecum hoc breuius ago, cùm quod de homine tibi non prorſus ignoto ſcribo, tum quod ſi quo ſum in hominibus amicisq́ꝫ deligendis iudicio, cõfido eum ſe tibi ſua ſponte ſatis eſſe commendaturum, vel iam potius eſſe commẽdatiſsimum. Quod ſi ita eſt, peto à te, vt ad id quod ipſius cauſa iam vis, addas cumulum commendationis meæ: ſin autem tibi aut propter verecundiam ſuã, aut propter occupationes tuas, nondum ſatis eſt cognitus, ſic eum tibi commendo, vt virum optimum, hominem honeſtiſsimum, eundemq́ꝫ neqꝫ à ſtudijs noſtris abhorrentem, neqꝫ amicitia tua indignum, ab homine perneceſſario commendari par ſit.

Cum has ad te dabam: & conſilium peregrinationis, de qua ad te antea ſcripſi, depoſueram, neq; Marinum Georgium adhuc conuenerã, quẽ tamen ex Boulduci oratione, nihil non tua cauſa in rem eam facturum intelligo. ſed id erit alterius epiſtolæ argumentum. Flauio noſtro & Fondulo literas, quas in eundem cum tuis faſciculum conieci, reddendas curabis, & meis verbis ſaluere communeis amicos iubebis. Vale. Ex Vrbe Patauio, 16. Calend. Octob.

CHRISTOPHORVS LONgolius Octauiano Grimaldo S. 22

Crebras aduentus tui expectationes Lazarus Bonamicus nobis commouit, qui te quotieſcunque iſtinc rediſſet (redibat autem ſeptimo quoq; ferè die) huc animi cauſa propediem exiturum nunciabat. Qua quidem opinione, me iuſtum iam menſem Patauij continuiſti, Venetias ſtatim cogitantem. Nunc verò cum tu minus ad nos, nos ſcilicet accurremus ad te Calẽdis, aut poſtridie. Tu fac ſint omnia ad eum diem parata, ſed non vt antea, cum te morum magiſtro atq; etiam medico vtebar. Iam enim ſi neſcis, & morbum olim depulimus, & in aduerſarij noſtri Epicuri caſtra tranſiuimus: explorator, an transfuga, nondum habeo dicere. Sed tamen hoſpi

hoſpitem expecta, qui tibi domi tuæ nihilo mi nore indulgentia tractãdus ſit, quàm Vibius Pacciacus M. Craſſum Cinnanis temporibus in ſpelunca deliteſcentem accepit. Rides? Atqui certe ſpero hoſpitium tibi noſtrum non minus glorioſum aliquando fore, quàm illi, quod exulem ſuſcepiſſet Craſſum, fructuoſum fuiſſe ſuſpicamur. Hoc aſperſi, vt me Epicuri epiſtolas quoque perſidenter imitatum intelligeres: qui ad Idomenæum Regis Perſarum præfectum Græce quidem, ſed in hanc ſententiam ſcripſit. Si gloria tangeris, nobiliorem te epiſtolæ meæ reddent, quàm omnia iſta quæ admiraris, et propter quæ te vulgus ſuſpicit. Sed vt ad id quod inſtitui redeam: decreui paucis iſtis, quibus tecum futurus ſum, diebus, omni prorſus abiecta literarum cura, animiq́ ſollicitudine depoſita cum natura in gratiam redire, id eſt, genio, quem quinq; ipſos menſeis miſere defraudaui, aliquando tandem indulgere, quod me ita demum ex animi mei ſententia facturum confido, ſi tu nobis quàm libenter cœnas facere ſoles, tam diligenter etiam lauteq́; cubile inſtruas. Sed hæc coràm liberius, liceat modo iſto venire. Vale. Ex vrbe Patauio, quinto Calen. Octobris.

CHRISTHOPH. LONG. Hieron. Fondulo S. 23

QVod nihil ad te iamdiu ſcribo, caue id aut obliuione tui fieri putes, qui mihi hæres in medullis: aut contemptu, quem Virum eſſe bonum & doctum ſemper iudicaui: ſed Vel certa mea pigritia, quam in hoc ocio contraxi, Vel nimia inter nos familiaritate, qua me, pluſquam mihi per te quidem liceret, Vſum perſpicio: Vel certè quòd eius generis tuæ ſunt literæ, Vt nullũ mihi epiſtolæ argumentum ſuppeditent. Equidẽ eo ſum ingenio, Vt non temerè literis Vtar, niſi quid eiuſmodi mihi occurrat, quod aut mea aut ipſius ad quẽ mitto, ſcribi interſit. Itaq; cùm de pueri mei diſceſſu certiorem me feciſſes, ſtatim quidẽ reſcripſi: ad cæteras tuas nõ item, quod nullam mihi reſcribendi materiam aut ſententiam, attuliſſent, neq; Verò in rebus meis quicquam eſſet noui. Atq; tuas equidem lego libentiſsimè: ſed me planè pudet, meas ad te inanes remittere, præſertim plebeis & quotidianis Verbis cõtextas. Sic tamẽ quod minus amice à me factum quereris, id mihi abs te amice ignoſci Velim. Nõ committam poſt hac Vt in hoc genere officium meum deſideres. Tu modo da operam, Vt quod ſcribam ſemper à Vobis habeã. Hinc enim nihil expectes, quod ſit aut ſcriptione, aut lectione magnopere dignum. Vale.

CHRISTOPH. LONG.
Gul. Budæo. S. 24

QVàm ſis occupatus, etſi tu nihil ea de rè ad me ſcripſiſſes, id tamen profectò vel tuarum literarū breuitas, vel locus ipſe vnde illas mitteres, mihi ſatis ſignificaſſet. Memini enim quam multis mecum ſis agere ſolitus, ſiquando ociosus ex Marliano tuo, aut etiam Pariſiorum Lutetia ad me ſcriberes. Itaq; velim ipſe quidem occupationum tuarum rationem habere, ſed nondum mihi plane iudicatum eſt, grauler ne tibi genus iſtud vitæ, an artium potius noſtrarum ſtudiorumq; vicem doleam. Eodem enim tempore, & tibi præclarum eſſe video ſingularem iſtam tuam tum virtutem, tum doctrinam non iam latere in tenebris, ſed illuſtri & excelſo loco ſitā, in luce Galliarum ac regni clariſſimi cœlis auribusq; verſari: & literis noſtris multum præſidij ornamentiq; detrahi, cum te ab ijs auerſum, ad gerendam Remp. traduci intelligo. Poteris tu quidem, qua es apud principem tuum vel autoritate vel gratia, doctos aliquot & literatos homines ſubornare, ſtudia noſtra, quæ per te illuſtratum iri ſperabamus, non item certè tueri poteris. Sed quando nec quidnam potiſſimum ſecutus, regiam fortunam literarum conſcientiæ prætuleris, nec

quid iſtic muneris ſuſtineas, nec quamdiu in regio comitatu ſis futurus adhuc ſcio: erit hæc nobis alterius epiſtolæ argumentum, diſputatio. Facere tamen non poſſum quin gaudeam, te talem virum à tanto rege in amicorum cohortem eſſe accerſitum. Spero enim, vel confido potius te, qui cum natura ipſa ſis prudentiſsimus, tum etiam doctrina multa atq; optimarum artium ſcientia egregie eruditus, & liberis tuis conſulturum, & dignitatem tuam apud iſtum obtenturum eſſe. Nam de animi tranquillitate atq; illo cui à pueritia aſſueuiſti ocio, nihil facile auſim affirmare, niſi fortè per principem ipſum artem tibi deſinere aliquando licebit. Enimuero, ſi bene te cognitum habeo, non ſanè poſsis etiam vt velis, ſine literis viuere, quarum cum nobis vberrimos fructus proferre expiſſes. Sed tum demum ad te de meo ſenſu perſcribam, cum tu me hoc de genere toto, & iſtius tui inſtituti ratione certiorem feceris: non equidem, vt ipſe tibi conſilium dem, quo tu planè abundas quodq; tibi ſapientiſsime captum eſſe ſcio: ſed quia mihi tum deniq; tecum eſſe omnino videor, ſi aut literas tuas lego, aut aliquid ipſe ad te ſcribo. Interea quod inter nos agi, & ex ſententia mea (vt ſpero) per te confici poteſt, agam. Fran. Rubrius miſſus à rege Francorum ad Venetos

lega

tus, Principi ſuo concinnandas curauit tabulas, quibus via iſtinc Byzantium vſque docte deſcripta, egregieq́ depicta contineretur. ideo fecit, opinor, conſilio, vt ille quem Græcia regem à Pont. Maxi. appellatum eſſe contendit, regionum illarum quaſi conſpectu admonitus, Græciam ſibi prouinciam aliquanto maturius, quàm id futurum ſperetur, decerneret. Res eſt quidem, vt vides, cum ad tantum bellum imperatori in primis neceſſaria, tum mehercule, vt audio, etiã per ſe cognitu aſpectuq́ digniſſima: ſed multo tamẽ Principi iucundior futura, ſi teſtimoniũ iudicij tui acceſſerit. Quod quidẽ ille proſpiciens, neq; ſanè dubitans quantum mea cauſa velles, egit mecũ per literas, vt ſe tibi eo potiſſimũ nomine commendarẽ. Nec Venetijs quiſquam eſt Fr. Rubrio mihi amicior mi Budæe, nec ſanè alius qui me æquè tueri et autoritate ſua ſiquid accidat, ſaluũ incolumemq́ præſtare poſſit. Quare mihi gratiſſimũ feceris, ſi in ea re homini ita cõmodaris, vt intelligat hanc commendationẽ magno ſibi vſui fuiſſe. Id autẽ facillime aſſequeris, ſi munus eius verbis tuis ornaris, ipſeq́ etiã aliquod vocis tuæ teſtimonium dederis. Hoc vt facias, nõ mea tantum cauſa, ſed tua etiã, te vehementer rogo. Summo enim ſplendore hominem, eundemq́ gratiſſimum, nec à ſtudijs noſtris abhorrentem,

& neceſſitudine tua digniſſimum tibi non multo tuo labore in perpetuum deuinxeris. Lazarus Bayſus, quem in iſto comitatu frequentem iam eſſe ſcribis, is eſt quem tibi olim Græce commodabam: Adoleſcens noſtrarum artium ſtudio mihi tum quidem coniunctiſſimus, ſed nunc valde lautus, qui grauetur ad me ſcribere. Parũ ſcilicet diuturno aulæ vſu profecit, qui diligẽtiæ vrbanitatisq́ꝫ ſuæ inter eos homines ſit oblitus, apud quos cæteri vel natura tardiſſimi, non impigri modo & humaniſſimi redduntur, ſed nullo etiam maiore negocio ad aſſentationem nonnunquã erudiuntur. Atqꝫ id in ipſo eo magis ſum miratus, quod cum vnà Romæ eſſemus, præclaras illas quas tu in aſſe tuo iſtiuſmodi hominum generi deſcripſiſti leges, ita probabat, ita de ijs laudabat, ita nunquam de manibus ponere atqꝫ conterere, vt ad earum omnino præſcriptum iſtic victurus videretur, Ego certè cum præcepta illa tua iam explicare, atqꝫ ita expromere arbitrabar, vt te, quo tum magiſtro vtebatur, diſcipulum redderet. Extra iocum mi Budæe, aut tu de rationibus eius ad me aliquid mittas oportet, aut facias quidem vt ipſe quemadmodum rem ſuam gerat, nobis ſignificet. Cùm enim à te diſceſſi, quem iſtic pluris faciam habeo planè neminem. Ille porrò epiſtolarum tuarum nuper

editas

editus liber, quantum me diligis, vel potius quantum te à me ſcis obſeruari, tantum quaſo cura, vt ad nos primo quoq; tempore perferatur. Caue ſumptui eam in rem parcas. Ego enim cùm quicquid tabellario dari iuſſeris, numerabo, tum verò etiam magnum abs te beneficium me accepiſſe iudicabo. Io. Fratris tui filium, atq; huius ipſius conſobrinum Mauritium Eu iodum, non expectabo dum vel tu, vel parẽtes eorum mihi commendent: diliguntur à me propter ſummam eorũm humanitatem & obſeruantiam. Budæus etiã, quod earum literarum ſtudioſus eſſe cœperit, quas tu maxime probas, hoc eſt Græcarum, nec id ipſum tamen meo hortatu, aut ijs horis quas iuris prudentiæ ſtudium ſuo ſibi quaſi iure vendicat, ſed tum ſua, mihi crede, ſponte, tum eo tempore, cùm cæteri feriantur & ceſſant. Veritus eſt, credo, maximi & planè ingenui animi adoleſcens, ne tu vnus fuiſſe dicerere, qui nouum hoc decus in familiam tuam intuliſſes. In familiam autem? imò verò in ciuitatem, atq; adeo Galliam vniuerſam. Nam quin primas omnium ſententia omnem in partem referas, nulli iam neq; integrum eſt, neq; dubiũ. Ambos igitur omni ratione hic tueor, & ſiquid opus erit, eorum quoq; tenuitatem facultatem mearum anguſtia ſuſtentabo. Hoc

te idcirco latére nolui, ut parentes eorum per te ſciant, me beneuolentiam memoriamq́; quam ipſis debeo, liberis eorum præſtare. Volo enim mi Budæe ſi quis alius, & eſſe & haberi gratiſſimus. Vale. Ex urbe Patauio, Non. Decembr.

CRISTOPH. LONG.
Ant. Marcilio. S. 25

I*Nſtitueram Ferialibus ad te ſcribere, cum mihi in mentem ſtatim uenit, eum diem etiam maioribus noſtris religioſum fuiſſe, quanquam mehercule, ne tum quidem quod ſcriberem occurrebat, niſi te mihi eſſe chariſſimum: quod te, uel tacente me, certo ſcire non dubito. Scribebam tamē, idq́; eadem omnino qua etiā nunc de cauſa, ut uel in eo quod tibi iſtinc proficiſcens ſum pollicitus, fidem meam liberarem. ſum autem pollicitus ſimulatq; Patauium appuliſſem, me aliquid literarum ad te daturum. Vel te quoq; ad exolutionem promiſſorū, quibus te mihi obſtrinxiſti cohortarer: nō quòd de cōſtantia tua dubitem (ſcio enim te hominem eſſe certiſſimum) ſed quia incredibili cupiditate ardeo eiuſce rei quam tu mihi & tantopere commendaſti, & te ex animi noſtri ſententia confecturum affirmaſti. Venies igitur ad conſtitutum, neq; prius tamen, quàm mādata noſtra iſtic diligenter curaris: imò uerò quod agis, perfeceris. perficies*

cies

ties autem ſi cùm quanti te faciam meminé ris, tum verò tantum in eo induſtriæ quantū mihi coràm recepiſti poſueris. quod vt facias, non es tu mihi quidem vehementer rogandus qui te omnia mea cauſa & velle & cupere exploratum habeo. Illud tamē tibi velim perſuadeas ſi te mihi in eo morem geſsiſſe intellexero, te inde nihilominorem, quàm ipſum me voluptatem eſſe capturum. Omnino ſi officia in me tua cumulo iſto auxeris, & me planè beaueris, & hominem gratiſsimum tibi deuinxeris. Cura vt valeas: nos enim ita, vt cum maximè, & valemus & in ſtudia noſtra incumbimus. Ex vrbe Patauio, quarto Non. Nouembris.

CHRSITOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 26

ETſi ſtatueram nihil ad te literarum dare, niſi tu mihi epiſtolæ argumentum aliquod ipſe præbuiſſes, tamen cum ad Ant. Marcilium, hominem vtriuſque noſtrum ſtudioſiſsimum, ſcriberem, putaui aliquid etiã ad te literarum eſſe dandum, ne ſi nihil tibi miſiſſem, pluris à me inſtitutam nuper cum eo amicitiam fieri exiſtimares, quam tuam: haud ita multis quidem annis illam, ſed innumerabilibus certè tuis erga me officijs confirmatam. Itaq; breuitati mearum literarũ

igno

ignoſces, & ſi pleniores eiicere voles, ſcripto me aliquo laceſſes. ſum enim eo ingenio, vt ipſe multo libētius faciliusq́ reſcribā quàm alios appellem. quod quidem & iſtic, & per literas me tibi teſtari memini. Saluta meis verbis Ioan. Machlinienſem gemmarium: atq́ vt ſignatorium annulum, quem ei faciendum locaui, quàm primum mihi curet, commonefacito. Vale.

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 27

I*Ampridem nihil ſcribo, quod multò auidius nummorū aliquid iſtinc expectem, quàm vos vllas hinc literas. ſed quando deſiderium tui diutius ferre non poſſum, quod quidem mihi tum deniq́ lenire videor, cum ad te ſcribo: nec tu quicquā tam longo interuallo ad me, ego ſcilicet ad te aliquid mittā. Fui Venetijs dies amplius quindecim, quos ipſos partim cū Octauiano Grimaldo in vrbe partim cū Andrea Nauagerio noſtro Murani ſumma cum voluptate traduxi. Huius in ſuburbano, cū hortus ipſe grato nobis ſpectaculo fuit, ita dimēſus & deſcriptus, vt omnes tum pomarij tum ſeminarij arborum ordines in quincuncem dirigātur, & exquiſitiſſimo ambulationum topiario opere latera eius decumaniq́*

cumaniq; limitis cameræ conueſtiantur: tum verò omnem expectationem meam vicerunt mali aſſyriæ plurimæ, ſuis quæq; interuallis diſcretæ, & in certum quoq; ordinem digeſtæ: quas eundem Nauagerium noſtrum paucis ante menſibus ſeuiſſe audiebam, atque incredibili quadam celeritate ſolertiáque ad frugem perduxiſſe fructu mehercule lætiſſimo. etenim cuius aſpectu nihil ſit pulchrius, odore ſuauius, guſtatu iucundius, varietate autem atq; magnitudine admirabilius. Delectatur enim etiam agricolarum voluptatibus, ſed his honeſtioribus: & qua diligentia artes noſtras colit, eadem profecto cum horto ſuo rationem habet. Sed vt ad cõiunctiora nobis veniam, ſcito vt primùm Patauium veni, perſpexiſſe me, quantum vel gratia, vel autoritate apud Marinum Georgium valeres. Accerſiuit enim ille me ſtatim honorificẽtiſſime, opesq; ſuas in tuenda vel ſalute vel dignitate noſtra omneis mihi pollicitus eſt liberaliſſime. facturum puto, nam de te mirifice & ſentit & loquitur, neq; à ſtudijs inſtitutisq; noſtris tam abhorret, quàm vulgò hominum opinione exiſtimatur. Amoris erga me ſui argumẽta n̄ obſcura cum iã dederit, tum certè ab intimis & neceſſarijs eius ita obſeruor, vt & me amari putem, et ipſius merito hic tibi gratias omnino acturus fuerim, niſi omnem ex

noſtra

noſtra neceſſitudine gratiarum actionem ſublatam eſſe voluiſſes. Velim tamen illum certiorem facias cum mihi officium ſuum fuiſſe gratiſſimum, tum me etiam ſibi gratias apud te egiſſe diligentiſſime. Atq; ne tu quicquam rerum mearum ignores, eadem hic nunc eſt vita ocij, noſtri ratio, quæ æſtate proxima fuit: niſi quod aliquot noctis horas aſſumimus, ac per anni quidem tempus iam & liberalius exercemur, & in ſtudia noſtra acrius incũbimus quæ quidem ſtudia, quo etiã alacrius tueri poſſimus, da (quæſo) operam vt pecunia nobis curetur: aut certè vt intelligam, quare ad eam Flauius nondum peruenire potuerit. Iam quartam hanc epiſtolam ad te do cum tu adhuc ne ſchedulam quidẽ. quinta ſi te oppreſſerit, ne mihi longi temporis vſuram longiore epiſtola dependes, Vale. Ex vrbe Patauio, Calend. Decembr.

CHRISTOPH. LONG.
Bern. Sandro S. 28

SI vales bene eſt, ego quidẽ valeo. Pluribus verbis tecum agam, cum plus ocij nactus fuero. Nunc Nicolao tuo ſatisfacio, qui mihi literas tuas hodie reddidit. is enim ſimulatq; nobis operã ſuã mihi iam eſſe opus intellexit, iſtuc ſe ſtatim recipere velle oſtendit: cum in ipſum planè ſtudiorum meorum curſum incidiſſet,

cidiſſet, quem quidem vt ſcribundis literis interpellarem, nulla vnquam ratione adduci potui. Nam, ſi neſcis, ita ocij mei rationem inſtitui, vt ſeptimo quoque demum die exarandis dictandisve epiſtolis Latinis vacem: reliquum tempus omne, Græcis & grauiorib. literis conſumam. Itaque epiſtolæ noſtræ breuitatem ne ſis admiratus, multo verò minus inelegantiam: quãdo neque accurate ſcripta eſt, & plebcio ſermone tecum agimus. Quare autem Nicolaus commendatione tua apud me vti non potuerit, ex ipſo cognoſces. Reliquum eſt, cum vt ſalutem meis verbis referas plurimam, & Fr. Bragadeno, & cæteris communibus amicis: tum verò, vt has ſtatim ab earum lectione conſcindas, aut certè ne cõmittas, vt à quoquam legi poſſint, qui de ingenio doctrinaq́; ſtudioſorum ex vnius alicuius epiſtolæ lectiuncula pronunciare ſoleant. difficile eſt eloqui, & iam ſuſpicari potes quos ſignificem. Vale. Ex vrbe Patauio, Non. Nouembr.

inſcribendæ epiſtolæ, qua tu ad me vſus es, mihi quidem non ſatis probatur ratio, etiam ſi eas Alcyonium noſtrum perſæpe vſum eſſe exploratum habeo. Sed hæc coràm.

CHRISTOPH. LONG.
Lælio Maximo S. 29

Fecerunt

FEcerunt P. Bembi literæ, quo minus te mei prorſus oblitum eſſe exiſtimarem. Salutem enim mihi tuis verbis attulerunt. Tu ne verò, qui vſq; in vltimam Britanniã, anno ſuperiore literas ad me ſæpe dabas, iam grauaris aliquid mittere: idq́; cùm ego Venetijs iterum diligenterq́; ad te ſcripſerim, & nunc in ipſis penè incunabulis tuis viuam? Equidem poſtquam in Italiam redij, nihil à te, vel etiam de te, prætequam ex P. Bembi, & Hier. Alexandrini literis accepi. Quod ſi noſtri obliuione cõmiſſum eſt, curabo vt prius iſtuc aduolem, quàm totus tibi excido. Sin te ſcribendi argumentum aliud deficit, perſequere res Vrbanas, non illas quidem quæ ad Pont. Max. aut Pontificij Senatus aliquem pertineant (multorum enim literis, nuncijs, rumore denique ipſo ea nobis haud obſcure nunciantur quotidie) ſed planè ciuium Rom. & eorum qui docti iſtic numerentur, actiones perſcribe. Nec enim neſcis, quàm ſim curioſus, quamq́; omnibus peregrinantibus iucundum ſit, etiam minima, quæ domi gerantur, cognoſcere. Ante menſes quinque legit mihi quidem binas tuas ad ſe literas Hier. Alexandrinus, Græcas alteras, alteras Latinas: in quibus cum alia de rerum tuarum ſtatu diligentiſſime ſcriberes, tum tibi duas à me Venetijs redditas eſſe epiſtolas ſignificares.

res. Verum id à me ſcribi oportuit, cuius maxime intererat de rebus noſtris abs te certiorem fieri: tum præſertim cùm Marianus Caſtellanus mihi diplomata illa quibus in ciuitatem aſciſcebat, mitteret. Sed planè ad inimicos olim noſtros, nunc meos defeciſti, ac prodita cauſa, quam tanta contentione egeras, ex patrono factus es accuſatorum ſubſcriptor quod cùm alijs indicijs multis facile perſpicio tum verò quod & adhuc tam pertinaciter taceas, & delatoris noſtri mortem lacrymis carmineq́; tuo adornaris. Sed iam ſatis iocati ſumus. illud ſerio vehementerq́; à te peto, facias ſciam, quid iſtic rerum agatur, quam tu rationem vitæ tuæ inſtitueris: quod ſanè ſine ſumma ſollicitudine neſcire non poſſum. Nam de me ex P. Bembo cognoſces, qui cùm ſenſus meos tenet omnes, tum à me de rebus meis quàm ſæpiſſime fit certior. de te verò, quem hic rogem, habeo planè neminem. Saluta mihi Corytium, cui quod quidem potui in hac defenſionum mearum editione teſtimonium dedi Vale, & me, vt facis, ama.

CHRIST. LONG. FLAuio Chryſolino S. 30

SAutem mihi hodie tuis verbis Fr. Capoliſtius dixit: ſimul & quàm multi, quāq;

illuſtres de me ſermones ſumma mea cum laude abs te iſtic habiti eſſent, commemorauit. Id ego enim cùm ſumma nobis eſſe voluptati oſtendiſſem, neque tamen aut nouum tibi, aut inexpectatū mihi eſſe ſignificaſſem, vt tu de me amantiſſime vel ſentires, vel honorificentiſſime loquerere: egit idē mecū vt ſibi officij ſui teſtimonium aliquod apud te darem. Qua quidem in re quando ei morem à nobis geſtum eſſe vides, velim contrà illum ſcire ex te, me id diligenter feciſſe. Nam ad exiſtimationem noſtram magnopere pertinere arbitror, vt homines, me vel minimis in rebus & memorem eſſe & gratum intelligant. Quod vt facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, Patauij Non. Febr.

CHRISTOPH. LONG. Fl. Chryſolino S.

31

VEllem aquè facile ex meis literis, quāti apud me ſis perſpicere poſſes, atque ego ex tuis, quàm me valde amares cognoui, complecterere. quod ipſe quidem de te feci, abſentem animo: hanc verò epiſtolam etiam exoſcularere. Nec enim eo es ingenio, vt aut in amore te vinci velis, aut quando amicum coràm non potes, animum certè eius cogitatione complecti nolis. Equidem exponere tibi non poſſum, quantum voluptatis ex literarum

tuarum

tuarum lectione ceperim. neque id vero, ea ſola de cauſa, quod ſupra omnem expectationem meã facetæ elegantesq́; mihi viſæ ſunt: quanquam tam felix in ſcribendo induſtria, tuum erga me ſtudium vehementius comprobauit: ſed quod etiam illum morum tuorum ſuauitatem ita expreſſerunt, vt mihi tecum eſſe, & collocutionum tuarum humanitate præſens ipſe frui planè viderer. ſimul et quod in mentem eodem tempore veniebant innumerabilia tua in me vel præſentem, vel abſentem officia: quorum quidem memoria mihi adhuc tam iucunda eſt, quàm ea ipſa cum ibidem, tum Venetijs grata extitiſſent. Atqui huius neque eſt loci, neque temporis, quàm ipſe de me bene ſis meritus commemorare. tantum habeo, nullas mihi iſtinc redditas eſſe literas neque gratiores tuis, neque iucundiores: in quibus cum ceſſationem tuam apud me tam multis excuſas, perinde ſanè facis ac ſi te mihi eo religioſe purgares, quod mihi gratias tum non egiſſes, cùm ego abs te beneficium accipebam. Equidem niſi mihi perſpecta eſſet animi tui ſingularis cùm ſimplicitas, tum moderatio, putarem me abs te huiuſmodi excuſatione accuſari negligentiæ quaſi ipſe officio functus non eſſem, qui nullum prorſus grati animi argumentũ tibi adhuc præbuiſſem. quod ipſum, quo minus

h'; a: adhuc:

adhuc per literas præſtiterim, id quidẽ cauſæ fuit, quod cùm occupationibus tuis libenter fauebam, tum amicitia noſtra indignum eſſe ducebam, vt tu pro opera, à me verba acciperes. Tametſi amicitia noſtra, paucis, vt tu quidem ſcribis, menſibus iſtic inſtituta ſed mehercule & multis tuis in me beneficijs & incredibili meo erga te amore confirmata, facilè pati poſſit, apud alterum plus officij reſidere, modo ne alter neque tuendæ amicitiæ voluntate, neque accepti beneficij memoria vincatur: quorum ſanè neutrum vt in me deſideretur perficiam. Quod autem mihi de defenſionum noſtrarum libro gratularis, facis id tu quidem amice, & ego mehercule ipſe mihi plurimum eo nomine gaudeo: ſed non propter eam facile, quam tu fortaſſe ſuſpicaris cauſam, quod doctorum hominum iudicio plurimum oratoriæ tum elegantiæ, tum dignitatis præ ſe ferant: id enim ipſe mihi vix perſuadeo, quando ne mihi quidem in eis ſatisfacio, qui tamen ſcripta mea aſpernari non ſoleo: ſed quod eius libri editione partim certorum hominum improbitatem fregimus, partim exulceratos multorum animos ſanauimus, partim bonos & doctos omneis ad cauſam adiunximus, atque adeò vti eis, nobis deuinximus. Quod ſi ita eſt, eſt quod ipſe mihi planè gratuler, nec minoris tanta

talium

talium virorum ſtudia, quàm Romanam ipſam ciuitatem faciam: qua quidem quo me non eſſe indignum demonſtrarem, illas ipſas defenſiones planè conſcripſeram. Donati ſunt quidem alij ciuitate multi: qui verò tanto bonorum omnium conſenſu, tanto doctorum hominum iudicio, ea dignus habitus ſit, alterum non ſanè reperies. Atqui hoc in genere, ea mea cauſa eſt, vt quid ipſe ſentiam libere exponere non poßim. Quare quod ad te attinet, illud tibi perſuadeas velim atque exiſtimes, habere te fortaſſe multos aut beneficiorum magnitudine, aut aßiduitate, aut vetuſtate tecum coniunctiores quàm me: ſtudio, beneuolentia, amore neminem: idq́ non tam propter tuas, quas ad me tum humaniſsime, tum honorificentiſsime ſcripſiſti literas, quàm quod planè ingratus ſim & mei diſsimilimus, niſi te mea ſponte amem plurimum, qui cum me ſemper feciſti plurimi, tum nihil ad excolendam confirmandamq́ noſtram amicitiam reliqui. Cura vt valeas. Patauij, prid. Idus Iul.

CHRISTOPH. LONG. Iac. Sadoleto S. 32

Miſſurus tibi Gul. Budæi epiſtolam, facere non poſſum, quin ipſe quoque dem aliquid ad te literarum: quanquam quod ſcribā non ſatis occurrit, niſi hic tibi fortaſſe

vis tua in me beneficia vt commemorem. Atqui huius commemorationis te, vt puto, iam cepit ſatietas: me quidem iam pudet, in ea toties habenda gratia elaboraſſe. quam ne cogitatione quidē vlla conſequi poſſum. ſimul & illud vereor, ne hæc tibi nomine in aſſentationis ſuſpicionem veniam, quaſi frequens hæc tuorum erga me meritorum prædicatio non officio, ſed tempori tribuatur. Non commemorem? quid igitur ſcribam? aut qua me tibi nunc quidem via memorem gratumq́ue oſtendam? Sic ſcilicet faciam poſthac tum denique ſcribam, ſiquid erit, cuius te certiorem per me fieri oporteat. nam quin tibi ſtudium, beneuolentiam, obſeruantiam, quam debeo vel abſens praſtē, te non dubitare certo ſcio. Scribo equidem ad nonnullos iſtic, etiam cum nihil eſt opus, ſed ad eos omnino quibuſcū mihi aut domeſtici vſus, aut familiaritatis aliquid intercedit: te iſta grauitate, dignitate, doctrina virū, iſtis occupationum quaſi fluctib. obrutum hominem, crebrioribus literis interpellare nō audeo. Tu modo fac me ames & valeas: nos enim ita vt cum maxime. tum & amamus & obſeruamus, tum verò valemus, & literis noſtris vtimur: eo etiam ſanè conſilio, vt tibi ocij noſtri rationē per ocium aliquando reddamus.

CHRIS

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 33

QVod ſuperioribus literis futurum prædixeram, id nũc ſcilicet accidit: quinta te iam epiſtola oppreſſit, nec tu literã adhuc, aut omnino numum. Atqui ad te ſcribendi nuper mihi in eo prora (vt aiunt) & puppis fuit, vt aliquid vel literarũ elicerem, vel pecuniæ exprimerẽ. Nunc quãdo vtrunq; adhuc deſidero, quo hic me tandẽ animo eſſe cenſes? præſertim qui neq; vtrum literas meas acceperis, neque de pẽſione Cal. Nouembr. quid actum ſit ſciam. Verum poſtremũ hoc leuius ferendum: illud mihi nulla ratione diſſimulãdum. quod hac tua ſcribendi intermiſſione de ſalute tua ſollicitus eſſe cœpi. quæ quidem ſalus qua mihi pecunia non antiquior? Vale. & ſi me amas, cura vt me Flauius, quemadmodũ tecum agatur, primo quoq; tempore faciat certiorem. Reſcripſit iam tandem Budæus ad collegæ tui literas eius epiſtolam ad te mitto: fac vt ea Sadoleto noſtro quàm primum reddatur. Salutem Colæ noſtro. Lazarus Bonamicus, quo Steph. Saulius tum in Latinis, tum in Græcis literis vno vtebatur, migrauit Bononiam: ſtudiorũ ne cauſa, quod quidem ipſe affirmat, an verè vt Laurẽtij Campegij liberos inſtituat, nondũ planè

exploratũ habeo. Hic mihi tu velim memineris eorũ, quæ ad te XVI. Calẽ. Octobr. ſcripſi, non quo quicquam timeam: cõfirmaſti enim: tu me, & planè ſum cùm animo magno, tũ etiã ſpe bona, præſertim cum firmiſsima domeſticorum noſtrorum beneuolentia muniti ſimus: ſed vt me id non temere, tum ſcripſiſſe cognoſcas. Illud item fac cogites, annũ quidẽ iam ferè eſſe, cum monitis tuis atq; præceptis adductus, earũ literarum ſtudioſus eſſe capi, quas tu maxime probas: ſed me quid profecerim omnino neſcire. hunc laborẽ alteri delegare non poſsis. Itaque longiores tuas expectabo, vel exigam potius cum te valere & vacare intellexero. Iterũ vale. Obſignabã epiſtolã hanc, cum mihi à fratre tuo redduntur eodem tempore, & literæ & ſeſtertiorũ numûm circiter duo millia: quæ me planè recrearunt, ac rationes meas iſtic abs te diligenter explicari oſtenderunt.

DECIMO LEONI PONT. Max. Principiq; Rom. S. 34

ETſi apud me dubium nunquam fuit Pr. optime, quin pro tua in omneis quidem mortaleis illa, ſed mihi priuatim etiam perſpecta humanitate, munus iſtuc noſtrũ qualecunque eſſet boni conſuleres, putaui tamen mearum eſſe partium, non id quidem verbis

exornare

exornare: quod ſi facerem, nihil ab re fortaſſe facerem: ſed in eo conſilij mei rationes tibi breuiter exponere, ne quis me vel facilitate tua ambitioſe abuſum, vel nullam omnino officij mei rationem duxiſſe exiſtimaret. Ego Pr. optime, vt primum Gallicos hoſce canes duos nactus ſum, omniũ quos vnquam mihi videre contigiſſet, cũ eximijs corporis viribus præſtãtiſſimos, tũ ſingulari in dominũ amore fideq́ admirabiles, tum verò venandi vſu exercitatiſſimos: rem ſtatim omnino eſſe exiſtimaui, nõ priuata modo conditione maiorẽ, ſed quæ etiam eum maxime deceret principem, qui tanto cæteris dignitate hominibus præſtaret, quãto hi reliquas ſui generis animantes & decora corporis ſpecie, & generoſi ſpiritus virtute anteirent. Neque verò illud me deterruit, quod res parum digna tanto principe videri poterat. Legeram enim Indiam petenti Alexandro, ab Albaniæ rege canem vnum, inuſitatæ quidem magnitudinis illum, ſed vnum tamen, & in quo præter vel ſegnem immanis corporis molem, vel inſigne robur nihil facilè mirarere, dono miſſum, nec minus liberaliter, quaſi dignũ quod ab rege ad regem tam longe mitteretur munus acceptum, cum in ijs quos ad te mitterẽ, non corpus tantum ad valentiſſimas quaſuis proſternẽdas beſtias validum ſpectaretur, ſed

agilitas etiam ad eas omneis, quæ velocitate cenſeãtur conficiendas egregia. Sed nec certè ineptiarum crimen extimui, tanquam Pontificiæ dignitatis rationem in eo parum haberem. Ego enim cum venandi artem ab optimo quoque & doctiſsimo veterũ in primis probatam, cæteris'q; exercitationũ generibus omnibus longè prælatã eſſe exploratũ habeo: tum verò te non tam quaſi Pont. Max. quàm vt principem Romanum, id eſt, regum omniũ planè regẽ, nobiliſsimo honeſtiſsimæ exercitationis inſtrumento digniſsimũ iudicaui. Idq; Chriſtianiſsimi Francorum Regis, à quo huc ad S.P.Q. Venetum legati miſsi ſumus, exẽplo feci: cui quidem etiam hac in re me plurimum gratificatum iri certo ſcio. Nam is cũ nihil tua cauſa nõ vult, tum etiam te à ſuis vbique plurimi fieri iubet & cupit. Quo ſanè etiã minus iam mirabere, quid mihi in mẽtem venerit, vt ego qui nec magna familiaritate, nec vlla ſanè præclara fortuna apud te commendor, & regio te munere donare, & tam familiariter ad te ſcribere ſim aggreſſus. Donandi cauſa ea eſt, quam ſuprà poſui, & quòd rex meus quæcunque tibi vel grata vel iucunda eſſe intelliguntur, ea non à ſe modò præſtari omnia, verumetiã à ſuis ſtudioſiſsimè diligentiſsimeq; curari cupiat. Scribẽdi porrò fiduciã attulit, primum cõiun-

ctiſsima

ctiſſima illa, quæ ei tecum intercedit neceſſitudo: deinde Verò etiam re mihi iam probata incredibilis illa tua humanitas, qua me ab eodem Rege, atque religioſiſſima eius Vxore ad te olim legatum, iſtic ita accepiſti, Vt ex eo tempore te non ſolum Pontificatus, quo appellaris, nomine Maximũ, ſed etiam ſingulari & planè quadam diuina bonitate optimũ ſemper iudicarim, nihilq; antiquius duxerim, quàm Vt quoque intelligeres modo, me tibi memoriam beneuolentiamq; quam debeo, adhuc præſtare.

CHRISTOPH. LONG.

Flaminio Tomarotio S, 35

IVcundiſſimæ mihi tuæ literæ fuerunt, quæ & ſummã tuæ erga me Voluntatis ſignificationem haberent, & perbelle ſcriptæ, ſpem mihi afferrent non dubiam, talem te aliquãdo fore, qualem ego te Vel ingenio, Vel diligentia tua fretus, multis futurum prædicaſſem. In ïjs quod me rogas, ad quem diem nos expectes, ego Verò id, Vt nunc quidem eſt, conſtituere nõ queo: ita multis & magnis negociorum fluctibus obruor, de quibus ad te aliquid ſcriberem, ſi eius eſſent generis, Vt literis rectè committi poſſent. Siquid tamen coniectura augurari licet, Nonis, aut certè ante

diem tertium Id. Aprilis vobiſcum ero. Tu verò, quod te in viam des hoc tempore nihil eſt. Nam neque religioſis hiſce diebus ſatis honeſta ſit cuiquam peregrinatio, neq; planè video ſi veneris, quos ex conſuetudine noſtra percepturus ſis fructus, qui tantis occupationibus diſtinear, vt vix huic tantulæ conſcribēdæ epiſtolæ ſpatium habuerim, ſed nec certe quod tibi mitterem aliud occurrebat. Cum hæc maxime ſcriberem, ecce tibi altera tua epiſtola, ſed in eandem cum ſuperiore rationem conſcripta, niſi quod te vehementer mirari ais, nihil tibi literarum à me adhuc eſſe redditum. Eius autem rei cauſam, ex ijs quæ paulo ante propoſui facile collegeris. Vale. Venetijs, Palmaribus.

CHRISTOPH. LONG. Steph. Saulio S. 36

QVod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidem cauſa fuit, quod ſcribendi argumēto deſtituerer, quo planè abundabam: ſed quia eius erant generis res, quæ literis recte committi nō poſſent, & ipſe quotidie vel potius in dies ſingulos me ad vos recipere cogitabam. Nunc vero, cum necdum à regijs negocijs ſim planè vacuus, & ea iam dies inſtet, quam hic omnino traducere conſtitueram, volui tibi conſiliorum meorum rationem

tionem per literas breuiter ſignificare, ne tu me vel ceſſationis nomine ſuſpectũ haberes, vel diutius etiam quàm par eſſet iſtic expectares. De re tua nihil adhuc conſtitutũ. tantũ enim negocij regiæ literæ & nobis & Decemuiris exhibuerunt, vt priuatorum poſtulationibus operam dare per hoſce dies neutris vacarit. ſed tamen, vt ſpero, res ex ſententia noſtra conficietur, non illa quidẽ citerioris Galliæ præfecti commendatione, qua ille inſulſa & plane gallica eſt vſus, ſed & cõſilijs noſtris & ipſius cauſæ æquitate pugnabimus. Experiemur quidem certe omnia, vt antequam hinc proficiſcamur, tibi factũ eſſe ſatis intelligas. Cogitabamus autem iſtuc aut Non. aut circiter quartũ diem Id. April. Interim vide, amabo te, vt quoad in montibus Euganeis commorabere, nequid abſentia noſtra rebus noſtris detrimenti afferat, quod quidẽ facillime conſequere, relicto domi Antonio tuo: cuius & fidem & amorem erga te ſingularẽ mihi perſpexiſſe multis in rebus ſum viſus. Sed certe γλαῦκας εἰς ἀθήνας, qui tibi conſilium dem. Libellos, quos quaſi itineris comites mecum detuleram, ſcito nulli nobis adhuc vſui fuiſſe: ſed ſarcietur tamen ocioſis his diebus ocij noſtri iactura. Rem nos eò perducturos ſperamus, quò te iam aduentare ſuſpicamur. ſic fiet, vt cum rediero, pari iugo

in

in eadē ſtudia incumbamus. Vale. Venetijs 9. Calend. April.

CHRITOPH. LONG.

P. Bembo S. 37

NVnquam forè putaui, ut aliorum prius literis de aduentu tuo, quàm abs te ipſo fierem certior, quod tamen quando præter opinionē meam commiſſum eſt, Venetias te ſaluum Veniſſe immortaliter gaudeo. da modo operam ſi me amas, Vt ſtatim intelligam, hicne te, & quando expectemus: an Verò nos iſtuc aduolare, an in Patauino tuo tibi malis occurrere. Multa ſunt quare tecū eſſe Velim hoc tempore, ſed illud potiſsimum rationes noſtras conturbat, quod Saulius noſter heri Genuam, pertriſti, neque tamen non Vero, fraternæ Valetudinis nuncio excitus accurrit. Rediturum ſe quidem ille ad hyemem proximam affirmauit. Sed hæc coràm: liceat modo nobis propediem congredi. Vale. Patauij 4. Non. Mai.

CHRISTOPH. LONG.

Flam. Tomarotio S. 38

PErſuaſi tandem Bembo noſtro, Vt me Vobiſcum eſſe malet, quàm ſecum. cras igitur, ad ſummum perendie, nos iſtuc Venturos:

turos ſperamus. Tu interim da operã nobis, cubiculum ea quam tibi iſtinc diſcedens oſtẽderam, ratione inſtructum vt ſit. Interius concluuis veſtibulum, ſi nondum illi faciundum curarint, admonebis eos meis verbis, id primo quoque tempore vel ſtatim potius, extruendum vt locent. res eſt nec multi negotij, nec ocio noſtro parum idonea. Lectus è regione veſtibuli velim collocetur. Pluteum ad dextrum ingredientibus parietem ſtatues; Bibliotecam inter feneſtras duas medium explicabis. Reliquam inteſtini operis ſupellectilem, quàm poteris aptiſſime totam honeſtiſſimeq́; diſpoſitam voles. quicquid in eo genere ſumptus feceris, id ego tibi omne ſimul ac venero diſſoluam. Saluere velim à me iubeas hoſpites meos, quibus etiam puerum meum dum abſum, commendatum eſſe cupio. Vale. Venetijs, Idus Mai.

CHRISTOPH. LONG.

Ant. Marcilio S. 39

EXpectabam auidiſſime tuas multis de rebus literas, cum mihi epiſtola tua reddita eſt, feſtiuitatis plena quidem illa & vrbanitas, ſed multo mihi iucũdiſſima ſanè futura, ſi quod ſperabã ad me ſcripſiſſes, quẽadmodum ſacrum Martina diem, quo vete-

res;

res etiam dolia relinebant, traduxiſſetis. Scis enim condictum vobis fuiſſe conſtitutumq́; vt eo ipſo die apud Egnatium noſtrum, iniuriarum iudices, ſedere is dicam, an accumberetis? Equidem etſi non dubito, quin aurificem noſtrum ocioſum omnino reddideris, iudiciumq́; & conuiuium ipſum facetiarum tuarum lepore docte exhilararis: velim ad me tamẽ de tota cœnæ illius ratione diligẽter perſcribas, vt quo me, haud ſcio, quàm laudabile, pertinax certe artiũ noſtrarũ ſtudiũ, ſpectaculo abduxit, id mihi ſuauiſſimæ tuæ literæ exhibeant. Scio quàm tu vnus omniũ huic rei conſcribendæ ſis aptus: ego certe tantum me ſcire arbitrabor, quantum ex tuis literis intellexero. Nam quod te huc noſtra cauſa venturum ſcribis, eſt id mihi quidem in optatis, ſed quãdo te expectemus, fac plane ſciam. quanquã mi Marcili chariſſime, cùm hoc in genere toto, tum in cæteris huiuſmodi quidem rebus, ita mihi commodes velim, ſi tibi vt id libenter facias prius in animum induxeris. Sic enim amicis vti ſoleo, vt tantũ ab eis contendam, quantum eorum vel fert dignitas, vel etiam patiũtur rationes. Quare ſi quod te facturum oſtendis, veneris, nobis gratiſſimum feceris, qui ſuauitate tua perfrui cupimus: ſi non veneris, æquo id animo feremus. etenim qui tibi inprimis conſultum

volum

volumus: & alterum quidem te amori erga me tuo tribuiſſe, alterum rebus tuis negare non potuiſſe iudicabo. Itaq; nec te pluribus, ad eam iſtic conficiendam rem, quam literæ tuæ abs te iam affectam eſſe ſignificant, ipſe cohortabor. Scio enim eam tibi eſſe curæ: ſed tamẽ vrgebis opus, mihiq́; ad diem promiſſa repræſentabis. Quod ſi vt ſpero & opto feceris, omnia me per te cõſecutum putabo. Quod de Elephanto abſcripſiſti, planè non probo. Indicum quidem aut Afrum inedia & verberibus domueris: iſte vobis cùm multo ſuæ ſucco mitificandus eſt, tum etiam gloria potiſsimum alendus: ſed ita ne ſtudiũ illi veſtrũ in ludibrij ſuſpicionẽ veniat. Nec enim ignoras, temetſi omnium terreſtrium animaliũ ſit longe maximum, & gloriæ cupidiſsimum elephas, quàm tamen ſuſpicioſus idem ſit, quãq́; hominis animaduerſo veſtigio, ſtatim ſubſiſtat, circumſpectet, iras proſtet: noſti cætera. Vale. Ex vrbe Patauio. octauo Calen. Decemb.

CHRISTOPH. LONG.

Octau. Grimoaldo S. 40

M*Aius atq; omnino aliud quàm ſperabam nactus es ex literis meis epiſtolæ argumentum: qui cum vel tuo more, breui reſpondere, vel me etiam authore tacere potuiſſes*

tuiſſes (ſcis enim ita tibi mecum conuenire, vt tum deniq; ſi res coget:) tamen vberrimas mihi literas remiſeris, ſed non eius generis, quales abs te quidem expectaſſem. Voluiſti ſcilicet mihi morem gerere, & me ſcripto aliquo tuo laceſſere. Id ſi ita eſt, non tu quidē expectatione tua fruſtratus es: prouocaſti enim me, ſed ita mehercule quemadmodum crabrones irritari ſolēt. Equidem niſi maiorem facilitatis meæ, quàm calumniarū tuarum rationem ducerem, facerē intelligeres, quo cum tibi ſit negotium: qui me accuſandi anſam inde tibi ſumpſeris, vnde te nobis gratias egiſſe maxime oportuit. At vide quā plane & latine, minimeq; aſtute tecum agā: nı quæ tu copioſe quidem & elegāter in me collegiſti, ea ipſe duob. verſiculis refuto omnia, cauſam haud dico, quare mihi hoſpitiū ſtatim non renuncies. Accuſationis tuæ ſumma hæc eſt. Vituperandum eſſe me in amicitia tua, quod non aliter ad te ſcripturus fuiſſe videar, atq; ſiquid ad Ant. Marciliū ſcripſiſſem. Hic igitur primū mihi memineris, quidnā de ſcribendarū inter nos literarum ratione conſtitutum habeamus, deinde illud tibi ſuccurrat velim cū mihi opus omnino non fuiſſe tum ad te ſcribere, tum vero me, etiā cum nihil eſſet quod darem, tamen ad te ſcripſiſſe: ad Marciliū autē eo potiſſimū miſiſſe

miſiſſe, & quia id me facturum ei fueram pollicitus, & quia omnino habebã, quod illũ ſcire mea plurimũ intereſſet. His tibi cauſam meam ſi nõ probaui, æquis certe iudicibus approbabo. Tu verò, qui te excuſes, qui me quod officioſius erga te gratis fuerim, accuſare es auſus? Extra iocũ, mi Octauiane, cum literas tuas legi libenter, tum ingenio tuo ſum delectatus mirifice. Tu quanquã admonitione nõ eges, qui me hortaris & eo ſe ipſe vocas, tamen fac ſtylũ exerceas, & crebris me literis appelles. Ego enim cum ex ea rem maximam voluptatem cepero, tum te, quantum ſtudiorũ noſtrorũ rationes ferent, hac exercitatione continuero. Saluta meis verbis cõmunes amicos, nominatim Baptiſt. Egnatiũ, quem cum ſcriptorum meorum κανόνα eſſe voluerim, audiſſime iudicium eius expecto. Hortare hominem vt me aliquando hac ſollicitudine liberet, & per me quidem, opus totum vna litura emendet: vix enim credas, quàm mihi iam parum in eo placeam. Aſſem tuum Saturnalibus ad aſſem tibi præſtabo. Vale. Ex vrbe Patauio. 8. Cal. Decembr.

CHRSITOPH. LONG.

Rogerio Barmæ. S. 41

Nihil vnquam minus futurum exiſtimaui, quàm vt tibi aliquem hinc commen-

dare neceſſe haberem, qui cum iſtic eſſem, & tu omnia mea cauſa velle viderere, tamē id vt facerē, nunquam adduci potui. Nunc etſi me præter ſpem de vetere illa mea ſententia depulſum eſſe video, facile tamen patior nactum eſſe me tempus, in quo & de beneuolentia erga me tua periculum tam longe gentiū facerem, & quantū ſtudijs noſtris ingenijsq́ adhuc faueres, experirer. Vidum Brelaum optimum, & ſummæ ſpei adoleſcentem vehementer diligo. Nam me & Lutetiæ Pariſiorum, cùm primum forum attigi, obſeruare cœpit: & hic tam conſtanter ſemper coluit, quàm qui maxime. Is cū patris literis, quaſi ex ſummo ſtudiorum ſuorum curſu, domum reuocetur, intelligatq́ ſe nondum eos percepiſſe ex legitimis literis fructus, quos ſi ad metam perueniſſet, ſeſe inde laturum ſperarat, vellet ſibi ſtudiorum tempus in venientē quoq; annum prorogari. Id vero cum ſe ſuis literis conſequi poſſe diffideret, neq; de patris ſui in te, atque tua in me voluntate dubitaret, egit mecum, vt ea de re ad te quàm diligentiſſime perſcriberem. Nec ego honeſtius quicquam à te petere mi Barma, nec tu illi hoc tempore gratius poſſis facere. Conficiendi negotij ſpem nobis afferūt cum rei ipſius æquitas, tum vero ſumma tua apud adoleſcentis parentem vel gratia, vel authoritas, quibus

illum

illum facile ceſſurum eſſe confidimus. Neq; uero patri metuendum eſt, ut idcirco tarda filium deceßio delectet, quod adoleſcentibus omnia peregre ſolutoria ſint, quàm domi. Noſcis enim hominis ingenium, ego ſtudium & diſciplinam, quæ mihi ſane eum eiuſmodi uirum fore pollicentur, qui ueſtris paucorum laudibus aliquando reſpondeat. Non ſoleo temere quicquam de altero affirmare, præſertim adoleſcente, qui qualis futurus ſit, preſtari non poteſt: ſed ſi quo tamen ſum in dignoſcendis hominibus deligendisq; amicis iudicio, ſpondeo uobis annum item unum additum patris deſiderio, filij ſtudio, alteri multorum annorum lætitiam, alteri ſempiternam laudem eſſe allaturum. Quare quantum me amas, uel te potius ipſe ſcis à me obſeruari, tantum enitere & contẽde, ut à patre eius tertij quoq; anni acceßionẽ impetremus. Hoc te uehementer etiã atq; etiam rogo. Vale. Ex urbe Patauio. Idibus Ianuarij.

CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOlarum Liber Secundus.

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. I.

Accepi tuas literas ad quar. Non. Januar. in quibus occupationũ tuarum ſignum mihi fuit, vel maximũ, quod tum aliena manu tum patria etiam lingua ad me ſcriberes. Sic tamẽ cum mihi iucundiſſima fuiſſent, hoc certe aſperſerunt moleſtiæ, quod vnam quinq; mearum ad te epiſtolarum periiſſe ſignificabant: nam ad quatuor duntaxat poſteriores reſcripſiſti. In illa etſi nihil plane eſſe video, quod vel te ſcire alterutrius noſtrum iam interſit, vel te magnopere delectare poßit, faciundum mihi tamen putaui, vt eam ad te eodem exemplo mitterem, non quo mea mihi maxime placeant, (ſcis enim vt me tu calumniatorem mei ſis appellare ſolitus) ſed ne me quicquã

de quinto

*de quinta illa epiſtola mentitum eſſe exiſti-
mares. Quod ſcribis poſteriores quaſq; meas
ad te literas, tibi prioribus magis probarę
quidem, & inſequentis quodque epiſtolæ ge-
nus, propius omnino antecedente, ad illius,
cuius nos imitatione erudimus, ſcripta acce-
dere: ſed me nondum eos ex ſtudijs noſtris
percepiſſe fructus, quos me aliquando laturum
eſſe tibi perſuaſiſſes. In hoc tibi equidem
aſſentior mi Bembe chariſſime. Neque vero
ego ſententiam ea de re exquirebam tuam,
quaſi Patauinenſes hoſce dies, ad ea quæ te
authore molimur, ſatis eſſe arbitrarer, qui
ne fundamenta quidem tanti operis mihi
adhuc ieciſſe viderer: aut ut aliquod tuarum
literarum teſtimonium elicerem, qui me ſci-
licet vna ſtudiorum meorum conſcientia
ſuſtentare ſoleam. Sed eò illa, mihi crede,
ſcripſi, vt de te intelligerem tantum ne me
ſuperiore anno ſtudijs noſtris operæ nauaſſe
iudicares, quantum initio ſperaras: an vero
expectationi tuæ non reſpondiſſem. Id autem
ipſum eo potiſſimum rogabam, vt ſi me eius
temporis operam bene poſuiſſe iudicares, per-
gerem vt cœpi: ſin minus, vt vel commutata
itineris ratione, vel correcta curſus tarditate,
eò aliquando peruenirem, quo tu me & co-
ràm verbis, & abſens literis, vocare nunquã
deſtitiſti. Sic igitur facies: &, ſi quidem id,*

 quo

quo nos adhuc vſi ſumus, inſtituendi genus probaris, (non enim ignoras quamnam diſciplinæ viam ſim ingreſſus) authoritate nos tua confirmabis: ſin aliquod eruditius & ad diſcendum expeditius habueris, conſilio tuo nos adiuuabis. Ioan. Pinum, quem à Pont. Max. ſacra Apamearum præfectura ornatū eſſe audio, & mehercule etiam gaudeo, facile patior ſua cõmoda noſtris anteponere. Neq; vero ab ijs que mihi Venetijs oſtendebat promiſsis vnquam pependi: quod vel ex eo poſsit conijcere, quod ad eum vti ſcriberē, animum inducere adhuc non potui. Hominis dignitatem atq; doctrinā ſemper ſuſpexi: in iuuandis amicis ſtudium aut diligentiam ab eo nunquam vehementer expectaui. Tu, etſi fortunæ noſtræ ratio nihilo etiam nunc informatior eſt, quàm cum Venetijs eſſemus prenſabis tamen, ſi tibi videbitur, hominem: id eſt, cum meis verbis & crebro ſaluere iubebis, & appellare non deſiſtes. Nihil minus velim, quàm vt ſe in amicitia noſtra vituperandum eſſe exiſtimet, id q; ne ſi officium ſuum à nobis deſiderari intelligat, animum ad nos oppugnandum aliquando traducat. Sed hoc Deus aliquis viderit: ego enim ad cæteras tuas curas, hanc quoque ex iſtius negligentia ſollicitudinem acceßiſſe video, vt me iam abs te vno tuendum ornandumq;

exiſtim

exiſtimares. Adoleſcentem qui has tibi reddidit literas, mea cauſa commendatum habeas velim: nam et Germanus eſt, & honeſto apud ſuos loco natus, nec à literis noſtris abhorrens: & quod caput eſt, nos hic etiam in primis & colit & obſeruat. Excurrit autem Romam, non quo ei quicquã iſtic ſit negocij, ſed vt dum cæteri, ocijs hiſce Saturnalium diebus à literis feriantur & ceſſant, ipſe vrbem, & eodem itinere Ethruriam agrumq́ue Picenũ viſat. Quicquid eo in genere ei commodaueris, erit mihi gratiſſimum, nec apud adoleſcentem ipſum non optime collocatum. Vale. Ex vrbe Patauio. Idib. Ianuar.

CHRISTOPH. LONG.

Andreæ Nauagerio S. 2

A*Ccepi literas tuas heri poſt meridiem, qui dies Id. Ianu. fuit. Ad eas reſcripſiſſem, illa ſtatim ipſa, quẽadmodum poſtulabas, qua mihi ſunt hora reddita, niſi ſcripta tua eius eſſe generis iudicaſſem, vt mihi non feſtinanter & in tranſcurſu, ſed diligenter & per ocium accurate legenda eſſent, præſertim cum tu me eorum Ariſtarchum conſtitueres. Qua quidem in re irrideri me abs te profecto putaſſem, niſi animum tuum*

planè perpectum habuiſſem: quem cum mihi ſtudiorum noſtrorum ſocietate coniunctiſſimum, tum vero ab omni illiberali ſimulatione alieniſſimum eſſe certo ſcio. Faciã igitur quod iubes: neq; id vero ipſum tam libenter, quàm neceſſario: etenim qui mihi conſcius ſum nullo eſſe me prorſus ea in re vel ingenio, vel iudicio. Verum tamẽ vt me maiorem voluntatis tuæ, quàm pudoris mei rationem habuiſſe intelligas, pauca quædam hic notabo, quæ ſanè cum tu legeris, iudicabis eam eſſe lucubrationũ tuarum rationem, vt monimenta tua calumniã potius à quouis pati, quàm à me limari perpolíriq; poſſint. Atq; vt ſupra crepidã aliquid ſtatim audias, ſcito in ipſo protinus principio deſiderari à me Sadoleti prænomen: idq; cum quod ea res dignitatis quiddam habere, tum etiam quod ipſa epiſtola iuſtæ orationis inſtar mihi quidem eſſe videatur. Eadẽ adiectionis formula vellem abs te & Bembi, et meum etiã vbiq; nomen ſubornari. Nam quod ais latinam linguam, florentibus imperij Rom. opibus, intra Italiæ limites conſtitiſſe: ego vero eam cum alijs gẽtibus cõmunem fuiſſe arbitrabar, tum vero in Gallia maxime, Hiſpania, & Tingitana prouincia viguiſſe exiſtimabam. Adduxerat me autem in eam opinionẽ non leue argumentum, quod earum gentiũ quotidianus

tidianus ſermo haud ita multum ab Italico vel hodie diſsideret. Sed non is ego ſum, qui in hoc ſententiã meam anteponi velim tuæ. In eo quidẽ certe admoneri te patiere, vt cũ aut totum quiddam, aut generatim omnia complecti voles, aut etiam mentis tuæ ſenſus aientibus verbis cõfirmare, duplicatis negationibus aliquãto parcius vtare: cuius quidẽ generis ſunt illa, Nemo non, nullus non, nihil non: quæ vt orationi modice aſperſa iucunditatis afferunt plurimũ, ſic crebrius repetita & frequentata ſatietatem pariunt atque faſtidium. Nam quin totidẽ verbis ex M. T. Cicerone tibi tam multa impune ſumere non liceat, ne tu quidem ipſe puto, negas. Sed non animaduertis ſcilicet, qui aſsidua ſummi illius oratoris librorũ & accurata lectione hoc conſecutus es, vt etiam imprudenti tibi & inuito integræ ipſius non modo ſententiæ, ſed multi ſimul interdũ verſus excidant atque effluant. Quod ipſum mihi vt ſummæ eſt admirationi, ſic haud ſcio an illis probaturus ſis, qui Aeſopi graccuũ nobis obijcere nõ deſinunt, nec Pub. Vergilij autoritatẽ atq; iudicium hac in re accipiunt. Equidẽ quod ad me attinet, ita ſtatuo. Dirigendã quidẽ eſſe nobis & formãdã ſcribendi rationẽ putaui, ad illius dicendi genus: ſed ita, vt virtutes eius oratione noſtra exprimere conemur, nõ item

vt

vt paſſim omnia ab eo mutuemur, aut, quod multos facere iam videas quaſi cẽtones quoſdã ex Ciceronis verbis cõſuimus. Sed hoc toto de genere alias. Nũc tantũ habeto, dandã tibi eſſe in primis operam, vt quæ in manus hominum à te peruenient, planè tua eſſe, non aliena & aliunde corrogata videãtur. Quod quidem hoc tibi magis faciundum cenſeo, quòd tu hodie vnus ex omnibus commentationes tuas literis commendare potes optime atq; elegantiſſime. Habes ferè mi Andrea, quæ ſtudio tuo obſequutus in eo libello animaduerſione digna exiſtimaui, cætera ſunt eiuſmodi, vt mihi quidem magnopere probentur. Quæ porrò de mea erga Iac. Sadoletũ voluntatis ſignificatione adſcripſi, ita deniq; proferri ea velim ſi id vt libenter facias, animum induxeris: ſin autem à te ſentẽtia quidem probabitur mea, locus autem ipſe, aut eloquendi ratio non item placuerit, tu ea de re quod tibi videbitur conſtitues, & ita ſpero conſtitues, vt me tamen ille gratum memoremq; ex tuis literis ſit cogniturus. Tantum hæc ad te perſcripſeram, ecce ab eodem Sadoleto literæ, quibus vt te ſuis verbis ſalutarem, atq; tibi etiam ſuo nomine gratias agerem, rogaret, quòd ſibi tam præclarum (opinor in illa vel ad Pont. Max. vel ad P. Bembum epiſtola: id enim cuiuſmodi ſit non explicat)

explicat) teſtimonium dediſſes. Quod me feciſſe ſi per literas tuas ei ſignificaris, erit id mihi tam gratum, quam quod maxime. Vale. Ex Vrbe Patauio.

CHRISTOPH. LONG.
Flauio Chryſolino S. 3

P*Ertreueis quidem, ſed iucundas tamen abs te literas accepi: in quibus illud mihi fuit gratiſſimum, quod Iac. Sadoletum & eſſe in Vrbe adhuc, neq; hoc tempore quoquā exiturum ſignificabas. Sic enim iniecta mihi ſpes non eſt dubia, fore vt ille toties à me inuitatus aliquando reſcribat. Equidem non facile cauſam reperio, cur cum ego & Bembus iſtinc abeſſemus longius, ille crebras ad me daret literas: ſimul vt collega eius Romam aduentarit, ſtatim ſcribere intermiſerit, vel deſtiterit, potius: præſertim cum eum multis literis non prouocarim modo, ſed etiā epiſtolæ argumentum ei de induſtria perſæpe dederim. Venit mihi interdum in mētem ſubuereri, ne plus ad eum quotidianæ inuidorum meorū, qui & multi & callidi ſunt calumniæ potuerint, quàm valuerit mea in ipſum obſeruantia: longè enim gentium abſum, neq; iniquorum ſermonibus abſens reſpondere poſſum. Contrà cum mihi hominis grauita-*

grauitatem atq; prudentiã propono, nihil enĩ huiuſmodi potuiſſe aut fallere, aut de ſententia depellere mihi perſuadeo. Omnino male me habet tam diutina hominis ceſſatio nomine omnium ceſſatoris. & (quod ſæpe ſum expertus) vel in ſummis occupationib. officioſiſsimi. Tu ſi me amas, inueſtigabis huiuſce rei cauſam, vt ſiqua offenſiuncula nonnullorum peruerſitate in illius animo facta ſit, huic malo ſtatim medeamur: ſin idcirco taceat, quia ei non vacet, deſinamus quãdoq;, & de immutato illius erga nos animo temere ſuſpicari, & hominẽ occupatiſsimum literas improbe flagitare. Quod veró te, ſiquid vnquã nactus eris ocij, ſuperioribus meis literis abunde ſatisfacturum polliceris, nihil eſt mi Flaui, quod in eo, mea quidem cauſa, labores: ſatis enim vel etiam omnia à te habuero, ſi vt es, res meas iſtic procuraris. Quod ne me ſine cauſa nunc ſcripſiſſe putes, ſcito mihi decreta à Pont. Max. in annuum ſumptum pecuniæ diem, ad Cal. Nouemb. cedere, atq; magna ex parte in diligentia tua eſſe poſitum, vt eo tempore ad nummos perueniamus. quod ne mihi fruſtra perſuaſerim, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Ex vrbe Patauio. XVI. Cal. Octob. Scripta epiſtola ſuperiore, reddita mihi ſunt abs te literæ, quas ad VI. Id. Septembr. te dediſſe ſcribis. Ad eas

vt

Vt nunc quidem eſt, nihil reſcribo, per ocium reſponſurus, ſiquid huiuſmodi occurrat, quod tibi non iniucundum fore iudicaro. Ex literis Hier. Fonduli, quas vnà cum tuis accepi, cognoui puerum meum, quem Ioan. Pino Regis Franci legato Romam proficiſcẽti, commendatum tradideram, nuper diſceſſiſſe: quod ſcilicet vt debui, multis de cauſis moleſte tuli: ſed quãdo adoleſcenti vel puero potius deeſſe non poſſum, qui me relicta patria nõ in Britanniam modo, Germaniam & Italiam duriſſimo anni tempore eſt ſecutus, ſed fidem etiam ſuam mihi & operam & obſeruantiam magis omnino, quàm ab iſta ætate poſtulandum erat præſtitit, ſi ad remanendum nullis conditionibus adduci poteſt, numera, quæſo, illi tantum pecuniæ ad ſumptum itineris, quantum hucuſq; ſatis eſſe videatur. Quicquid mihi eo nomine expenſum tuleris, id ego tibi omne bona fide vel permutãdum iſthic curabo, vel ſi ex penſione noſtra deducere malis, acceptum ſtatim feram. De tota hac re velim me quàm celerrime facias certiorem. Iterum Vale.

CHRISTOPH. LONG.

Hier. Fundulo S. 4

COmplicaram meas ad P. Bembum, & Fieren. Chryſolinum literas, cum mihi

tua

tua, quas te prid. Id. Septembr. dediſſe ſignificabas ſunt reddita, & cum ijs item eodem exemplo altera, quibus dies aſcripta erat VI. Id. Iun. Ad vtraſq; plus propediem nactus ocij reſpondebo: nunc quod me in poſterioribus commonuit, accipe. Doleo equidem Ioan. Balleuium commendatione noſtra diutius vti aut noluiſſe, aut non potuiſſe: ſed me illud magis excruciat, quod eum à ſe leuiter hominē abalienauerit, cuius ei beneuolētiam meis & verbis & literis conciliaueram. Verum ea eſt adoleſcentuli tum ætas tum ingenium, cui nemo nō facile ignoſcat. Itaq; ſi eo conſilio ſe ſubduxit, vt tantiſper abeſſet dum Pini noſtri iracūdia deferueſceret, quaſo te vt puero cōmunem amicum placatū reddas: ſin nunquam rediturus diſceſſit, nec ſpes melioris vita vlla ei iſtic oſtenditur, cura vt ad nos quacunq; ratione remittatur. Nam ad officium dignitatemq; noſtrā pertinere arbitror, vt is qualiſcunq; nunc eſt, in Italia ne egeat, qui domo & fortunis relictis (eſt enim honeſto apud ſuos loco natus) me authoritatemq; meā per tot maria, per tot terrarum tractus huc uſq; libe:er ſit ſecutus. Quare hominem cōquires, viaticoq;, quod à Flauio noſtro accipies proſequere: ego antē & quancūque tu ei fidem dederis, praſtabo: & vt ad ſuos honeſte liberaliterq; à nobis tractatus

redeat,

redeat diligenter, curabo. Vale. Ex Vrbe Pata. 16. Cal. Oct.

CHRISTOPH. LONG. Iac. Sadoleto S. 5

ETſi ſanè non habeo, neque quod ad te ſcribam (ſcis enim mihi iam literas tuas expectandas potius eſſe, quàm meas tibi) neque omnino quò literas mittam (audio enim te iam diu trans alpeis profectum) cùm tamen ad P. Bembum collegam tuum ſcripſiſſem, facere non potui, quin ad te quoque literarum aliquid darem, quod ille tibi vbiuis gentiũ eſſes reddendum curaret. Itaq; ſi fortè adhuc in Italia es, hoc tibi planè nomine gratulor: nec enim neſcis quanti apud me ſit Italiæ genius. Sin Carpentorati: gaudeo equidem, ſed non tam mehercule tibi, qui in prouincia ſis cum imperio, quàm ciuitati ipſi atque prouincialibus tuis omnibus, quos quidem te præſide ſacrorumq; antiſtite beatos ſemper quidem iudicaui, ſed anno potiſſimum ſuperiore, cùm non ſolum ex eorũ oratione, verũ etiam ex vultu & oculis & fronte cognoui, cùm quàm tu illis charus eſſes, tum vt omnem felicitatis ſuæ ſpem in te contuliſſent vnum. Optima enim, mea quidem ſententia, felicitatis pars hæc eſt, vt quis ſe felicem eſſe putet, aut certè futurum ſperet.

Equidem cùm illac iter Lutetiam Pariſiorum facerē, tanta erat in expectatione aduē-tus tui, vt pro eo ab omnibus certatim ordinibus vota fierent: comitūq; meorū nonnulli, qui te planè non noſſent, interdum ſubuererentur, vt tu tantam expectationem ſuſtinere ac tueri poſſes, quoad à me plenius edocti, qui ipſe tandem eſſes, quod erat, ſentire cœperunt: te non modo inſigni ad laudem virtute tua hominum opinioni reſponſurum, ſed prædicationem etiam meam facilime ſuperaturum. Atque ego medius fidius non dubito, quin & integritatis tuæ famam, & doctrinæ gloriam, & ſanctitatis opinionem aduentu tuo confirmaris, eoſq; virtutū tuarum admiratione omneis ita in te conuerteris, vt ſe non ab Vrbe Roma miſſum aliquem, ſed hominem planè diuinum, atq; de cœlo lapſum intueri exiſtiment. Quod autem ad me attinet, illud tibi perſuadeas velim, neminē eſſe, mortalium, quē ego pluris faciam quàm te neminem quem magis amem, neminem cui vel plus, vel libentius debeam. De quo, etſi te, nihil etiam ſcribente me, non dubitare certo ſcio, ſcribendum tamen ad te putaui: atque omnino in eam partem peccare malui, vt in eo inaneis potius, quàm nullas à me literas acciperes. Quod tibi ante quintum menſem ſcripſi, me ſimulatq; neceſſarios meos de Florentina

rentino negocio conſulxiſſem, ex illorum ad te ſentētia atq; authoritate ſtatim ſcripturum: ſcito illos poſtquā in Italiā redij, nihil ad me neq; literarū, neq; omnino pecuniarū miſiſſe: Vt equidē accuſatores meos mihi infeſtiores eſſe non putē, quod in ciuitatē tanto bonorum cōſenſu ſim receptus, quàm illos quod contra voluntatē ſuā in Italiam reuerti. Sed facilè ſpero, vt cū iſtorū improbitas tuis cæterorūq; amicorum meorū cōſilijs infringatur, tū vero illorū cogitationes vel officijs noſtris, vel ipſa die debilitantur. Si quid tamen aliquando tandē reſcripſerint, ad id meas accōmodās literas, ex illorum ſermone ad te ſcribam: neq; tamen ſi iniquiores in me eſſe pergent. conſilijs eorum ſteterim, ſed ipſe mihi planè conſulam, modo res nobis intregra ad reditū tuum reſeruari poſſit. Quod ſi nihil omnino ſcripſerint, non multā quidem ipſis & Galliæ vniuerſæ ſalutē dicam: ſed faciā profectò vt intelligant me & nouarum amicitiarum coniunctione aduerſus veterum iniquitatē munitum eſſe, & quam in partem meum in Italiam reditum accipiant, non magnopere laborare. Interea curabo, vt mihi fructus otij mei conſtet, eiuſq; tibi ratio aliquādo de me reddi poſſit. Vale. Patauij. prid. Idus Iul.

CHRISTOPH. LONG.
Lælio Maximo. S. 6

BInas hic à te, haud ita longo interuallo literas accepi: Vnas Paulus frater tuus mihi reddidit, alteras idem cùm Venetias iã migraſſet, ad me perferendas illinc curauit. Priorib. excuſationem intermiſsionis literarum tuarum affers: quam quidem ita accepi, vt magno interim dolore afficerer, cùm quod P. Paulus Caſtellanus immatura morte nobis ereptus eſſet, tum quod ea res & Iuliano noſtro & tibi tantum negocij moleſtiarumq́; attuliſſet, quantum tu vix literis complecterere tuis. Verum cùm ea lege atq; conditione nati ſimus, vt nobis hæc atq; alia iſtiuſmodi innumerabilia velimus nolimus ſubeunda ſint: meminerimus nos eſſe homines, feramusq́; ſi non libenter, at toleranter certè, quod nullo conſilio neq; vitare, neq; mutare poſſumus. Sed γλαῦκας ἐς ἀθήνας, qui hæc ad te. Itaque quod de Peruſina illa tua peregrinatione addidiſti (cur enim mihi non liceat te autore iucunda triſtibus miſcere?) eſt id quidem mihi nõ iniucundũ, ſed fuiſſet omnino multo iucundiſsimũ, ſi quid de delicijs illis nominatim aſcripſiſſes: vix enim credas quã ſcire cupiam, vt tui tibi amores illic proceſſerint. Nam tecum Romæ quamdiu fui, fuiſti tu certè ſemper ἐς τὰ ἐρωτικὰ ἀναφρόδιτος. Quod autẽ tibi per rei familiaris occupationes, nihil ad doctrinæ ſtudium ocij relictũ eſſe

doles,

doles, ego quoq; tua cauſa doleo: ſed ſi me audies, aut iſta ſtudia non tanti facies, aut facile deſiderio tuo ſatisfacies, ſi & noctibus abuti, & matutinas horas, cùm neque tibi quiſquã moleſtus eſt, neque tu cuiquam negocium exhibes, lectiunculis dare voles. Defenſionum noſtrarũ librũ iſtic tantopere probari, magis equidẽ gauderem, ſi vel aduerſariorum noſtrorũ iudicio talis eſſet, qualem tu eũ eſſe prædicas: vel optima laudũ illarum pars ad te, cæterosq́; amicos noſtros non trãsfunderetur. Explicaui quidem in eo quicquid tum habebam cùm artis tũ conſilij, ſed non eo ſanè conſilio, vt dicẽdi peritus, à quo quidẽ etiam nunc quàm longiſſime abſum, ſed vt vir bonus veſtraq́; aduocatione non indignus haberer. Vni epiſtolæ reſpõdi, venio ad alterã: in qua quod ſcribis prælia te mea cauſa ſuſtinere, facile oſtendis, amorem erga me tuum ſine cauſa in ſuſpicionem veniſſe. Atqui nunquã id mihi ſubuereri in mentem venit: ſed cùm intermiſiſſes literas ad me dare, nec eiuſce rei cauſam vllam omnino reperirem, volui ſcilicet leuiter te pungere, vt tuas quoquo modo elicerem: quod eo ſanè commento me conſecutum eſſe & video & planè triumpho. Eſt igitur mihi pergratum obtrectatores meos à te refutari, ſed ita mehercule, ſi id ea fiat moderatione, quã me tibi anno ſuperiore Lug-

duno præſcribere memini: id eſt, ſi eorum improbitatem, nõ regerendis conuitijs (nec enim digni ſunt, quibus tu quidem maledicas) ſed animo forti & graui, quaſi fluctum ſaxo infringas. Contemptu mi Læli, contemptu opus eſt, ne ſe homines leuiſſimi aliquid eſſe putẽt, ſi te de conſtantia tua depulerint, aut omnino cõmouerint. Sed hac de ratione vlciſcendi inimicos tota quid ſentiam, nihil attinet plurib. dicere, cum appareat, quodnam ipſe in defenſionibus meis ſim ſecutus conſilium, qui eos mihi nunquam appellandos cenſui: neq; id tam propter illas, quas ibi tum attuli cauſas, quàm vt ſe, mea quidem ſententia, prorſus indignos eſſe intelligerent, quos vel cum honoris præfatione quiſquã appellaret. Pari velim animi æquitate feras, Simiolum illum in ciuitatem irrepſiſſe. nam in eo aut nullum graue vulnus Reſpub. accepit: aut ſi quid omnino admiſſum eſt, inimici quidem noſtri eiuſce flagitij culpam ſuſtinebunt. Neque tamen eſt cur ſe ille nobis eo nomine tam arroganter conferat: ego enim tametſi homo tranſalpinus, ac idem multa flagrans inuidia, tamen inuitis omnibus ipſius amicis, & multo quàm ipſe prius, ſumma bonorum omnium doctorumq; hominum ſuffragatione, vel potius ſingulari S. P. Q. Romani iudicio in ciuitatem ſum aſcitus. Ornamẽta

enim

BIBLIOTECA ... SEVILLA

enim virtutis & doctrinæ indocti complures ſceleratiq́ homines adepti ſunt: tanta bonorum ſtudia, talia doctorum virorum iudicia ſine literis & probitate aſſecutus eſt nemo. Equidem ipſe tam graue omnium ordinum de me iudiciū pluris facio, quàm vel omnia ampliſsimorum honorū nomina: nedum ciuitatē ipſam, in quam vtinā hic vnus ea indigniſsimus immiſſus nō eſſet. Sed tu quē Rom. ciuem appelles, neſcio. mihi quidem ciuis è Repub. is denique, aut etiam is ſolus eſt, non qui ciuitatis ius oſtentet, ſed qui tanti nominis dignitatem virtute animiq́ magnitudine tueatur & ſuſtineat. Eadem eſt hirci illius cauſa, quem quidem ab ijs tanti conductum eſſe non magnopere miror ſi quidem tales ſunt, quales abs te depinguntur. Id ſcilicet miſeri tanta mercede conſequentur, non modo vt nihil ſapere, ſed vti doctis etiam inſanire videantur: quanquam aliud omnino, quo me ducat coniectura, habeo. Vlciſcentur eum ſui mores, atq́ ijſdem illis flagitiorum ſuorum pœnas dabit, qui eum nunc in honorē adducere videntur. τὰ ἐκ τριόδου. Præmia porrò illa, quæ tu mihi haud paulò plus quàm par ſit, admirari videre, vir autem ſapiens in minimis poſuerit, noſtris non modo non æquanda, ſed ne comparanda quidem ſunt commodis, ſiue illa æſtimare libeat, quæ ex

Pont. Max. liberalitate ad nos perueniunt, ſiue illa quibus à Pon. Fluentino inuitamur. quæ quidem cur à me non magni putentur, ſcribam ad te aliàs: nunc tantum habeto, me multo plus ex hoc ocio voluptatis capere, quã ex quinis illis vicenis ſeſterticrum numûm milibus vtilitatis cõſequi potuerim. Omnino, vt nunc quidem eſt, malo dignitatis meæ, quàm commodi rationem ducere: tametſi maiorem aliquẽ fortaſſe fructum tanta contempta pecunia nobis aliquando attulerit, quàm accepta in præſens afferre potuiſſet. Graeculum illum, quem laudibus noſtris confici ſcribis, contemnas cenſeo. neq; enim diſrũperetur alienis, niſi diffideret ſuis, et ſe planè ψαφαρὸν, eſſe intelligeret. Equidem (quanquam tu aliter ſuſpicari videris) tamen hominem eſſe poetam nunquam putaui, verſificatorem quendam & μυοπάταγον ſemper iudicaui, minimi iudicij, nullius ingenij, Græcarum literarũ prorſus expertem, Latinarũ planè rudem, ingenuarum artium omnino imperitũ, ambitioſum ad hæc et ſupra quàm dici poßit gloriæ cupidũ, atq; eo laudis alienæ ſimul & furem improbißimum, & obtrectatorem aßiduũ. Quæ de Hier. Fundulo, fuerũt ea mihi omnino gratißima, ſed minime noua. Iam enim olim penitus hominem cognitum habeo, cùm pluribus atque optimis artibus

ornatum, tum verò nulla in cæteros inuidia ſuffuſum, contraq́; ſingulari quadã & eximia tum probitate tum etiã, quam in multis hodie ſtudioſis deſideres, vrbanitate præditum. Petri Zancæi ſuauitatem, ex Bucolico illo carmine, quo accuſatoris noſtri mortem deplorauit pridem facile cognoram, hominis autem peradoleſcẽtis poœma eſſe neſciebam. Gratulaberis igitur ei meis uerbis, uel de tam generoſo ſpiritu, uel de tam præclara indole, ſimul & hortaberis, vt qua cœpit ire via, pergat. fore enim niſi & ipſe ſibi deſit, hoc eſt, ſi extrema cum primis contexet, & ego præſentione multũ fallar, vt & ſuum & eorum, quos celebrarit omnium nomen immortalitati aliquando commendet. Literas quas te iſtinc ad me ſcripſiſſe commemoras, omneis accepi. Tu verò meas non omneis, hoc eſt, illas, quas Iccio portu & Lutetia Pariſiorum ad te dedi. Neq; ſane tam moueor, quod in alienas manus inciderint aut etiam interierint, quàm quod iam omnino neſciam, quid illinc ad te Marianumq́; ſcripſerim. quæ quidẽ cauſa fuit, vt mihi omniũ mearũ ad vos epiſtolarum exempla mitti poſtularẽ. Quod eas autem Marianus in volumina referendas curauit, eſt id quidem magnũ illius erga me amoris argumentum, ſed ad eam ſuſtinendam, quam tu cæteriq́; amici noſtri

de me prædicatione ueſtra opinionem excitaſtis, Valde periculoſum. Nã cricitis iſtis epiſtolas meas probari poſſe qui ſperẽ, ſi ne mihi quidem probantur ipſi, quod eas non ſolum non accurate, ſed quotidianis etiam Verbis & plebeio ſermone contexere ſoleam? Equidem mallem eos omneis conſcindiſſet, ὥς μή τινα τοῖς αὐτόθι ἀριστάρχοις τοῦ διαβάλλεσθαι, μᾶλλον δὲ τοῦ ὀβελίζειν ἀφορμὴν παρέχοιμεν. Audio enim iſtic quoq; multos eſſe, qui de ingenio & doctrina ſtudioſorum ex alicuius Vnius epiſtolæ lectione ſtatim prononcient quaſi Verò ea noſtra ſit ratio, Vt tantundem fortunæ debeamus quantum conſilio: aut ij qui epiſtolas ſuas ediderint, eas non prius per ocium diligenter recognouerint, quàm in apertum protulerint. Multum quidem nobis in ſcribendo induſtriæ ponendum eſſet, ſi aut res ſerias grauiter tractaremus, aut omnibus ſcriberemus, aut ad ingenij commendationem aliquid commentaremur. Nunc autem cùm amicos familiariter doceamus, ſiquid ſit quod illos ſtatim ſcire aut noſtra, aut ipſorum interſit, maiorem profecto officij, quàm in ſcribendo diligentiæ rationẽ nobis habendã exiſtimo, ne uel quid epiſtolam deceat neſciuiſſe, Vel amicitiæ libertatem ignoraſſe Videamur. Sed hac de re ſatis, Vel etiã nimium multa, præſertim cùm mihi in hanc

ratio

ratione alias videar nonnihil ad te ſcripſiſſe. Proinde ad literas tuas redeo: quarũ quidẽ extrema pagella tantã gladiorũ licentiam, tot indignas mutuasq́ ciuiũ Ro. cædes continebat, vt facilime animaduerterẽ, nihil iſtic eſſe præter te ac paucos item amicos, quod me delectare poſſit. Quis enim tantã immanitatem ſpectare ſuſtineat, quã etiã ij qui longiſſime abſunt, ſine horrore audire non poſſunt? Non ita certe maiores noſtri, nõ ita Romani. Verũ ea mea eſt cauſa, vt quid ſentiã nolim aperte ſcribere, tantum dico, iſta me audire malle quàm videre. Sanè quidẽ illud multo libẽtius legi, quo Io. Gorytio, homini gratiſſimo, officiũ meum gratũ ſignificares. equidem dabo operã, vt neq; ipſum, neq; alium quenquam ſuſcepti negocij vnquã pœniteat. De eodem Gorytio illud mihi velim diligenter perſcribas, ecquid ſacrũ Annæ diẽ anniuerſario illo ſtudioſorũ hominũ cõuentu epulisq́ celebrarit: an verò propter anni ſuperioris diſsidiũ, cœnas facere omnino deſierit: an ſodalitatem potius illam (ſcis quam dico) non vocarit, reliquis cœnam dederit. neque verò quàm eos laute ſplendideq́ acceperit, quæro, (noui hominis magnificentiã) ſed quid dictũ, quamq́ frequens conuiuium eo hominũ genere fuerit, qui ſe Academicos, & eſſe & numerari exiſtimant. Subuereor interdum,

vt

Vt cum illis in gratiam redierit. contra cùm mihi in mentem venit, iſtis & cœnas & hortos Epicuri mirum in modum probari, hunc autem menſas non ſumptuoſe minus quàm libenter inſtruere, iam nihil inimicitiarum reliquum eſſe ſuſpicor. Tu me velim de tota diei illius ratione certiorē facias. nam quod ad me attinet, viuo hic in ſtudijs noſtris cum St. Solio, viro ea erga me liberalitate & beneuolentia, vt in re familiari ſua nihil ſuum eſſe malit quàm meum: ea animi moderatione, vt cùm me hoſpitio receperit, inde magnam ſe arbitretur, atq; etiam præ ſe ferat exiſtimationem accipere: ea porrò in literis vel induſtria, vt nō multū ingenio, quo tamē valet plurimum, debere videatur, vel felicitate, vt incredibile ſit, quò iam proceſſerit, & paucis annis peruenturus exiſtimetur. Stathius Simioli noſtri diſcipulus quidam, Hier. Alexandrino non ignotus, homo Romanus ſit an Calaber, fac planè ſciam. De Flaminio noſtro velim ad me aliquid ſcribas, eūdemq; meis verbis ſalutes: ac etiam roges, cur nihil adhuc ad me literarum. Ego enim nihil ad eum ſcripſi, quòd neq; ſcirē vt cum ipſo ageretur, neq; certi quicquam haberem, ad quod literas meas accommodarem. Quod ingenio, induſtria, virtute æqualeis ſuos omneis lōgè ſuperarit, planè non dubito: ne fortuna tanta

indoli

indoli maligne reſponderit, etiam atq; etiam timeo. Sed tamen velim vt animo maximo ſit, optetq́; ſemper ſecunda, cogitet aduerſa, ferat qualiacunq; acciderint, neque ſibi præſtandum quicquam præter culpam exiſtimet: à qua ſanè tam lõgè abeſt, quàm ab ea ætate quæ vel culpam adhuc præſtare debeat. Tu verò mi Læli, te P. Bembo dabis, & Iac. Sadoleto: quos quidem vel mea, vel tua, vel ſua etiam humanitatis cauſa te complexuros eſſe certò ſcio. Sed iam modum, vel finem potius ſcribẽdi facio. modum enim epiſtolæ iam diu multumq́; exceſſi, Vale & me ama. Patauij. Cal. Aug.

CHRISTOPH. LONG.
M. Ant. Michaeli S.

T*Antum epiſtolam tuam legeram, cùm me Nicolaus Delphinus per literas certiorem fecit nihil eſſe quod iam laborarem: curaſſe enim ſe tibi orationes illas, quas ad te Romam mitterem, tu à me tantopere contendiſſes. Egit tamẽ idem mecum vt tibi omnino reſcriberem. quod quidẽ mea ſanè ſpõte facturus, nõ ſolum in eo quod de me petebas, tibi morem libenter geſturus eram. Quanquã illæ huiuſcemodi ſunt, vt me mihi quidẽ niſi lente ac faſtidioſe probent ur, edendas autem*

putaui

putaui, non quo dicendi facultatem aliquam, quæ quidem in nobis vel nulla, vel certe perquàm exigua eſt, oſtentarem: ſed vt de innocentia mea toti Italiæ liqueret, apud quã me perpetua illa & planè hoſtilis inimicorum meorum accuſatio in ſummam inuidiã adduxiſſet. Iam cùm in ea oratione, quam amici quidam mei & contra voluntatem & præter opinionem meam, Romæ miſerãt, ea tantummodo diluerentur crimina, quæ nobis illi partim in Senatu, partim vulgo obieciſſent: nihil autem ferè eorum diſſolueretur, quæ coram Pont. Maximo, in abſentẽ dixerant, faciendum mihi putaui, vt eorum calumnijs maledictiſq; abſens quoquomodo reſponderem, & nouo quodam defenſionis genere cauſam meã apud omneis Italos agerem. Quæ quidem conſiliorum ratio, quàm nobis iſtic commode ceciderit, haud dum planè exploratum habeo: hic certè & Venetijs, atq; adeò in tota citeriore Gallia multorum voluntates partim recuperauimus, partim etiam ad cauſam adiunximus. Verum de his ad te ſcribere, nihil initio conſtitueram, ſed tecum potius expoſtulare, quod amicitiæ noſtræ nihil tribuiſſes, qui me cùm tuis literis tam religioſe rogandum, tum verò per Nicolaum Delphinum adeundum putaſſes: quaſi verò aliquid omnino ſit, quod tu à me per te

ipſe

ipſe impetrare non debeas, aut ego tam immemor ſim tuorum erga me meritorum, ut ſine ſummo meo dolore à te rogari poßim. ego enim ſi neſcis, ex quo primum tempore inter nos ſalutauimus, te ſemper dilexi, & me à te diligi ſtatim indicaui. Acceßit eodẽ tempore tuum erga nos nec obſcurum, nec vulgare ſtudium: paulò etiam pòſt beneficium, cùm ſalutem dignitatemq́ noſtrã, vel aduerſus veteres quoſdam tuos amicos tuẽdam ſuſcepiſti, idq́ nullo meo merito prouocatus, neq; adeò à nobis inuitatus feciſti (putabam enim tibi propè neceſſe eſſe, eas parteis agere) ſed tua ſponte, quod alienum ab hac ingenua animi tui probitate duceres, ut te ſedente homo innocens à neceſſarijs tuis nefarie opprimeretur. Secutum illud tempus eſt, cùm me rationes meæ in Galliam Germaniamq́ domum reuocarunt, & ijdem illi, quos nutu ſignificationeq́ ſemper appellaui, abſentem tam aſpere & acerbe inſectati ſunt. An mihi ignotum eſſe putas, quàm multos & illuſtres cùm ſumma mea laude ſermones, tum de me habueris? Veni tandem Venetias: an me oblitum exiſtimas, ut Bembum noſtrum confeſtim monueris, quos illi de me rumores diſſiparent, quibus abſentem calumnijs premerent, qua tu ipſe deniq; via ijs occurrendum cenſeres? Quorſum hæc? quod miratus ſum.

cùm

cùm hæc noſſes, tibi in mentem venisse, vt ad me, tanquã ad hominem prorſus alienum & natura difficilem minus libere ſcriberes. cui quidẽ tu iure quaſi imperare poſsis, præſertim ea in re, quæ non tam ad fidẽ tuam liberandã, quàm ad expectationẽ noſtri tuendã pertineret. Sic mihi tamẽ literæ tuæ iucũdiſſimæ fuerũt, tum quia probitatẽ, humanitatẽ ac elegantiã tuam præ ſe ferebant: tum quia ipſe mihi tacitus gratulabar, cùm de P. Bẽbi noſtri cõfirmata valetudine atq; ipſius erga nos beneuolentia per te fierem certior: nõ quo nouum mihi ſit aliquid audire de eo, quod pro noſtra dignitate amanter atq; honorifice dixerit aut fecerit: id enim illi vſitatum eſt & propè quotidianum: ſed quia intelligebã maturo eius aduentu atq; ſermone, iniquorum improbitatem infringi: irritatos certorũ hominum animos leniri, quos in me non meũ quidem vllum aut dictum aut factum, ſed inimicorum meorum calumniæ incitaſſent. Equidem facere nõ poſſum mi Michael, quin cùm iſta ad me deferuntur, eos interdum accuſem, non qui iſta comminiſcũtur: homines enim ſunt ſui ſimilimi, id eſt, animo ſemper puſilli, & ipſa maleuolentia ieiuni atq; inanes: verum quoſdam non indoctos homines, quorum aures iniquorum ſermonibus facilius patere audio, quàm eorum aut dignitas

ferat

ferat, aut ætas omnino poſtulet. Profectò ſi ſe viros bonos eſſe meminiſſent, me quoque ex natura ſua fingerēt, nec ſtudijs ſuis indignū, eaq; doctrina, cui me ab ætatis initio dedi, propter obſcuras quaſdam & dubias hominum mihi infeſtiſsimorū criminationes iudicarent. Quod ſi me callidum libeat fingere, quid poteſt eſſe ſtultius, quàm ſi homo tranſalpinus, atque idem tanta, quāta poſt homines natos alienos nemo, inuidia preſſus, de Popu. Romani dignitate in media Italia apud Italos ipſos palàm detrahere conetur? hoc certe qui de me credunt, multo ſtultiores ijs ſunt, qui talia diſputāt. Iam quid minus in hominē ambitioſum (quod vnum præcipue iſti mihi obiectant) cadere poteſt, quàm illorū exiſtimationē occultis ſermonibus priuatim oppugnare, quorū laudes in publico orbis terræ domicilio, hoc eſt Romæ celebrarit? Quod cùm me minimi neque animi, neque conſilij eſſe fateantur, qui minus eſt, non eius dico, qui & in foro & Romæ, & multorū regum comitatu ſit verſatus, ſed hominis planè qui domo pedem nunquam extulerit, quàm eam rem ad nocendum deligere, quæ ad excitandas inimitias ſit grauiſsima, ad lædendum leuiſsima? Atque vt hic omittam, quàm id mihi neque tutum ſit, neque honeſtum: quid eſt tādem, cur de Romanorum ingenijs male

nunc demum ſentiam, qui de ijs vel tum optime iudicarem, cùm ab imperita multitudine Romæ depoſcebar? Quod vero illi ipſi, quorum maxime conſilijs, capitis reus agebar, nobiſcum ad extremum ſenſerint, atque ita ius meum optinuerim, vt dijs hominibusq́ probantib. victor ex inimicorũ dolore triumpharim, hoc eſt ſecundum me S. P. Q. Romanus litem dederit, miſeritq́ ad me, etiam Venetias vſque, conſignata publice diplomata duo, quorum alterius Senatuſconſulto, alterius plebiſcito in ciuitatem ſingularib. verbis aſciſcebar: cùm hæc inquam ita eſſent, ne ſuſpicioni quidem locum relictum arbitrabar. Equidem ciuium Romanorum ingenia damnare iam non poſſum, quin me, conſiliorumq́ meorum rationes omnes eodẽ tempore cõdemnem: quando nihil planè non feci facturusq́ fui, quo ex ciuitate dignus aliquando & eſſem & haberer, quæ vna omnium optimo cuique ſemper patuiſſet. Quare ſiquando in eos, qui obtrectatorib. noſtris tam libenter fauent, incides, fac eis cùm illa quæ paulò ante propoſui explices, tum verò P. Paccium, Bapt. Caſaliũ, Camil. Portium, Iac. Sadoletum, P. Bembum. imitandos proponas: quos cum mendacijs multis homines leuiſsimi quidem natura illi, ſed opib. gratiaq́ florentiſsimi, onerarent, tamen

ea

ea fuerũt grauitate atque animi altitudine, & non modo maleuolorũ ſermonib. non crediderint, ſed me etiam conſilio, autoritate, opibus denique ſuis texerint. Ita eſt profectò. Nemo ſibi quenquã detrahere facile credit, qui virtuti ſuæ confidat: ſed quo quiſque eſt à vera laude alienior, hoc eſt ad temere credendum pronior. Quod ſi amici illi tui, quos tu viros doctos & nobiles in tua ad P. Bembum epiſtola videri ſolebas, iſtiuſmodi ſermonibus non credunt quidem ſed delectantur, libenterq́ hoc genus rumoris admittunt, & cum aliquos inter ſe commiſerint, contentionibus eorum tanquã aliena inſania per ocium ipſi fruantur: vide ne vel rem peſſimi exempli etiam aduerſum ſe ſtatuant, vel ſe nomine Rom. prorſus indignos reddant. Sic enim ſemper accepi, homines planè Romanos neque naſcendi fortuna, neque ciuitatis honore, ſed animo cum multis alijs virtutibus ornato, tum magno & excelſo, tum vero ſimplici & aperto cenſeri. Sed de his fortaſſe plura, quàm par fuiſſet. Quod autem ad te pertinet, in eo ero breuior. Sic enim fac exiſtimes, me vel meæ ſententia hominem non futurum, niſi tua iſta erga me ſtudia meis ſummis in te officijs aliquando æquata ſentias. Vale.

CHRISTOPH. LONG. Gul.Budæo S. 8

QVod mihi affines hoſce tuos vel noſtros potius tam diligenter cõmendas, probè tu quidem facis, qui propinqui amiciq́; hominis officio libẽter fungaris: ſed ſi proximas meas ad te literas accepiſti, ſcis te currẽtem, quod aiunt, incitare. Iam enim antè in are meo erant, quàm tu eos huc aduentare audiſſes. Dabitur à nobis opera, vt apud eos ſemper recte ſit: nunc quidẽ eſt vt volumus. Nam cùm ſtudioſe diſcunt, & erudiuntur egregiè, tum vero valẽt, & eam præ ſe ferunt indolem, vt ſi nulla neq; me, neque te affinitate, aut etiam ſtudiorum neceſſitudine attingerent, ſim eos tamen omni meo ſtudio atque beneuolentia cõplexurus. Epiſtolæ tuæ non modo recentis, vt ais, editionis, ſed ne cuiuſquam omnino generis hic etiamnum reperiuntur. Cura amabo te, eas nobis, ſed quàmprimũ: incredibili enim earum ſtudio tenemur: pro vectura ſoluetur quicquid aſcripſeris, plus etiam quàm vel tu iuſſeris, vel tabellarius ſperarit. De bibliotheca Nicena confeciſſem, ſi id tibi tam gratum fore putaſſem, nunc quãdo breui nobiſcum futurus es, & hic aliquid etiam temporis poſiturus, ſuperſedeo eius tibi librorum indicem mittere.

Literas

Literas tuas auidiſsime expectamus, ſed cũ illo epiſtolarum tuarum libro: cuius deſiderio ita ſanè efferimur, vt ſi nos ames, abs te ſtatim in eo adiuuandi ſimus. Nam quod in epiſtola tua ſcriptũ erat, amicũ illum noſtrũ tibi litem intendere de eo quod tu illi de me recepiſſes, nec ego præſtitiſſem, in eo quidem vobis ſatisfeciſſem ſi vel ex ſententia, vel ex dignitate noſtra inſtituta à me opera in apertum proferri potuiſſent: quanquã illi pro me, tu quid ſpoponderis, non ſatis intelligo. Scis enim orationes illas præter voluntatem meam exiſſe: in quibus tamen videor mihi præclarius, atq; adeò maius, quàm vel res ferret, vel tẽpus poſtularet, ipſius me liberalitati teſtimoniũ dediſſe, cùm dixi vnius Ludouici Ruzæi opibus ſtudia mea foueri. Tu qui κατὰ συλλογισμὸν amplificandi rationem tenes, demõſtrabis hoc homini: ſimul & illud oſtendens, dum liber ille extabit, ipſius in me beneficiũ nec obſcurum, nec ignotum eſſe poſſe. Quod ſi in eo tãtopere adhuc laborat, vt aliquod amicitiæ noſtræ monumentum extet, iube illum meis verbis ſpe eſſe optima. Perficiam enim ne quem vnquã lateat (ſi modo is ego ſum, cuius opera ad poſteros peruentura ſint) quemadmodum ipſe me Lutetia abeuntem cum alijs præmijs retinere tentarit, tum vero ſuburbani fundi munere ad

remanendum etiam atque etiam inuitarit: atque idipſum ita teſtatũ relinquam, vt qui intelligent, minus ſanè iam C. Mecœnatis erga Horatiũ Flaccum in tantis illis opibus liberalitatẽ admirentur. Quod de animaduerſionibus tuis, integrum eſſe tibi negas: ego vero te vel in medijs iſtis negociorũ fluctibus huic rei parem eſſe arbitrabar, nec modo poſſe abſolutum iamdiu opus perpolire, ſed etiam à capite ſi res cogeret, ordiri. Sed aliter facio atque conſtitui: decretum enim mihi eſt, verbum hac de re nullum amplius tecum facere: veruntamen ſi me audies, & liberalitati tuæ conſtare, vel conſtantiam potius tuam Reip. præſtare voles, primo quoque tempore te promiſsis exolues. Mitto ad te Nicolai Leonici epiſtolam, viri mehercule optimi & doctiſsimi, & quod caput eſt, tui etiam ſtudioſiſsimi. Is cum ſibi in animũ omnino induxiſſet, vt primum huc veniſſes, tecum amititiã inſtituere, author ei fui, vt ea in re literarũ bono vteretur, obuiasq; tibi literas quàm primũ mitteret: quod eo quidem conſilio feci, vt congreſſus ſermoq; veſter, non iam ignotorum inter ſe, ſed planè amiciſsimorũ hominũ fructum voluptatemq; haberet. Tu quæ tuæ ſint partes iam vides. Res tibi eſt cum viro, quem & ſacerdotium ſacroſanctum, & canicies ſpectabilem, & morum elegãtia amabilem

bilem

bilem, & multa ac recondita literæ nobis admirandum præbent. Vale. Ex Vrbe Patau. 8. Cal. Febr.

CHRISTOPH. LONG.
Vidobaldo Rouzerio S. 9

SI Vales bene eſt: ego quidẽ Valeo. Cognoui ex tuis literis, quas ad me luctus & lachrymarum plenas dediſti, & quanto te mærore parentis tui obitus affeciſſet, & quanta te Vitæ iſtius ſatietas iam teneret. Quorum quidem alterum Vel in medio dolore, quem ex moleſtijs tuis traxeram, gratum ac penè etiam iucundũ mihi fuit: ex eo enim in ſpem Veni, te aliquando ad nos rediturum eſſe: alterum pro eo ſanè ac debui grauiter admodum & ægre tuli. Accepiſti enim tu omnino Vulnus, ſed mea quidẽ ſentẽtia, eiuſmodi, cui tu facilime mederi poſſis: niſi fortaſſe eum Vel longa iam die, Vel etiã præſenti animi ratione eluxiſti, quem te amiſiſſe tum quidem grauiter querebare. Amiſiſti autem parentem, Virum optimum omnino illum, ſed parentem tamen, hoc eſt eum, cui te lege atque rerum natura ordine ſuperſtitem eſſe oportuit: Vt is quidem non tam tibi ereptus, quàm diem ſuum obijſſe putandus ſit, præſertim cùm ea ætate deceſſerit, cum iam ſatis tum naturæ, tum etiam Virtuti feciſſe

videretur. Neque eius hominis mors quaſi immatura nobis acerbius ferenda eſt, qui quandiu opus fuit, vixerit, & ita vixerit, vt eum nō periiſſe, ſed in æternam illam domum vitamq́ migraſſe credendum ſit. Quanquã qui cum loquor? an non cum eo, qui cum ſe Chriſtianũ hominem eſſe meminit, tum vero in literis diligẽtiſſime ſemper verſatus, nullam tamẽ adhuc cuiuſquã ad filiũ de morte patris conſolationẽ legit? Itaque cum neq́ ij qui animas vnà cum corporibus noſtras interire exiſtimarunt, lugendos liberis parentũ obitus duxerint, quod eorum morte non eſſe mœrendũ arbitrarentur, qui ſuo fato functi eſſent: neque vero Chriſtiana nobis perſuaſio hominẽ Chriſtianum lugere ſinat, quod præpoſterum ſit illorum nos morte dolere, quos tum denique viuere ſciamus, cum vixerint: tuliſti tu quoque opinor, caſum iſtũ humaniter: nec quæ tu ad me de eo ſcripſiſti, tam eo ſcripſiſti, vt mihi luctus tui acerbitatẽ ſignificares, quàm vt cum te hominem oſtenderes, tum literas etiam meas quoquomodo eliceres. Id ſi ita eſt, habes tu quidẽ meas, ſed non eius certè generis, quales maximè expectabas, aut illa omnino tuarum ad me literarũ aſcriptio poſtulabat: quæ quidem tantũ mihi tribuis, quantum equidem nec ipſe agnoſco, nec ſi pudentinſculus ſim optare audeam.

Quare

Quare ſi me amas mi Vidobalde, ne me poſthac tam honorifice, ne inuidioſe dicam, vel contumelioſe potius, ſalutaueris: ſic enim Therſitem Achillis laudibus ornamus. Quod vt ex animo, & bona planè fide id feceris, me tamen authore in poſterum non cõmittes, vt tu aut pudori meo parum conſuluiſſe, aut certis etiam hominibus ineptire videare: tametſi, ſi me audies, nihil iam ſcribes, ſed te potius ipſe nobis & literis quàm primum reddes. Quod ſi ea adhuc eſt rerum tuarum ratio, vt te huc ſtatim recipere non poſsis, abijce tamen interim omnes iſtas moleſtias, nec tibi tam aliena vitia ſtomachum faciãt, quàm tuæ te virtutes delectẽt. Id verò ipſum facilime conſequere, ſi te ad artium noſtrarum ſtudia referes: ad quę ita te voco, vt te imbecillioris iſtius tuæ & valetudis & naturæ rationẽ hacere in primis velim. Dabis igitur operam, primum vt valeas: deinde vt tibi conſtet ocij tui ratio: denique vt nos tuis literis nonnunquam appelles. Vix credas quantum ex earum tum elegantia, tum ſuauitate, voluptatis captamus. Galeacium Gonzagam meis verbis ſalucre velim iubeas. Vale. Ex vrbe Patauio. 4. Non. Ian.

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 10

EX literis quas mihi à te Flaminius Tomarotius attulit, cognoui, eas quas ipſe adoleſcenti cuidã Germano No. Ianua. ad te dederam, Non. Febr. tibi nondum redditas fuiſſe: eum enim diem Nonarũ literis tuis aſcripſiſti, neque mearũ omnino meminiſti, vt in hãc facile ſuſpicionem veniam, aut illum Romam non veniſſe, aut ei epiſtolã in via excidiſſe. Quare eam eodẽ tibi exemplo mitto, vnà cum illa quam ad te Calend. Aug. ſcripſeram, neque te adhuc accepiſſe, ex literis tuis colligo. Quod te de intermiſſione literarum excuſas, facis tu quidem humaniter, ſed nihil mihi crede, opus fuit, vt te apud me eo nomine purgares, qui & quantis occupationib. diſtineare, noui, neque de tuo in me amore quicquã dubitaui. Tantum illud velim fixum animo maneat tuo, me hæc ſtudia te potiſſimum authore ita eſſe complexum, vt cum nullã neq; patriæ, neque meorum, neque adeò mei ipſius rationẽ duxerim, tum verò te vnum iam eſſe, in quo totius fortunæ noſtræ ſpes omnis nitatur. Sic enim certè fiet, non vt tu me quidem ames magis (nec enim potes, cũ me in oculis feras) ſed vt rebus noſtris corã maiorem adhibeas, quàm Io. Pinum adhuc

adhibuiſ

adhibuiſſe audio. Atq; hoc ſanè loco mihi in mentē venit, ad quam ille me ſpem Venetijs proficiſcēs vocaret: cum tu interim haud ita magnā oſtenderes, ego autē multo lāguidiora omnia, etiā quàm tu proponeres, expectarē. Sed quando ea eſt rerum humanarum conditio, vt nihil temere neque ſperandū ſit, neq; deſperandum, ſuſtinebimus nos, & quantulamcunq; tu nobis ſpem etiam nunc affers ſequemur: præſertim cum ad eam alendam illud multum pertineat, ita vel ingenio vel fortuna tua comparatū eſſe, vt amicis officiū tuum non tam promiſſis, quàm re & exitu declares. Flaminiū cùm mihi cōmendas, ſcis te currentem incitare. Diligitur enim à me iampridem propter egregiā eius probitatem, & planè Romanam indolem: quæ mihi eo quidem maiori curæ futura eſt, quo in ipſo magis elucet vno omniū, ſpemq; mihi dat nō dubiam hunc vnum eſſe, qui maiorum ſuorū laudibus aliquando reſpondeat. Iam quintū hic menſem vere perpetuo fruimur, atque alieniſſimo anni tempore illud Homeri rectè vſurpare poſſumus, quod ille de olympi tranquillitate cecinit.

Οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη, Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ ἀναδέδρομεν αἴγλη. *Quod eo quidem planè*

ad te

ad te ſcribo, Vt animo perſpicias, quanta ſit huius noſtri ocij felicitas, quæ ne anniuerſarijs quidem hyemis frigoribus interpelletur. Vale, Ex Vrbe Patau. 6. Cal. Mart.

CHRISTOPH. LONG.

Aug. Beatiano S. II.

ETſi mihi dubium nunquam fuit, quin eo erga me abſentem animo adhuc eſſes quem tu mihi iſtic meo tempore præſtitiſſes: non potuit tamen Vehementer non gaudere, cùm illud idem literis tuis mihi ſignificares. Quanquam enim perſpecta amicitia officiorum commemorationem minime deſiderat, habet illa tamen, mea quidem ſententia, quiddam neq; inſuaue, neq; iniucundum: præſertim cum ab homine amico, nihil ambitioſe ſtudia ſua iactante, ſed officium ingenuè declarante ſuum proficiſcitur. Quo quidem conſilio cum tu ad me nuper ſcripſeris, teſterisq; te eum erga me ſemper fore, qui difficilimis illis temporibus in dignitate noſtra Vel tuenda, Vel etiam augenda fuiſſes, neque adeò te Vel Bembo ipſi in me amando ceſſurum: ſim planè barbarus niſi tibi eo nomine gratias agam, quamq; id mihi gratum fuerit, te per literas meas certiorem faciam. Quod autem orationes noſtras M. T. Ciceronis actionibus comparare es auſus, τῦτο μὲν

μάλα

μάλα ποιητικῶς feciſti: ego enim me (quod mihi velim affirmanti credas) tantum ab illa planè diuina eloquentia abeſſe reor, quantum ab hominis ipſius ætate diſtamus: nec ſanè magis ſcripta noſtra illius monumentis, quàm hæc tempora planè aureo illi ſeculo conferri poſſe iudico: niſi tute fortaſſe illud mea cauſa tibi ſumis, vt ſummam eloquentiam ſumma innocentia definias: qua quidem ratione ne Ciceroni quidem ipſi bene dicendi facultate ceſſerim. Atq; mehercule nulla ſum alia re adductus, vt Defenſionum noſtrarum librum ederem, quàm vt me cauſamq; meam toti Italiæ approbarem. Equidem ſi dicendi genus in eis probaſſem, non ſine noſtro de re tota iudicio in apertum prodiiſſent: vt mecum omnino preclare actum putem, ſi vir bonus exiſtimor. Nam dicendi peritiam atq; eloquentiæ nomen tibi tuiſq; ſimilibus totum tuẽdum relinquo. Verum de hoc genere toto pluribus tecum agam, cùm plus ocij nactus ero. Quod me ad extremùm mones, vt te diligam, ſi me à te diligi & credo & cupio: ego vero mi Beatiane vtrunq; præclare facio, feciq; quo te primum die cognoui. Nam & te quem ipſe amarem dignum ſtatim iudicaui, & vt tu me inter tuos haberes vehementer exoptaui. Nunc verò cum tuã erga me beneuolentiam maximis ſtudijs officijs q;

ficijsq́; cumularis, certè hominem ipſe me non putem, niſi te & faciam plurimi, & omnes in partes enitar, vt aliquando intelligas, me tibi memoriam beneuolentiamq́; quam debeo, cumulatiſſime præſtare. Steph. Saulius, qui cum hic ſuauiſſime coniunctiſſimeq́; viuimus, me tibi ſalutem ſuis verbis aſcribere voluit. Vale. Patauij quarto, Idus Iunij,

CHRISTOPH. LONGO.
Hieron. Nigro S. 12

TV verò Niger adeo neq; humanitate, neque vrbanitate à me victus es vlla, quod tibi ſalutem in meis ad communes amicos literis ſemper aſcripſerim, vt me tibi vel propter literas tuas plenas officij, ſtudij, diligentiæ, etiam plurimum debere cõfitear: qui tanquam in eo parum tibi ſatis feciſſes, quod & præſentis & abſentis cauſam incredibili ſtudio atq; ſingulari induſtria defendiſſes, ſcribẽdum etiam ad me, excuſandumq́; ceſſationẽ tuam honorificentiſſimis literis putaris: quaſi verò tu quicquã in eo deliqueris, in quo ſi quid flagitij eſſet, meum certè totum id eſſet. qui neq; tibi pro maximis tuis erga me meritis gratias egiſſem, neq; te rerum mearum certiorem pro mutua inter nos beneuolentia feciſſem. Atqui vtrunq; pridem tibi cumulate præſtiti: idq́; cum mea ſponte quidem

dem

dem, tum P. Alconij hortatu feci, quem tibi ſingularis mei erga te animi, ſcriptaq́ꝫ ad te epiſtolæ teſtem fero: nec enim certe mei cupidior eſt, quàm tui ſtudioſior. Voluit ſcilicet homo noſtri amantiſſimus, atque meorum in te ſtudiorum maximè conſcius, epiſtolam prius legere, quàm eam ad te mitterem. Miſi autem cum ijs literis, quas ad Iacobum Sadoletum, P. Paccium, Martium Caſtellanum Romā proxime dedi. Equidem cùm tuas legerem, ſatis mirari non poteram, quorum aut negligentia, aut improbitate ad te perlata non fuiſſet: præſertim cum ſuas reliquas redditas eſſe certo ſcirem. In ijs cùm alia ad te multa ſcriberem, tum verò te hortabar, vt orationē illam qua cauſam noſtram defenderas, aliquando ederes. Eſſe enim ex re mea aut etiam totius Italiæ dignitate, vt tranſalpinæ gentes omnes intelligant, non defuturos fuiſſe innocētiæ noſtræ patronos ſi per aduerſariorum impotentiam res legitimo Quiritum iure tractari potuiſſet. Id autem vt faceres, eo magis à te contendebam, quod de eodem P. Alcyonio intellexeram, eandē orationem, quæ tibi ſuperiore anno exciderat potius, quàm conſcripta fuerat, abs te politiſſima arte nunc eſſe perfectam. Quod ſi ita eſt, hortor te etiam nunc, & per amicitiam noſtram obſecro, vt eam, ſi qua de cauſa

hoc

hoc tempore minime edendam cenſeas, ad me tamen quamprimũ mittas. Hoc ſi feceris, maiorem ſanè opinione tua gratiam à me inieris. Extremum illud eſt, Vt tibi perſuadeas me daturum operam, Vt ne te ſuſcepti patrocinij Vnquam pœniteat, etiam ſi orationem illam à te recognitam mihi nõ miſeris. Ea enim quæ in manibus habetur, iãq; olim Vel apud Vltimos hominũ Morinos, aut etiã in Vltima Britannia à doctiſſimo quoq; legitur, & mehercule probatur, ea eſt preſcriptione, Vt dum extabit, non poſſit tuorum in me officiorum memoria non extare. Quid enim Vel in aduerſariorum noſtrorum impotentiã contumelioſius dici potuit? Vale. Patauij 4. Id. Iun.

CHRISTOPH. LONG.
Alexand. Paccio S. 13

NOndum planè conſtitutum habeo, plusne Voluptatis an doloris ex tuis literis traxerim: Voluptatis, quod incredibilem tuã erga me beneuolentiam præ ſe ferrent: doloris, quod me humanitate abs te Victum, nec mihi iam integrum eſſe Viderem, ea aduerſus te Vſurpare officia, quæ tu amice quidem, ſed magno mehercule meo pudore præripuiſſes. Etenim cum tu iſta doctrina atq; dignitate Vir, ad me non amandum modo, quod

ipſum

ipſum ſanè per ſe maximum eſt, ſed etiam abſentem ſcriptis tuis defendendum, tua ſponte acceßiſſes, par certe fuerat, aliquod me grati in te animi ſignum dediſſe. Nec enim neſciebam quid tu anno ſuperiore, ad Iulium Medicem, qui à Pont. Max. vnus vel potentia, vel authoritate plurimum in Italia etiam nunc poteſt, cùm in mei commendationem amiciſsime, tum in cauſæ noſtræ defenſionem elegantißime, illo etiam meo tempore ſcripſiſſes, cùm propter vehementem aduerſariorum noſtrorum accuſationem, magna non tam apud S. P. Q. Romanum, quàm apud omneis Italos inuidia arderem: vt vna nimirum epiſtola, rebus noſtris cùm magno tum inſperatò fueris, & præſidio & ornamento, idq́ cum me de facie nihil dum noſſes, nec ego ſanè quicquam minus, quàm tam præclarum patrocinium iſtinc expectarem. Volui equidem eo tibi nomine ſingularibus verbis gratias agere: verum ſiue me beneficij tui magnitudo in ipſo conatus articulo ſemper oppreßit, ſiue digna ad id quod moliebar oratio deſtituit, teſtificari tibi literis meum erga te amorem nunquam potui. Curaui tamen (quod proximum erat) vt per P. Bembum, virum ſingulari tum ſapientia, tum eloquentia præditum, intelligeres, eo me in te eſſe animo, quo planè debeo, hoc eſt

longe optimo. Hic tu quaſi parum in eo tibi ſatisfeciſſes, quod ad me amandum prior acceßiſſes, quod abſentis cauſam tanta grauitate conſtantiaq́ egiſſes, quod dignitatem noſtram tuendam ac augendam potius ſuſcepiſſes, ſcribendum etiam tibi ad me putaſti literas, quibus me ad firmandam inter nos amicitiam tum amantißime, tum honorificentißime inuitares. Iam perſpicis opinor, quo me (niſi planè ſim impudentißimus) pudore affici par fuerit, cùm te partes meas antetuliſſe viderem, atque ea præcepiſſe officia, quæ à me ſine nefario ſcelere, aut certe ſine ingrati animi ſuſpicione prætermitti non potuerunt. Et ſanè commiſſum facinus admiſſumq́ dedecus eſſet, niſi cùm mihi verba ad rem tantam explicandam defuiſſent, tum me ad id tempus reſeruaſſem, quo me tibi & gratias agere & gratiam referre ſimul poſſe ſperabam. Quod cùm ita ſit, patrocineturq́ mihi aduerſus hæc omnia, partim meæ erga te obſeruantiæ conſcientia: illud etiam tibi perſuadeas velim, me non potuiſſe literarum tuarum lectione non magnopere delectari: neque ideo ſolùm, quod plenæ officij, diligentiæ, humanitatis eſſent, ſed quia ipſe mihi planè, non tibi modo gratulabar, cùm ea in te, homine mihi tam amico, eſſe perſpiciebam, quæ de inſigni ad laudem doctrina tua multorum

torum literis ante cognoram: & ſimul quod perſpiciebam me, aliquem apud te expurgandi ſilentij mei occaſionem eſſe nactum. Atqui vt ad id ſemel veniam, quod literis tuis cupere videris, ſic habeto, atque exiſtimes, te non illud modo eſſe aſſecutum, vt inter nos perpetuo amemus (quod quidem ipſum cum tua nihil referat, mea certè plurimum intereſt) verum me etiam daturum operam, vti ne te huius ad me amandum inductionis animi voluntatisq́ unquam pœnitcat. Pollicerer hoc tibi polixius, niſi in animo haberem, re non verbis me tibi approbare, omneisq́ vel cogitationes tuas offi. ijs meis ſuperare. Quod ne me temere ſcripſiſſe arbitreris, has velim literas apud te ſyngrapha, non epiſtolæ vim habere, vt mecum quaſi obſignantis tabellis agas, ni quæ tibi hic recepi, ſanctiſsime omnia obſeruaro, hoc eſt, opinionem tuam in tuenda amicitia noſtra ſtudijs meis vicero. Vale. Patauij.

CHRISTOPH. LONG. Stathio S. 14

E*Tſi cum ſuperiore epiſtola, ſcribendi ad te finem mihi feciſſe arbitrabar, vel quia mihi ad hoc quidem literarum genus non ſatis eſſe ocij intelligebam, vel quia te epiſtolam illam in eam quam volebam,*

& optimam partem accepturum confidebã: commotus tamen proximis tuis literis, quibus ſubuereri Videris, Vt parum ſyncera fide in gratiam tecum redierim, ſcribendum iterum ad te putaui, cùm Vt literas tuas mihi non iniucundas fuiſſe cognoſceres, tum Verò Vt tibi ſignificarem, gratiam noſtram, & quam de præclara tua indole ſemper habui opinionem, iniquorum ſermonibus nunquam labefactam fuiſſe. Tuli equidem moleſtè, quod Vel illis de me tam facile credidiſſes, Vel ob non ſatis probatam à me quandam epiſtolam tuam, inimicitias mihi denunciares: Vt te autem odio meo dignum exiſtimarem, adduci certè non potui. Nec enim neſciebam, quid ætati, quid ingenio, quid facilitati tuæ tribuendum eſſet: præſertim cùm te non tam tua ſponte, quàm inuidorum meorum impulſu eò progreſſum eſſe perſpicerem. Itaq; egi tecum paulò quidem ſeuerius, fortaſſe etiam aſperius, quàm & tu expectaras, & ego me hercule Velim: ſed nulla, mihi crede, iracundia permotus id feci, Verum aut plenioris inteſtini, ex quo tum grauiter laborabam, dolore concitatus: aut ne metu remiſſum ac diſſolutum, imò Verò tibi parum amicum arbitrarere, ſi in eo te leuiter admonuiſſem, in quo ipſe amicitiam noſtram grauiter læſiſſe Videbare. ἀλλ᾽ ἤτοι ταῦθ᾽ ὑποείξομεν ἀλλήλοισιν,

*κοινὸν, σοὶ μὲν ἐγὼ, σὺ δέ μοι. Ego enim cùm
nullas cuiuſquam inimicitias mihi ſuſcipien
das exiſtimo, tum neminem mihi non amicũ
eſſe cupio, qui ea quidem qua tu es indole ſit
præditus. Atq; vt ſtatim intelligas, quàm te
mihi iam non amicum modo, ſed familia-
rem etiam hac ſcribendi cõſuetudine putem,
accipe quid ego in literis tuis deſiderarim: nõ
qui eas magni eſſe momenti res ducam, ſed
cùm vt te ad eandem in ſcriptis meis liber-
tatem vſurpandã ſubinuitem, vel potius tuã
in ſcribendo ipſe imiter (ſic enim accipio) tum
vt in eo, quod me priorib. tuis literis non fe-
ciſſe querebare, tibi morẽ geram. Quæſtus es
autem, quod eorum quæ ad ſtomachum meũ
parum facerent, te officioſe nõ admonuiſſem.
Iam primum, Salmonium amicum tibi atq;
hominem gratum eſſe ſcribis: id ſi ita eſt, cur
in eum tam acerbè inueheris? Sin tibi hoc per
mittis, quod is de te atq; nomine latino peſſi
me ſit meritus, cur hunc eundẽ in eadem epi-
ſtola, amicum tibi & gratum hominem eſſe
prædicas? preſertim ſi cum eo in gratia nun-
quã fuiſti, aut certe his interpellãtibus, quas
tu quidẽ cauſaris, iniurijs, hodie eſſe non poſ-
ſis? Quod vt ita tibi tuo iure loqui liceat,
illud quidem certe reticere non debuiſti, ſed
omnino apertè ſcribere, quid tandem ſit,
quod ille nomini latino vitio verterit. Neq;*

m 3 enim

enim id eſſe mihi facile perſuadeo, quod te iſtic dicere memini: ſolere ciuium tuorum multos recte loquendi rationem negligere. Nam Vt homo grāmaticus, cum tu illum fortaſſe barbarum appellares, id acerbius dixerit, nulla ſanè tamen inſigni contumelia nomen latinum affeciſſe, ſed pro lingua latinæ dignitate potius egregie diſputaſſe Videatur: qui ab ijs latinum ſermonem ſolœciſmi fœditate interdum pollui ægre tulerit, à quibus maxime caſtum incorruptumq́ʒ ſeruari oporteat. Niſi tu fortaſſe in ea ſententia es, Vos Vt literas non multo doctrinæ ſtudio, ſed ſola naſcendi conditione conſequi exiſtimes: atque eos qui longe à Latio orti ſunt in ijs capeſſendis operam perdere, Latinos autem homines ſimul ac nati ſunt, in cunis etiam diſerte numeroſeq́ʒ Vagire. Atqui certe non negabis ciuium tuorum pleroſque ne Latine quidem ſcire, nedum Romani ſermonis puritatem in poſtremis habere. At in Iani Laſcaris, hominis tibi amici carmine, Verſum, aut Verbum potius quoddam non probauit. Quid tum? an ideo tibi ſtatim (Vt Verba tua ponam) arma ſumenda credidiſti, tanquam de re Latina prorſus eſſet actum, ſi quid ille in eo hominis præſertim Græci Verſu improbaſſet? Vide mi Stathi ne huiuſcemodi patrocinio tranſalpinis gentibus riſum, Italis ſtomachum

machum moueas. Nam quod ad Ianum Laſcarim attinet, eſt ille omnino mihi maiore & quaſi ſanctioris cuiuſdam neceſſitudinis vinculo coniunctus, quàm tibi, quod eius mihi optima Romæ opera vni in Græcis literis vti licuerit: ſed non minus tamen Salmonio, quàm nobis amicus: nec mediusfidius indignari ſolet, ſi quis ſcripta ipſius etiã liberius, quàm par ſit, cenſeat. Quod autem in eadem epiſtola braccatum quendã contumelioſe appellas, in eo quid tibi velis planè neſcio, niſi tu fortaſſe in te luſiſti, quem quidem cùm Romæ, tum Lutetiæ Pariſiorum, atq; nuper Venetijs nunquam togatum, raro penulatũ, ſemper ferè braccatum conſpexi. Atq; vt illud omittam, quo tranſalpinarum gẽtium in Italos iniquitatem perſtringis (nec enim te id ex animo dixiſſe reor, cum tu certè eos ita in vos animatos eſſe haud quaquam ſis expertus) iſtud cuiuſmodi tandem eſt, quo me ſanè grauiter repunctum iri exiſtimaſti, ſi de pueriIi illa mea concione mihi obieciſſes? de qua nihil amplius dicam, quàm quod S.P.Q. Romanus iudicauit: qui me non ſolum ab huiuſmodi calumnia dijs hominibusq; approbantibus abſoluit, verum etiam triumphum ex inimicorum meorum dolore iuſtiſſimum agere voluit, quando me, quod quidem nulli adhuc mortalium contigit, abſentem virtu-

tis doctrinaq́; ergò ciuitate Romana donauit: miſsis etiam ad me Venetias vſque publice conſignatis diplomatis duobus, quorum me altero Senatus, altero Trib. plebis, ciuitatis iure ſingularibus verbis digniſsimum iudicaſſent: idq́; cùm alijs, vti teſtantur, de cauſis, tum certè quod Italiam & vrbem Romã eo laudaſſem modo, quo ante me mortalium nemo. Quod eò ſanè pertinet, vt intelligas S. P.Q. Rom. ideo mihi maximum honorem habuiſſe quod ſe maximum quoq; à nobis accepiſſe duceret. Quorum quidem ſecutus autoritatem populus Fluentinus, mihi non ciuitatem modo ſuam, ſi me illuc ad inſtituendam bonis artibus iuuentutem conferrem, ſed vicena præterea quina in annos ſingulos ſeſtertiorum numûm millia ex ærario publico decreuit: quod etiam mihi adhuc noſtra patrumq́; memoria vni datum eſſe inficias non ieris. Tranſeo præclara illa & in cauſam veſtram perquam honorifica tot doctiſsimorum hominum, tot principum virorũ teſtimonia, ipſius denique decimi Leonis Pont. Max. de contentione item illa, quæ mihi cum nonnullis veſtris amicis anno ſuperiore Romæ interceſsit, iudicium: etiam poſtquam ille nominis noſtri delator, in me abſentẽ tanto plauſu tantaq́; auditorum admiratione dixiſſet, vt eloquentia Romana cum eo & reuixiſſe, &

rurſus

rurſus extincta eſſe à pleriſque credatur. Quo quid manifeſtius, plus valuiſſe apud æquos iudices abſentis innocentiam, quàm accuſatorum gratiam atq; eloquentiam? quos id mihi potiſſimum tum obieciſſe non ignoras, quod tu mihi nūc in epiſtola tua vitio dabas. Quod niſi hoc in genere, ea mea eſſet cauſa, vt quid ſentiam nolim explicare, oſtenderem aliis rationibus, cur orationem illam mihi exprobrare non debueris. Equidem inuitus hoc vlcus refrico, ſed veritus ſum planè, vt ſi tacerem, ne & crimen ipſe agnoſcere & tibi parum ſatisfacere viderer, qui à me, ſi quid eſſet quod me in literis tuis offenderet, vti te monerem petiiſti. Quare ſi quid contrà in his erit, quo te ipſe læſum putabis, poſtulo à te meo quoque iure, vt in tua mihi culpa ignoſcas, qui id mihi feciſſe videor, quod & ratio, & ipſe tu mihi præſcribebatis. Vale. & te mihi chariorem eſſe tibi perſuade, quàm iis ſis, qui nos committere tentarunt Patauii.

CHRISTOPH. LONG.
Merlino Gelaſiano S.

SCribam ad te, cùm vacabit vberius: nunc enim eo tantum ſcribo, vt mihi non ſatis eſſe ocii intelligas. Nam qui tuas attulerunt literas, ii cum longo poſt interuallo,

quàm eas abs te accepiſſent, mihi reddiderunt: tum eo certè ipſo temporis puncto cùm hinc proficiſcerentur, nunquid ad te vellem petierunt. Quo quidem etiam factum eſt, vt neq; ad tuos quicquam omnino miſerim: in quo tibi tamen propediem & cumulate ſatiſfecero, ſed non in eam planè, quam tu te cupere oſtendis ſententiam, vt tibi pecuniam in ſumptum ſuppeditent. Si enim annum item vnum aut alterum impetrabimus, pecuniam quoque impetrabimus: ſin illud teneri non poterit, fruſtra numorum meminerimus. Quanquam hi ſi fortunis noſtris vti voles, tibi defuturi non ſunt. Nec enim aut tam parum locupletes ſumus aut tam pecuniæ cupidi, quin ſtudia tua libenter ac liberaliter tueri poſsimus. Sed hoc tui etiam. non ſolum mei fuerit conſilij. Orationem quam tantoperè deſideras mitto ad te, non ſatis quidem multis facturam illam, vt quæ ne mihi omnino placeat, ſed hæc tamen ipſa illa eſt, cuius admiratione commotus Pop. primum Romanus, abſenti mihi ciuitatis diplomata ſtatim expedierit, quæ præſenti denegaſſet: deinde Florentinus vicena in annos ſingulos quina ſeſtertiorum numum millia ex ærario publico mihi decreuerit. Quod ipſum non tam mirantur Itali, ob pecuniæ magnitudinem, tametſi ea per ſe in eo docendi genere eſt planè

admira

admirabilis, quàm quod inſolens ſit & adhuc inauditum, trans alpeis accerſiri hominem qui in media Italiæ Latinas literas conſerat. Sed hæc quoque per ocium. Salutem Belleio: (de quo non ſanè belli, nec quales expectabamus rumores ad nos perferuntur, ſed quos tamen falſos eſſe ſperem,) cupio quidem certe. Vale. ex Vrbe Patauio. V. Cal. Mai.

CHRISTOPH. LONG.
Simoni Villanouano S. 16

PErgratæ mihi fuiſſent tuæ literæ, ſi quàm nobis luculente ingenij tui elegantiam expreſſerunt, tam iucundum de vitæ tuæ rationibus nuncium attuliſſent. Sed id & antiquum eſt, & haud ſcio an etiam fato literarum quodam comparatum, vt quo quis ingenuas artes complectatur ſtudioſius, hoc fortunæ fluctib. iactetur acerbius. Hæc enim, ne fortè neſcias, mihi tecum eſt communis querela: nam etſi ipſe nulla inſigni, vt nunc quidem eſt, rei familiaris inopia premor, illud tamen eiuſdem fortunæ iniuria commiſſum eſſe video, vt ea ſit rerum mearum tenuitas atq; anguſtia, vt tibi iſta ſpe, iſta probitate adoleſcẽti, auxilium meum imploranti, nõ

dico

dico non opitulari, quod ipſum per ſe miſerum eſt, ſed vix benignè quicquam polliceri poßim. Ego enim, quod te ſatis intelligere exiſtimo, pari literarum ſtudio incenſus & afflictus procul à patria vitam ago, nõ meis iã, aut quod par erat, meorum, ſed planè alienis opibus caſus meos ſuſtentans. Verum quando nemini vni omnia deus conceßit, nec ego quicquam ocio noſtro eſſe ducam vel iucundius, vel honeſtius, facile patior apud cæteros plus opum reſidere: mihi certè nunquam in mentem venit, iſtorum cuiquam inuidere, quorum abs te inſolentiam & iactationem ferri poſſe negas. Idem ipſe de te cenſeo ſtatuas, nec te inanibus iſtis curis conficias. Paruo tibi ad tuenda ſtudia tua ſumptu opus eſt: is autem nuſquam homini ſtudioſo & frugi deeſſe poteſt. Sed ad epiſtolam tuam: in qua quod te mihi de literarum tuarum ſilentio tam multis verbis purgares, nihil ſanè neceſſe fuit. Quam enim ipſe mihi in eo ſcribendi genere legem dixi, hanc cæteris quoque omnibus dictam velim: vt tum denique literis, cùm id vel noſtra vel amicorum interſit, vtamur. Reliqua epiſtolarum genera, etſi me nõ parum delectant, præſertim quæ homo neq; ſtultus neque infans conſcripſerit, ea tamen ab amicis non magnopere exquiro, quorum officium ad mutuam animorum volũtatem,

non ad inania hæc ſtudia, ſemper referendum eſſe iudicaui. Sic igitur facies, & per me quidem tacebis cùm voles, & quandiu voles: ita tamen vt mihi literarum tuarum ſermo ceſſatione gratior ſit futurus: ſed ea, vt dixi, conditione, ne tu in eo parem à me vel gratiã expectes, vel diligentiam. Vix enim credas, quàm mihi in tanto ocio ſcribundis literis parum vacet. Quod porrò te nobiſcum viuere velle oſtendis, eſt id mihi quidem gratiſſimum: ſed quid te ea in re iuuare poßim hoc tempore, non planè video. Perſequar tamen vias omneis, vt mihi conſuetudinem tuam in optatis maximè fuiſſe aliquando intelligas: quanquam id te iam intellexiſſe literæ tuæ ſignificabant, & certè ita eſt. Amaui te quo primum die cognoui, ſpectauiq́; ex eo tempore ſemper quemadmodum nobis de ſtudiorũ noſtrorum rationibus inter nos commentari ſæpius liceret: verum neſcius quid tu ea in re animi haberes, curaui id ſcilicet adhuc lentius, quàm animorum noſtrorum coniunctio poſtulare videatur. Nunc etſi mihi cõſiliorum tuorum rationes ſignificaſti magis, quàm explicuiſti, tamen videbimus diligenter aliquid, in quo ſit tum certa tuendi ocij tui fides (hoc enim mecum agere videris) tum eius quam mihi tecum intercedere velim conſuetudinis explorata facultas. Tu fac interim

animo ſis magno, nec quicquam eſſe putes tanti, quod ſtudiorum tuorum iter interrumpat. Quæ nunc iacet afflicta, emerget, mihi crede, aliquando Virtus. Vale. Ex Vrbe Patauio. nono Calend. Iun.

Scripta iam diu epiſtola, nec eò data, quod cui rectè committeretur non eſſet, accepi alteras abs te literas, multo miſerabilius quidẽ & triſtius, quàm ſuperiores. ſed in eãdem tamen rationem conſcriptas. Itaq; hic mihi tantum admonendus es, ne te ægritudini dedas, quæ nec rationibus tuis quicquam profutura eſt, & ſtudijs tuis multum etiam obfutura. Sed nec tam acerbus iſte, quem impendere oſtendis, caſus videri poteſt, vt cum eo tibi omnem libertatis & dignitatis ſpem abijciendam eſſe exiſtimes. Iam primum ea ſeruitus, ſiquidem ſeruitus dicenda eſt, alios mercede docere, tibi cum omnibus ferè tui ordinis hominibus communis futura eſt. Deinde ſi ſapis, nec ipſe te nunc proijcis, vberes etiam inde fructus percipies. Denique non tam iuſtas abs te quenquam ſuis muſis operas exacturum puto, quin tibi cum tuis rationem habere liceat, ſi non quatenus cupias, certè quantum homini, qui & meditationis bono vti norit, & in rectam diſciplinæ viam iã olim ingreſſus ſit, ſufficiat. Poſtremò, velim te mihi hominem eſſe memineris, qui iam pridem

non

non cum natura tua, quæ quidem tibi contigit optima, ſed cum fortuna, quæ tamē omnino non ſit peſſima, luctari cœperis. Id ſi diligēter feceris, nec ſpe fueris nulla, & iſta qualiacunq; ſunt humaniter tuleris. Agerem his de rebus tecū & certius & ſubtilius, ſi quibus conditionibus inuitere, & quo ipſe ſis ſtatu, mihi apertè expoſuiſſes. Nunc in rerum omnium ignoratione ſumma, ad quidnā potiſſimum literas meas accōmodem, aut quid tibi conſilij dem non planè habeo: ſit tamen id caput, ſeruiendum tibi eſſe tempori: ego enim ne diu ſeruias, perficiam: operam quidem certè ac ſtudiū meum omne in eo tibi quàm diligentiſſime nauabo. Extremum illud erit, quod etſi minimum præſidij affert, eſt tamen omnium certiſſimum. Perſuade tibi in re familiari mea eſſe nihil, quod tibi non commune mecum eſſe velim. Iterum Vale. IIII. Non. Iun.

CHRISTOPH. LONG. St. Saulio, & M. Ant. Flaminio. S. 17

ETſi conſtitueram nihil ad vos literarum dare, niſi me vel ſcriptis veſtris ipſi prouocaſſetis, vel hic certè aliquid epiſtola dignum nobis occurriſſet: tamen cùm iſtinc P. Alcyonius proficiſceretur, ho-

mo noſtri ita ſtudioſus, vt ſe ſine meis literis hinc diſceſſurum eſſe negaret, ſcripſi has ad vos, pro ſumma veſtra inter vos coniunctione, cõmuniter, quibus id à me vnum intelligeretis, eoſdem nos adhuc eſſe, quos hic reliquiſſetis, duntaxat vt pro re nata, neq; priſtinæ vitæ ſplendorem, neq; ocij quietem, neq; ſingularem eorum quibuſcum viuo, erga me beneuolentiam deſiderem. Nam illam conſuetudinis veſtræ iucunditatem, illam ſermonum, in quibus mihi erant ferè omnia ſuauitatem ita requiro, vt non in vicinam aliquam domum, quod quidem fore initio putaram, ſed in ipſam planè vltimam Britanniam cum hoſpitibus meis demigraſſe mihi videar. Suſtentat me tamen vna & conſolatur maturi veſtri ſpes reditus: cuius expectatione ne me dicta die longius ſuſpendatis, vos etiam atq; etiam rogo. Quanquam enim nobis iam integrum non eſt, eodem vt poſthac tecto vtamur: ea tamen locorum vicinitas futura eſt, vt totos dies iuncti ſimul eſſe poßimus. Quid etiam? quid? quod ſcilicet in medijs iſtis curis ridere vobis liceat: ego certè rideo, non ea quidem ipſa quæ nobis proponuntur (ſunt enim magnæ deliberationis) ſed quod ad me aliquando tandem ventum ſit. Solicitor crebris ex Germania literis, vt M. Lutheri cauſam ſuſcipiam: ab vrbe Romæ nuncijs,

nuncijs, vt hominē ſtylo perſequar. Miſſi ſunt vtrinque ad me cōmentarij pleniores, pollicitationesq́ eiuſmodi vt omnino ſcripturus ſim, ſi id ſine inſtitutæ ſtudiorum noſtrorum rationis incommodo præſtare poſſim. Cauſa me interdū mouet, qua quidem neque illuſtrior, neque grauior alia vnquam reperiri queat: cōtrà me deterret negocij magnitudo. Nec enim difficilius quicquā eſſe puto, quàm, non dico tantis de rebus copioſe grauiterq́ dicere, ſed eas vel Latinis literis illuſtrare: quod à nobis tamen perfici poſſe nondū planè deſpero. Commentabimur quidem aliquid, ne ſoli ceſſaſſe videamur. In vtram partem? In vtrāque ſcilicet, quo certius tota de re indicare poſſimus: quanquam quò me vel grati animi officium, vel tot ætatum gentiumq́ cōſenſus vocet, non ignoratis. Et certe durior eſt Martini cauſa, quem & Pont. Maximus diris omnibus iam defixerit, & Cæſar ipſe nuper hoſtem indicarit: ſed nondum tamen bonorum omnium iudicium perdidit. Germania certè ad eam hodie tuendam multo erectior eſt quàm antea vnquam fuiſſe exiſtimetur. In Pontificis cauſam ſi deſcendo, id periculi eſt, ne me potentioribus videar venditare, atque eorum etiam flagitijs autorem præbere: in Lutheri, ne cōtra religionem ſentire & facere aliquid exiſtimer, qui hominē

damnatum defendam. Sed cùm primũ conſtitutum aliquid habuere, faciã vos fortaſſe certiores. Salutem communib. amicis, nominatim autem Do. Saulio & H Ectori noſtro: nam de Io. Saulij valetudine ita ſum ſollicitus, vt hoc in genere nec quid ſcribam, nec quid à vobis petam ſatis reperiam: vereor enim ne quod audire nolim reſcribatis. Sed hoc veſtri fuerit conſilij, ſit ne de eo aliquid ad me mittendũ: ego enim quod vnũ abſens poſſum, ſaluti eius vota facere non deſino. Valete. Patauij. pridie Id. Iun.

CHRITOPH. LONG.
Steph. Saulio S. 18

CVm ad XVII. Cal. Iul. triſtem de Io. fratris tui obitu nuncium accepiſſem, ſcripſi ad te ſtatim pro tempore pauca quædam, eaq́ ipſa ne mihi quidem tum ſatis probata: quippe qui beneuolentia magis erga te mea adductus, teſtificaturusq́ tibi dolorẽ meũ, eò feſtinanter deſcendiſſem, quàm quod aut te virum fortiſsimum, caſum iſtum tam acerbe ferre exiſtimarem, aut ſi tu eo grauiſſimo accepto vulnere frangerere, ipſe me tibi mederi poſſe confiderem: qui ſanè conſolandus eram, propterea quod fratris tui morte moleſtius nihil iamdudum tuliſſem. Verum

lectis

lectis hodie tuis literis, quibus mihi reſcribendum putaſti, cùm magnum ex officij mei conſcientia fructum cepi, tum verò ad minuendum luctum tuum puſillā illam meam epiſtolam multum valuiſſe cognoui: qui vniuerſum tibi tuum dolorem à me exhauriri potuiſſe ſignifices, ſi certam tibi ſpem, bene cum eo, qui nobis occidiſſet, agi attuliſſem. Ego verò, quanquam nonnulla in eo mea eſt culpa, quod tanta de re ſubito & exigue ſcripſerim, tamen te ſingulari propè prudentia virum iſtiuſmodi rerum, præſertim quas in ore atque animo ſemper haberemus, minime admonendum exiſtimaui. Arbitrabar enim tibi homini è religione Chriſtiano, nihil æquè in mentem tum veniſſe, atque de illius manibus cogitare: quos quidem non modo miſeros non eſſe, ſed in æterna illa ac beata domo ætatem agere, acta hominis vita te docere poterat. Quod ipſum etiam tibi à me ſatis ſignificari tum putabam, cùm ea illum probitate floruiſſe teſtarer, vt Probi cognomine merito nobilitatus eſſet. Atque ita eſt profecto mi Stephane, ſi cuius vnquā pietas atque ſingularis innocentia ab impiorum pœnis tuta cæloque digna mihi viſa eſt, Ioānnem certe tuum ab hac rerum humanarum perturbatione, in diuinas illas ſedes migraſſe non dubitanter affirmare auſim.

Non faciã vt hic ſingulas eius virtutes atq; ornamenta commemorem, quibus illum & beatum fuiſſe dum vixit, et hodie beatiſsimũ eſſe iudicem: vereor enim ne dum diuinæ eius bonitati teſtimonium dare cupio, deſiderium tuum refricem, vel dolorem potius augeam. Sed tamen ſi quemadmodum oſtendis, & certe par eſt, ſimplex illa tibi de dolore ipſius cura relicta eſt, valde iubeo ſperare te, imò verò planè confidere, non poſſe non optime cum eo illic agi, qui nobiſcũ hic optime ſemper & ſanctiſsime vixerit. Atque hæc quidẽ de Ioan. fratris tui manibus: quorum apud me tam explorata eſt ſalus, vt eos mihi veneratione potius, quàm miſericordia proſequendos putaui, atque etiam propitios iam exoptem. Reliquum eſt, vt humana iſta omnia qualiacunque ſint, ſapienter tibi & fortiter ferenda eſſe ducas, qui præ cæteris vni ſapientiæ ſtudioſis deditus, & eo animi robore præditus, vt quæcunque vulgus admiratur aut timet, ea ipſe tu, ſi animum induxeris, contemnere poſsis atque deſpicere. Induces autem facilime, ſi quod te facere arbitror, philoſophiam ipſam nihil aliud eſſe, niſi perpetuam mortis commentationẽ ſemper memineris. Vale. Ex vrbe Patauij IIII. Calend. Sex.

BHRIST

CHRISTOPH. LONG. Steph. Saulio S. 19

SIquid vnquã ex hominis mihi neceſſarij morte doloris cepi, acerbiſſimũ certe nobis de Ioan. fratris tui obitu nuncium fuiſſe, tu pro meo in te tuosq; omneis, ſed in illũ inprimis amore exiſtimare potes. Tanti enim ſemper hominem feci, quanti apud me is eſſe debuit, quem & tu faceres plurimi, & ego mihi amiciſſimum eſſe iudicarẽ, tam verò ea probitate præditum cognoſcerem, quæ illum Probi cognomine merito nobilitaſſet. Verum quid agas? ſic nobis hunc caſum ferendũ eſſe cenſeo, quemadmodũ decet eos homines, qui nec de animorum immortalitate quicquam dubitent, & illum mortalem hic fuiſſe, & ſe non diu ſuperſtites ei fore ſciant. Profectò cùm mihi vna ſententia genus humanum iam inde à condito orbe damnatum eſſe in mentem venit: cùm omni ſpe præciſa nos ad vltimũ ſupplicium omnes quotidie rapi video: cùm nullã omnino illis aut fortunæ, aut ætatis, aut virtutis rationẽ haberi perſpicio: facit ipſa ſcilicet ſalutis deſperatio, nõ quidẽ vt omni doloris ſenſu careã (hoc enim nobis in tantis malis ſit fortaſſe optandum magis, quàm ſperandũ) ſed vt quadã animi æquitate me ſuſtentans, cùm amicorum exitus

humanius feram, qui eodem ipſe me duci videam, tum verò ut de me præcipuè cogitē, & hoc ipſo uno me conſoler, quod ſolatio relictum loci nihil intelligam, duntaxat quin nobis velimus nolimus pereundum ſit. Nam ut iſta quæ vulgo acerbiſſima putantur, non tam horreamus, quàm multitudinis opinione timenda ſunt, hoc nobis ipſum cum perſuaſionis noſtræ certa fides, tum etiam animus ipſe præſtare poteſt. Quem quidem tu, cùm & natura ſis nactus optimum, & multarum rerum uſu, multáque doctrina, & quod caput eſt, religionis Chriſtianæ pietate inſtructiſſimum, feras ea moderate oportet, quæ nec vitari, nec accuſari à quoquam poſſe conſtet. Hac enim lege in vitam ingreſſi ſumus, ut aut ſtatim occideremus ipſi, aut diutius viuendo, eos non ſine dolore aliquando amitteremus, quos vel plus, vel aliter atque par fuerat, charos habuiſſemus. Scriberem plura, aut his etiam leniora, niſi tum ea te adhuc meminiſſe certo ſcirem, quæ in hāc tecum rationē multa nuper diſputaui: tum verò eam eſſe animi tui formidinem, ut ne his quidem remedijs magnopere indigeas. facere tamen propter beneuolentiam non potui quin tibi hoc tempore meum vel officium per literas præſtarem, vel amorem quacunq; ratione teſtificarer. Vale.

CHRISTOPH. LONG.
M. Ant. Flaminio S. 20

IVcundiſsimæ mihi fuerunt tuæ literæ, quibus cùm alia multa nobis non ingrata, tum verò diſerti illius philoſophi vanitatem atque ineptias facete admodũ exequebare. Eſt is tamen mi Flamini eo ingenio, vt non modo à bonis omnibus irridẽdus ſit, ſed peſſime interdum accipiendus, vel potius quaſi peſtis quædam omnino cauẽdus: qua in ſententia etſi iam olim eſſe cœperam, tamen nuper ab eo ipſo in ea ſum planè cõfirmatus. Nam cùm poſt diem tertium quàm ſuperiores ad vos literas dediſſem, ad me reuertiſſet, nec dum deliberatum habere ſe diceret, vtrum inſtitutum iter perſequeretur, an verò ſe hinc Venetias, ad eos quos ibi ægrotos multos reliquiſſet, curandos referret: cohortatúſque eſſem hominem, vt ſi non aliam ob cauſam, certe quo conſuetudine veſtra per ocium aliquando frueretur, iſtuc ire pergeret: hic tibi non auſim vir optime mihique chariſsime, quæ homo impurus in te, patrémque tuum euomuerit, commemorare. Nam Hectorem noſtrum quaſi hominem imperitum & indictum longè aſſerebatur: Stephanum verò, etiam vt auaritiæ ſordibus inquinatum execrabatur, qui a ſe

Lazarum Bonamicum tam facile dimiſiſſet, quem duplicato operæ præmio retinere potuiſſet. Tu verò (ſed talia ſunt, quæ ne literis quidē honeſte cōmitti poſſunt) tantū habeto, peſsime illū de te & ſentire & loqui. Ego qui tum intimis ſenſibus angerer, animi æquitatem vultu ægre ſuſtinerē, ſed ſimulatione tamen eā mihi tuendā arbitrabar, rogo hominem, vndenā illa, quæ in te cōferret, reſciuiſſet, qui te vix de facie, idq́ paucos ante dies, noſſet: me quidē, qui tecum annum amplius vnum familiariſsime vixiſſem, nihil in te quod non homine ingenuo, & ijs quibus à puero deditus fuiſſes, optimis artib. dignum videretur animaduertiſſe. Hic Simiolus ille, cùm aliquādiu hæſitaſſet, nec impudētiæ ſuæ exitū alium, credo, reperiret: Erras, inquit, Longoli erras, ſi quod te vel ingenij, vel virtutis lumē in eo perſpexiſſe putas, qui & ipſe pædagogus ſit, & pædagogo patre auoq́ natus. Quid quæris? riſi equidem ipſe hominis amentiā: ſed eiuſdem quoque petulans mendacium flagris coercendum iudicaui. Atqui vides, quæ ſit hic mea, præſertim aduerſus iſtiuſmodi homines, cauſa libertas. Itaque totum me ad ſanandam, ſi qua ratione poſſem, eius ſtultitiam conuerti, verbisq́ ſatis multis oſtendi, non modo, quàm præpoſterum eſſet, & à boni viri officio alienum, aliena

virtutis

Virtutis detractione ſibi laudis aliquid quærere: ſed etiam quàm illiberale in alienis vel iuſte inſectandis vitijs libenter occupare. Qua quidẽ oratione hactenus ille commotus eſt, vt fateretur me recta quidem ſentire & monere, ſed ſe tamẽ neſcio cuius tuæ epiſtolæ tam cito obliuiſci non poſſe. Verum indignus eſt, de quo tam multa: quæ nec ipſa ſanè tamen ſcripſiſſem, niſi te pro mutua noſtra beneuolentia admonendum putaſſem vt etiam atque etiam videres, quantũ illi tribuẽdum committendúmue eſſe iudicares, qui cùm te ob os ita quemadmodum ſcribis, dilaudet, abſentem tamẽ tam acerbe diuexet, & quaſi reum perpetua oratione inſectetur: ne illud omnino reueritus, apud quem te accuſet: ſed hoc quoque ſingularis eius ſtultitiæ ſit argumentũ. Quod mihi de literis à me tibi ſcriptis gratias agis, facis tu abundãtia quadã humanitatis tuæ, vt ea quoq; grata habeas, quæ niſi tibi libenter præſtarem, is ego certe nõ eſſem, quem tu me eſſe ſemper prædicaſti. Quanquam illas non tam tua quàm vel P. Alcyonij vel etiam mea ipſius cauſa tum conſcripſi, qui & tuas elicere profecto cuperẽ: & ita mihi tecum quoquomodo loqui viderer. Quod ſi rarius à me adhuc factum eſt, quã neceſſitudo familiaritasq; noſtra poſtulare videatur, velim cùm mihi id in primis

moleſtum eſſe iudices, tam vero me poſthac non commiſſurum credas. Vt vllo vel temporum vel locorum interuallo iter amoris noſtri & officij mei facile interrumpi poſſit. Tu modo fac, vt quam mihi tuis ipſe literis diligentiam nauare cepiſti, eam mihi in reditū veſtrum nihilominus preſtes, id eſt, vt de rebus iſtis omnibus me quàm accuratiſſime certiorem facias. Nec enim neſcis quàm ego ſim iſtiuſmodi rerum curioſus, neq; ſanè à me dici poteſt, quàm mihi in eo quod de principum iſtorū conatib. ſcripſiſti gratū feceris, Itaq; res eorum geſtas, vel euentum belli potius à te expecto: qua quidem expectatione ne me diutius torqueas vehementer à te peto, & ſi pateris, etiam te rogo. Salutem Do. Saulio, & Hectori noſtro. Vale. Ex vrbe Patauio. IIII. Cal. Sextil.

CHRISTOPH. LONG. M. Ant. Flaminio S. 21

SCripſeram nudiuſquartus cōmuneis ad te & Ste Sauliū literas, daturus eas P. Alcyonio: qui cùm iſtuc iter haberet, ſe tamē profectionis ſuæ cōſilium abiecturum potius, quàm ſine meis literis ad vos venturum eſſe oſtenderat. Sed noſti hominis ingenium: ille enim & cœna, quam ei opiparam hic dederamus

ramus, & laudum, quibus à nobis ornatiſſimus diſceſſerat. & literarum, quas ſumma contentione vt feſtinanter ſcriberem peruicerat, oblitus, profectus eſſe dicitur: quod vos idcirco ſcire volui, vt meis verbis hac de inhumanitate cùm eo expoſtuletis. Quanquam idipſum de quo queror, non omnino incommode de nobis cecidiſſe videri poſſit: ea enim ijs literis incaute commiſeram, quæ illum in primis celatum eſſe cupiebam. Perfecerat ſcilicet priſtinæ noſtræ conſuetudinis vſus, vt magis quibuſcum agerem in mentem mihi veniret, quàm cui literas daturus eſſem ſatis meminiſſem: eas porro ipſas, cùm aliter initio ſtatuiſſem, tibi tamen vni inſcripſi, quod eodem ferè tempore de Io. Saulij obitu ſum à Caſare Fulgoſio factus certior. Ita viſum eſt faciendum, ad Steph. Saulium præcipuas & iſti tempori accommodatiores mittere. Tu ſi grauabere mihi Latinè ſcribere (ſcio enim quàm hoc in genere tibi nunquã ſatisfacias qui cæteris, mihi crede, ſatisfaceres, ſi quantũ in eo vales, tantũ auderes) per me quidem Italice ſcribas licet, idq́; ita deniq; ſi quid habueris quod me ſcire noſtra interſit: ſin minus tacebis quoad voles: voles autẽ tandiu me authore, quãdiu nihil erit quod ſcribas. Saluere à me iubebis Do. Saulium & Hectorem noſtrum. Ex vrbe Patauio 17. Calend. Iul.

De

De ludorum apparatu, & tota decurſionis ratione, hoc eſt, quis cui commiſſus eſſet, qui rem ſtrenue geſſiſſent, qui palmam deniq; tuliſſet, item qui in harena corruiſſent, qui & quot & quatenus haſtas infeſto curſu confregiſſent: breuiter ſingulorum dierum acta & caſus ad te diligentiſſime, vt pollicitus eram perſcripſiſſem, niſi Bernardini contentione perfectū fuiſſet, primum vt res ad Idus reijceretur, deinde etiam vt S.C. tolleretur. Itaq; ſcito legitimos ludos à nobis nullos ſpectatos eſſe: tantùm voluptatis modo, quantum cùm tu hic aderas percepiſſe.

CHRSITOPH. LONG.
Simoni Villanouano S. 22

ETſi minime dubitaram, quin meæ tibi apud Fr. Rubrium literæ magno eſſent adiumento futuræ, quem mea cauſa omnia & velle & cupere ſciebam, gratiſſimū mihi tamen feciſti, quod quam is te liberaliter cōplexus eſſet, ad me diligenter ſcribendum putaris. Perfeciſti enim tuis literis, cum vt rebus tuis bene conſultum à nobis eſſe intelligerem, tum verò vt ibi quaſi præſens ſumma cum voluptate gratularer. Iſtam igitur vrgebis facultatem mi Villanouane, & quantum tibi ſemper optauimus ocij, tanto nunc perfruere. Tu modo fac, vt eius tibi ratio diligenter

genter conſtet, & nos ſcriptis aliquando laceſſas tuis, præſertim ſi quid erit quod ad me de Rep. ſcribas: quanquam enim nullã eius mihi partem attingendam putaui, qui nihil hoc ocio ducam, neq; ſanctius, neq; ſuauius, tamen non dici poteſt, quàm quid in ea geratur, miſceatur, turbetur, ſcire cupiam. Suaue eſt enim mari in magno: noſti cætera. Neque verò multum velim in eo ſcribendo ponas induſtriæ: plebeijs aut etiam gallicis verbis per me quidem ea exequare licet, modo vt ne quid eorum quæ literis rectè committi poſſunt, me lateat, etiam ſi ſine capite, rumore, nuncio, ad te delata fuerint: quibus tamen notam aliquam ad caput velim affigas, quæ certa ab incertis diſcernantur. Id vt facias te tam rogo vehementer, quàm quod vehementiſſime: vix enim credas, quàm ſim eius generis rerum curioſus. Velim meis verbis Vercellano noſtro ſalutem referas. Vale. Ex vrbe Patauio Calend. Iul. Sed heus tu, ita ne vel areæ noſtræ confidis, vel tanti tuas epiſtolas facis, vt in ſingulas binos ſeſtertios tabellario aſcribas. Aſſe tantùm opus erat, eſtq; is legitimus vel in pleniores literarum faſciculos ſumptus: niſi tu fortaſſe proximis εὐαγγέλια deberi putaſti, cuius quidem rei te non mea magis, quàm tua cauſa certiorem faciundum putaui.

CHRI-

CHRISTOPH. LONG. Fr. Rubrio S. 23

NOn putaui me tibi, quam de Villanouano noſtro mihi gratum feciſſes, aliter poſſe oſtendere, niſi in eo declarando nouo literarum genere & latine tecum agerem qui gallice adhuc egerim: & quanquam in eo nihil à ſingulari tua vel in ſtudioſos omnes liberalitate nouum, vel erga me beneuolentia alienum feciſſe videare: tamen ſcito me tantùm ex iſto tuo in ipſum beneficio voluptatis cepiſſe, quantum literis exprimere non ſanè poſſim. Scripſit enim is ad me qua abs te humanitate acceptus eſſet, quid tu ſibi mea cauſa promiſiſſes, quid etiam iam præſtitiſſes: quibus de rebus primum tibi, vt debeo, maximas gratias ago, qui tanti literas meas feceris, vt ijs lectis non ſolum opera, qua quidem fuiſſemus cõtenti, ſed opibus etiam tuis hominem adoleſcentem, optimum quidem illum atq; doctiſſimum, ſed fortunæ iniuria abiectum, tuendum tibi ornandumq; ſuſceperis. Deinde tibi recipio, te ex iſta liberalitate tua maiores in dies ſingulos fructus perceptu rum eſſe: is enim apud te iam eſt, qui cùm magno tibi quotidie vſui multis in rebus eſſe queat, tum verò eas colat & tractet artes, quibus nominis tui dignitatem etſi domi

foriſq;

foriſq́; claram ſatis illam, illuſtriorem tamē poßit reddere. Sed hæc illum præſtare malim, quàm à me prædicari. Extremum illud eſt quamuis hominem ſua iam cauſa commendatum habeas, ſisq́; in eo quod ei pollicitus es vel conſtantiæ tuæ cauſa permanſurus nihilominus tamen abs te maiorem in modū peto, vt quemadmodum cœpiſti eum tu omni tua beneuolentia atq; liberalitate complectare. In Britannia qui tumultus adhuc ſint, à te vehementer expecto: ecquid item Inſubres rerum nouarum moliantur. Mera hic enim nobis narrantur monſtra: copias noſtras in Pyreneis montibus omnes ferè cæſas eſſe: Frāciſcum ex Eburonibus ſeſe in regnum trepide recepiſſe: Pont. Max. noua conſilia capere: Mediolani res male pacatas eſſe: Barrenſem cū magna Germanorum manu aduentare: Heluetios cum Cæſare ſentire. Quæ etſi magna ex parte vel omnia potius falſa eſſe non dubito, atque à Cæſarianis ipſis conficta, facies tamen ſi me amas, & ſi quid explorati habes de omnibus certiorem. Vale. Ex vrbe Patauio. Calend. Iulij.

CHRISTOPH. LONG.

Simoni Villanouano S. 24.

ACcepi hodie tuas literas poſt horam octauam, quæ mihi iucundiſſimæ cum fuerint

rint (eos enim quos in primis expectarem de Rep. nuncios attulerunt) hoc tamen aſperſerunt moleſtiæ, quod me tibi calumniæ nomine ſuſpectum eſſe ſignificarent. Ego verò mi Villanouane tantùm abeſt, vt te, quem multis de cauſis facio plurimi, in crimen vocare velim, vt ne calumniam omnino grauem à te paſſus, tecum ſim vnquam expoſtulaturus. Iocari ſcilicet tecum tum volui, atque te interim hominem planè hoſpitem improbitatis tabelliorum, quibus nos prædæ eſſe, dolebam, leuiter admonere. Nam quod epiſtolas tuas ne minimi quidem abs te putari ſcribis, agnoſco equidem modeſtiam tuam: ſed tamen ſcito eas à nobis in maximis poni, neque à te quicquam mihi hoc tempore fieri poſſe gratius, quàm ſi talibus de rebus crebro me & diligenter certiorem facias: ita tamen vt ea demum literis committas, quæ prolata, tibi fraudi futura non ſint. Malo enim aliqua neſcire, quàm te mea cauſa quicquam periculi adire. Percrebuit hic rumor atrocior quidem ille, quàm vt libeat credere, ſed conſtantior, quàm vt omnino contemni debeat: Tactam de cælo Mediolani Iouis arcem, nuper conflagraſſe. Tu ſi quid exploratius iſtic erit, de eo ſtatim ad me ſcribes. Vale. Ex. vrbe Patauio. Non. Quintil.

CHRI-

CHRISTOPH. LONG. Franc. Rubrio S. 25

SImon Villanouanus certiorem me hodie per literas fecit, addubitare te, num epiſtolam quam ad me nuper latinam dediſſes, acceperim. Ea vero mihi reddita eſt fuitq; gratiſſima, & quod inter nos dictum liceat, multo etiam quam expectarem elegantius conſcripta. Sed Vercellani ſcilicet noſtri atq; ipſius Villanouani conſuetudine iam factus eſt orationis tuæ cultus nitidior, quàm tibi per noſtrorum iureconſultorum literas adhuc licuerit. Ad eam autem nihil reſcripſi, vel quod neceſſe non putabam, vel quod te mea cauſa ab regijs negocijs abduci nollem. Scio quàm hoc præſertim tēpore laborioſam obeas legationem, quàm item hoc ſcribendi genus ocioſorum ſit hominum, non eorū qui in magnarum nouarumq; rerum deliberatione totos dies verſentur. Sed tamen ſi quo literarum noſtrarum ſtudio teneris, faciam vt in eo officium noſtrum poſthac ne deſideres: tu mihi modo fac epiſtolæ argumentum ſemper præbeas: hinc enim nihil eſt quod expectes: iſtuc omnia vndiq; ad te perferuntur. Sed ne planè ſit inanis epiſtola, ſcito quæ de copijs noſtris in Pyrenæo conſciſſis ad te nuper ſcripſi, & tu vera eſſe negas, ea hic omnia in

o dies

dies ſingulos magis ac magis confirmari. Legi equidem heri epiſtolam Venetijs miſſam, quæ duas noſtras legiones cum aliquot equitum turmis & decem Germanorum cohortibus ſubito Hiſpanorum aduentu oppreſſas eſſe nunciarent: quod quidem ut credam, etſi adduci non poſſum, facit tamen iſtorum uel conſtantia uel pertinacia, ut etiam nunc animi pendeam. Tu mihi hunc, quæſo, ſcrupulum eripe, atq; ea tota de re paulò me accuratius certiorem faciendum curato: tibi enim ad hoc ipſum non ſatis eſſe ocij intelligo. Vale. Ex urbe Patau, 3. Id Quintil.

CHRISTOPH. LONG.
Simoni Villanouano S. 26

ACcepi binas abs te paucorum dierum interuallo literas, easq; & officij & rerum nouarum plenas: quod ipſum cùm dico, non iam expectas, opinor, ut illas mihi gratas queq; fuiſſe adijciam: id enim tu, uel tacente me, certo ſcire potes. Tu modo fac, ut quam mihi adhuc iſtic nauaſti diligentiam, in ea mihi præſtanda pari ſtudio atq; aſſiduitate perſeueres. Neq; uerò te ceſſatio mea deterreat (ſcis enim quàm ſim in ſcribendo natura piger) ſed ſi me amas, hoc ſæpius mecum agito, quod ad excitandam ignauiam noſtram crebrioribus literis opus eſſe perſpicis. In

In eo etiam mihi veniam abs te dari velim, vt mea poſt hac cauſa ſis paulò quàm adhuc fueris iſtiuſmodi rerum curioſior. Ego enim qui à ſpectaculis & ludis non valde abhorream, principum noſtrorum turbas & motus quaſi ſcenam aut theatrum aliquod πολύανδρον mihi libenter propono. Sed hæc tuo tamen commodo omnia. Nunc ad literas tuas: in quarum poſterioribus, quod ſignificas exercitus noſtri cladem maiori nobis eſſe infamiæ quàm fuerit rebus illis detrimento, paucos enim omnino in ea pugna cecidiſſe, velim ita ſit: ſed tamen hic pro certo habetur, cum copiarum noſtrarum ducem in hoſtium manus viuum deueniſſe, tum vero regnum vniuerſum ab Hiſpanis eodem victoriæ curſu recuperatum eſſe. De Pompelona quidem, quidem, quæ ipſa Vaſconum caput eſſet, quin in hoſtium poteſtate ſit, hic dubitat nemo. Fanum autem Ioannis, quod eſt in ſaltus Pyrenæi faucibus oppidum munitiſſimum, à noſtris adhuc teneatur, nec ne, nondum exploratum habemus. Ea igitur de re certiores nos quàm primùm feceris, ſimul & qua pace, quibúſque præſidijs Mediolanum firmatum teneamus. Nam ne illa quidem quæ vellemus afferuntur, tametſi Lautrecum cum non contemnendis Aquitanorum & Helnetiorum copijs in Italiam aduentare audimus.

dimus. De militari Bellai noſtri tribunatu bene velim ominere: quanquam enim Marti cum Muſis haud ita belle conueniat, ſunt ea tamen illa vel prudentia vel ſuauitate, vt ferociam eius nil difficulter in poteſtate ſua habitura videantur. Mitto tibi literarũ faſciculum, quem velim Lutetiam diligenter perferendum cures. Id autem facilime ex ſententia noſtra confeceris, ſi in eo Rubrij noſtri, vel opera, vel authoritate vti voles: quod vt facias, & vt ei plurimam meis verbis ſalutem impertias, à te vehementer peto, & ſi pateris, etiam rogo. Quotieſcunq; à me tabellas, cuiuſmodi hæ ſunt, exteriore ſui parte rubrica oblitas accipies, ſcito tibi nihil earũ nomine tabellio perſoluendũ eſſe: me quod opus erat, hic erogaſſe. Vale. Ex vrbe Pata. 11. Calend. Sextil.

CHRISTOPH. LONG.

Simoni Villanouano S. 27

Nihil erat, quot te mihi de literarum intermiſsione excuſares, quam nullam adhuc fuiſſe video, etiam ſi tu in Formiano quodam tibi relegatus eſſe videare: tum vero omnia ſic ſuſpenſa eſſe intelligo, nihil omnino vt ſit, quod ad me pro certo ſcribere potueris. Duas illas, quas te mihi miſiſſe ſcribis epiſtolas, accepi, fueruntq; mihi iucundiſsimæ: nec

nec tamen eiuſmodi, ut reſpendendum illis quicquam fuerit, præter illud, magnam me ex earum lectione voluptatẽ cepiſſe: ſed quotidiana huiuſce rei teſtificatio, ex amicitia noſtra ſublata iam eſſe debet. De Antonij Pratiani ad Iccium portum profectione, iam pridem hic audieramus. Quæ vero de Lautreci equitatus legionumq; numero prid. Calend. ſextil. nunciaſti, nemo hic credit, contraq; omnia quæ nolim huc afferuntur: Illũc cum tyrone & collectitio exercitu, tum parua, ne ea ſatis fida Heluetiorum manu Mediolanum veniſſe: Pontificis copias & genere & numero firmiſſimas, iam in Hoſtico caſtra poſuiſſe: Exercitum noſtrum oppidorum munimentis ſe tueri: Sex Retorum millia in Mantuanum agrum ex Germania peruaſiſſe: In vlteriore autem Gallia Cæſaris copias in dies ſingulos magis ac magis augeri: Regi decretum eſſe bellum ducere, nec niſi ex occaſione ſumma manum conſerere. Qua in ſententia ſi ille perſtiterit, planè vicimus: ſin minus, ut etiam ſuperiores diſcedamus, vereor tamen ne magno nobis conſtet victoria: ſed hoc deus aliquis viderit. In Hiſpania audio eas ciuitates, quæ ſe in libertatem vendicarant, vi expugnaſſe oppidum, in quo Ioanna Regina à principibus adſeruaretur: atque eo caſu liberatum eſſe Gal-

lorum præſidium, quod in arce Pompelonenſi ab Hiſpanis obſideretur. Soluta enim obſidione recurriſſe illos ſtatim in intimam Hiſpaniam, Reginæ opem laturos, quæ in plebis poteſtatem iterum venißet. Quod ſi ita eſt, ducesq́ue noſtri tanto fortunæ beneficio ſunt vſi, non dubito quin omnis iam Vaſconum regio ad imperium redierit. Tu ſi quid hac de re exploratius iſtic erit, facies mihi notum id vt ſit: itemq́ue illud, quanam in Galliarum parte Cæſaris Regisq́ue exercitus paruo flumine diuidantur. Mirum enim, nihil de eo certi nobis adhuc eſſe allatum. Illud penè præterij, quod minime omnium velim: Regi ſtare ſub ſignis in Gallia, equitum quidem millia circiter quindecim, legiones vix ſeptem, ſed eas virtute fideq́ue præſtantißimas. Cæſarem vero in cogendo exercitu adhuc eſſe occupatum: ſperari autem vt propediem equitatu nos æquet, peditatu longe ſuperet. Tu de his omnibus, & ſi quid præterea noui, ad nos curioſius ſcribes, atque mea cauſa res huiuſmodi omnes ſagacius aliquando odorabere. Cum enim oſtendas te ea tantum ſcribere, quæ ex prætereunte exceperis, venit mihi in mentem ſuſpicari, te parum mea cauſa laborare: ſed non plus tamen contendo, quàm rationes tuæ patiantur. Vale. Ex vrbe Patauio VI. Idus Sextilis.

CHRI

CHRISTOPH. LONG.
Iulio Tomarotio S. 28

NOn cõmiſiſſem ut tua me epiſtola prius opprimeret, quàm tu à me literarum aliquid accepiſſes ſi vel ubi eſſes certum habuiſſem, vel quid ad te potiſſimum ſcriberem mihi in mentem antea veniſſet. Scis enim eam temporum tuorum rationem adhuc fuiſſe, ut neq; tu, propter varios nauigationum tuarum curſus, certo loco conſederis: neq; ego, propter caſus tui acerbitatem, ullo tecum ſcribendi genere agere potuerim, qui nec quo te conſilio iuuarem, nec quod tibi pollicerer, haberem, nec te virum fortiſſimum omnino conſolari auderem. Itaque etſi ad literarum tuarum lectionem erubui, quæ ceſſationem quodammodo mihi exprobrarent meam, leuarunt me tamen eadem ipſa magna moleſtia. quod & te Romam ſaluum veniſſe ſignificarent, & eam præ ſe animi tui ferrent magnitudinem, ut gratulandum potius virtuti tuæ, quàm te cuiuſquam oratione confirmandum iudicarem. Sic enim certè me tu in tanto rerum tuarum naufragio, cum de te ſpe iubes eſſe maxima, tum vero ne tuorum incommodorum nuncijs quicquam perturber cohortaris: ut & priſcam illam vel in te uno, Po. Romani fortitudinem mihi videar agnoſce-

re, & in eam interdum etiam ſpem venïam, vt te fortuna aliquando complectatur vnice, quem illa iam aliquot annos terra marique iactatũ inſectata ſit acerbiſsime. Sed hoc ipſa viderit: te quidẽ certè apud mortaleis omnes plus ex iſta tua conſtantia laudis relaturum perſpicio, quàm illa aut tibi iam ademerit, aut etiam in poſterum rebus tuis nocere poſſit. Quare fruere iſto tuo mi Tomaroti inuicto animi robore, & quod iam ſumma omnium noſtrorũ admiratione facis, ſperes omnia ſemper optime: & quemcunq; fortuna tulerit caſum, hũc tu excelſo atque elato animo perfer ſapientiſsime. Flaminium tuum, vel noſtrum potius, quod mihi commendandum non duxiſti, id quidem & ipſe facile paſſus eſt, & tu mea ſententia recte auguratus: neq; enim vlla cuiuſquam commendatione illi apud me opus fuit, quem vel eximia ſua virtus, vel ſuauiſsimi mores atq; ſingularis probitas mihi ita commendet, vt neq; chariorem eo, neq; coniunctiorem hic planè habeam neminem. Certè nullum à me bene de eo merendi tempus amittitur: quod ipſum hoc facio libẽtius, quod quotienſcunq; eum video (video autem nullo penè non die) expreſsiſsimam quandam animi corporisq; tui imaginem mihi videor intueri. Tibi autem quantum debeam, ipſe mihi locuples ſum teſtis. Sed de meis in eum

officijs

officijs ſpero te iam, & malo ex aliorum, vel ex ipſius etiam literis, cognoſcere. Quod autem me ad ætatem noſtram ſcriptis meis illuſtrandam adhortaris: ego verò me abs te magnopere irrideri putarem, niſi iſta te cùm ſimplex & aperta animi tui altitudo, tum verò perſpecta mihi iampridem tua erga me beneuolentia ab omni eiuſmodi illiberalitate vendicaret: nam quis ego tandem ſum? Sed nihil faciam inepte, nec committam vt me autore quiſquam de me male exiſtimet. Tãtum habeto, à me non modo id nunc quidem non agi, vt ætas noſtra, ſed nec omnino vt nomen, de quo etiam me admonuiſti, illuſtretur meum. Vides tu quoq; opinor, quo ſint hodie loco Romanæ & artes & literæ: quas tantum abeſt, vt ſtudioſis ſui aut honorificas eſſe, aut fructuoſas putem, vt ſemper quidem fidem illæ, ſæpe etiam exiſtimationem noſtram labefactẽt. Quid in ijs igitur, inquies, operam tuam ponis omnem & induſtriam? dicam tibi, & vere mehercule dicam, ſed ea lege, vt tibi hoc dictum arbitrere vni. Teneor incredibili earum voluptate, atque ea eius ſanè modi, vt etſi ipſas de re, de valetudine, de dignitate etiam noſtra plurimum in dies ſingulos detrahere ſentiam, non poßim tamen neque adeò velim illa omnino ratione ab illis abduci. Iam iſtuc, mera eſt, inquies

inſania. Mera prorſus: ſed quæ me tamen interim omni iſtorum ſapientia magis delectet. Verum de his plura, cùm ex te intellexero, quàm vacuo ſis & parato ad has nugas accipiandas animo. Vale.

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 29

R*Edditæ mihi ſunt hodie tuæ literæ, & cum ijs à Pont. Max. Lutherianæ cauſæ commentarij, quod ad ſummi quidem Pontificatus rationem attinet, pleniores omnino illi: in eo autem in quo maximè urgemur, planè nudi & inanes. Nihil enim facilè in ijs reperias, quod vel ad manium expiationẽ, vel ad luſtricam vivorum confeſſionem, vel ad innocentiæ reſtitutionem, vel ad cætera quæ ille in diſceptationem vocans multa miſcet, quicquam pertineat. Quinetiam ad maximi ſacerdotij confirmationem alia ibi ferè afferuntur nulla, niſi quæ in Pontificum libris, & in peruulgatis iſtis theologorum diſputationibus iactantur. Ea autem eſſe eiuſmodi omnia, vt cùm per ſe infirma ſint, & imbecilla, tum verò ab aduerſarijs iamdiu exploſa, nec tu ipſe quidem ignoras. Sic tamẽ dabimus operam, vt ne quis à nobis boni ciuis officium rectè deſideret: quanquam hac in re,*

nouo

nouo quodam & adhuc inaudito moleſtiæ genere diſtrahor: qui non poſſum, neq; iſtorum quorum & probo & ſcripturus ſum cauſam, ita laudare mores: neque illorum quorum odi parteis & improbo conſilia, vitam quoq; magnopere damnare. Quid enim illis præter cauſam deeſt? quid nobis præter ius à maioribus traditum ſupereſt? Pro eo tamen iure, quod ego planè diuinum eſſe mihi perſuadeo, nobis non modo ſtylo, verum etiam, ſi res cogat, pilo & haſta dimicandum eſſe cenſeo. Sic igitur ad ſcribendum deſcendo, vt omnes facile bonos intellecturos ſperem, me nullis in hunc ſenſum, neque beneficijs eſſe allectum, neque cuiuſquam iniurijs compulſum. Tametſi mi Bembe iam nunc animo perſpicio, vt neque iſtis pugnandi cupidis, vllo ſim modo ſatis facturus: ardentius enim me (ſcio) & contumelioſius vellent ſcribere: neque ab ijs quorum potiſſimum ſalus agitur, vllam omnino gratiam relaturus: neque enim me ſua vnquam cauſa huc deſcendiſſe, ſed temporibus ſeruire voluiſſe exiſtimabũt. Verum hoc Deus viderit. Ego enim qui quam perſonam ſuſtineam non ignoro, cùm Chriſtiani hominis eſſe functurum me confido, tum verò quicunque fuerit exitus, conſiliorum meorum conſcientia me ſuſtentabo. Quod me in Patauinum tuum non inuitas

vitas, facile patior. Nec enim fortaſſe tibi iſtic ſatis eſt tecti, & quædam etiam hic à nobis perpoliuntur opera iam olim inſtituta: ſed tamen te propediem videbo. Vale. Ex Vrbe Patauio prid. Cal. Quint.

CHRISTOPH. LONG. Flaminio Tomarotio S. 30

BReuitate literarum, qua mihi tecum per te vti licet, eo nunc vtor libentius, quod nihil eiuſmodi poſſim ad te ſcribere, quale & tu expectabas & ego mehercule optarem. Nam cùm mihi δυσωπία illa mea liberum nihil adhuc reliquit, tum verò hominem tam grauiter ægrotantem offendi, vt mandata tua ei exponere alienum putarim, præſertim cùm de anguſtijs eius ex Grimoaldo noſtro aliquid odoratus eſſem: & mihi in ſermone inieciſſet, nihil eſſe quod vel ipſe hoc tempore à Leonte expectarem, quem quidem tāta pecuniarum anguſtia premi conſtaret, vt ne ſuis quidem parceret, & pontificatui iam olim conſecrata prædia proſcriberet, & factum argentum omne aurúmque in ſtipendium militare iam ſignaſſet. Itaque mihi limacum ritu, meo victitandum eſſe ſucco vides: tibi verò polyporum modo brachia tua circumrodenda, atq; adeo niſi te deus aliquis

reſpe

reſpexerit, planè deuoranda. Non ſunt hæc ridenda omnino, quæ ſtudijs & ocio noſtro tam ſunt inimica: ſed noſti ingenium meum, qui malim omnia ridere, quàm flere. Vale. Venetijs, VI. Calend. Octobr.

CHRISTOPH. LONG. Steph. Saulio S. 31

Legit mihi Nicolaus Leonicus literas à te ſibi nuper miſſas, neque tam opinor, eò legit vt quam tu iſtic rerum tuarum rationem inſtituiſſes, inde fierem certior (id enim paucis omnino verbis ipſe commodius expoſuiſſet) quàm vt ex ijs, quantùm priſcæ ac germanæ illius eloquentiæ ſtudio profeciſſes, cognoſcerem. Ac mihi profectò genus earum tum quidem eiuſmodi viſum eſt, vt quanquam te iſta tum natura, tum induſtria præditum nihil non facilè conſecuturum ſperaram, vinceres tamen expectationem meam: ſimul & Leonico ipſi ſubinuiderem, quẽ tanta ſcriptorum tuorum elegantia beares: tibi verò tacitus ſuccenſerẽ, qui nihil ad me prorſus ſcriberes, hominẽ (vt cætera omittantur) tibi vel ſtudiorum ſocietate cõiunctiſsimum, vel multis etiam & magnis de cauſis amiciſſimum: diſsimulabam tamen dolens, expectabamq́ue, vt de maturo tuo ad nos reditu ali-

quid tandem adſcriberes, cum ecce in extremo earum turbo, quo repente in venientem annum reiecti ſumus. Quid quaeris? ex re, niſi te facerem plurimi, haud ita magna, magnum (mihi crede) accepi dolorẽ, qui & Leonicum elatum viderem, & me non ſolum literarum tuarum fructu orbatum, verum etiam, qua me vna adhuc ſuſtentaram aduẽtus tui ſpe planè deſtitutum perſpicerẽ. Itaq; tibi has ſtatim, dolenter quidem ſed amãter ſcriptas, miſi, vt quãdo mihi ſuauiſſima tuae conſuetudinis vſu tãdiu carendum eſſet, ſaltem literarum tuarum iucunditate deſideriũ noſtrum lenires, atq; adeò non nihil adſcriberes, quo nos tibi adhuc curae eſſe communibus amicis fidem facere poſſemus. Quod enim à diſceſſu tuo & ipſe ſtatim ad regiũ hunc adoleſcentem me contuli, & tu ad me niſi ſemel, & breuiter, & nulla tuae erga me voluntatis ſignificatione, idq; ſaepius à me prouocatus, ſcripſiſti, adduxit ea ſcilicet res in hãc opinionem certos homines, vt te mihi immutatum ſuſpicarentur. Ego qui te ex animo meo metior, & à me amicitiae noſtrae fidem ſanctè cultam eſſe mihi ſum conſcius, non quidem iſtorum ſermonibus omnino commoueor: ſed admonendum tamen te puto, vt aliquid des hominum opinioni, neq; commiſſum velis, vt taciturnitas tua in eam, quam minime decet,

partem

partem à nonnullis interpretari poſſit. Hoc ſi feceris, & conſtantiæ tuæ conſulueris, & mihi certè gratiſſimum feceris, qui non modo abs te amari, verum etiam tuum erga me amorem omnibus notum atq; teſtatum eſſe cupiã. Vale. Ex Vrbe Patauio. X I. Cal. Nouemb.

CHRISTOPH. LONG. Ant. Flaminio S. 32

ACcipio tuam de intermiſſione literarum excuſationem: ſed ea demum lege, vt me tibi eodem nomine purgatum eſſe velis. Neque enim vlla negligentia mihi officio defuiſſe videor, qui cùm quod ſcriberem, nihil planè haberem: tum vel ò vel te, vel à te aliquid, vnde mihi ſcribendi argumentũ naſceretur, in dies ſingulos expectarem. Quod autem me iniurias tuas ambitioſe magis, quàm vere doluiſſe exiſtimas, in eo certe grauem amicitiæ facis iniuriam. Nihil eſt in me vanum, neque eſſe debet, præſertim cùm ad te ſcribo, quem omnium cogitationum mearũ, non ſolum actionum participem eſſe ſemper volui. Sed de iſta tua ſuſpicione malo tecum coràm expoſtulare: tantum interim habeto, eum eſſe me, qui & amicorum iniurias nihilo feram leuius quàm meas, & me cuiquam venditare neque ſciam, neq; ſi ſciam omnino velim, & ad quoſcunq; ſcribam, cum

ijs plebeio ſermone non libenter agam. Quod ais Vereri te, ne Vobis iſtic hyemare neceſſe ſit, ego Verò id Stephano noſtro decretum iam eſſe intelligo ſiquidem Vera ſunt, quæ de Leonico & de Fulsio audio. Ac profectò tuti ad nos itineris ratio, hoc quidem tempore nulla iniri poteſt: obſeſſis, trium exercituum caſtris, cis Padum Vijs omnibus, nec ipſa ſanè Aemylia ab ardore belli etiã nunc Vacua. Quare eôdem quò tu me, ipſe te nunc ſcilicet Voco, Vt quando amicitiæ noſtræ fructus præſentes percipere non poſſumus, ad leniendum Vtriuſque noſtrum abſentis deſiderium, bono literarum Vtamur. Et quoniam non ſemper ſcriptione digna res nobis occurrent, tu ſi nihil erit aliud, Vel de ratione ſtudiorum ad me tuorum ſcribito: idem enim ego facturus ſum, ſi modo in eo genere officium meum non aſpernabere: nõ aſpernari autem illud mihi Videbere, ſi tu eiuſmodi aliquid prior mihi miſeris. Sed hoc tui fuerit conſilij. Illud equidem interea neſcire te nolim, ſcriptam eſſe à me eam cauſam, quam Vt ſuſpicerem, crebris me ab Vrbe Roma nuncijs Vrgeri tibi aliquando ſignificaui. In ea (ſi quæris) eiuſmodi P. Bembo & Andr. Naugerio Viſi ſumus, Vt eas à nobis res non modo Latinis literis complexas eſſe iudicarint, quod ipſum ne fieri non poſſet multum certè Verebamur:

bamur: ſed noua etiam quadam tum rerum argumentorúmque vi, tum vero dicendi ratione ita illuſtratas atque ornatas, vt me vnum omniũ & in arcem Lutherianæ cauſæ inuaſiſſe affirmarint, & theologiam ipſam ex ſcholis in concionem & forenſem aciem eduxiſſe. Plus omnino illi mihi tribuunt, quàm vel induſtria noſtra mereatur, vel ego quidem ipſe agnoſcam: venit enim mihi quoque in mentem ſuſpicari: teſtimonium illud plus habuiſſe cohortationis ad ſperatam virtutem, quàm veræ & plenæ laudis ad præſentem gloriam. Sed tamẽ facere non poſſum mi Flamini quin & tali tantorum virorum ſiue iudicio ſiue conſilio delecter, & quod ex eo delectationis percepi, id ad te per literas quoquomodo deferam, quem quaſi alterum me, ac fortunarum mearum omnium ſocium eſſe volui. Salutem do Saulio & Hectori noſtro. Vale. Ex vrbe Patauio. X. Calendarum Nouembr.

CHRISTOPH. LONG.
Thomæ Linacro S. 33

PErgratum mihi fuit munuſculũ tuum, quod quaſi quoddam coniunctionis atq; amicitiæ noſtræ monumentum Reginaldus Polus hodie mihi reddidit: ſed quo nihil

facile, ad eam quidem rem, opus fuiſſe iudico: ego enim qui cæteros, præſertim amicos homines, ex natura mea ſoleo fingere, eam quam ipſe tibi abſens præſtarem memoriam atque beneuolentiam, abs te mihi præſtari non dubitabam. Quod ſi tuæ erga me voluntatis pignus aliquod apud me eſſe volebas, qui tam multa in ipſa Britannia anno ſuperiore dediſſes, miſiſſes potius literarum aliquid, quæ nobis cum omnibus virgulis & annulis iucundiores certe fuiſſent, tum vero certius de tuo in me animo vberiúſque teſtimonium attuliſſent. Nunc aurum miſiſti, αἰθόμενον quidem illud πῦρ ἅτε, ſed quo neq; tu homo philoſophus planè abundas, neque ego magnopere capior: literas non miſiſti, quas & tibi conſcribere fuit facilimum & mihi legere longe iucundiſſimum. Atque vt intelligas ea me ſentire quæ ſcribam, ego vero contra ad te mitto pro annulo epiſtolam, ſimul & defenſionum noſtrarum libellum nunc primum ex ſententia noſtra editum: de quo ſi tu ad me quid ſentias, libere perſcripſeris, erit mihi nihilominus, quàm ipſum munus tuum gratum atque acceptũ. Vale. ex vrbe Patauio. Non. mai.

CHRIST

CHRISTOPH. LONG.

Octauiano Grimo. S. 34

CVm iam ſextum diem literas tuas expectaſſem, calamum ſumpſiſſem, vt te ad promiſſorum exolutionem inuitarem, redditæ mihi ſunt epiſtolæ à te duæ officij ſcilicet & rerum nouarum plenæ. Gallos eam accepiſſe cladem & doleo, & mehercule etiam lætor: doleo, quòd eius turmæ fortiſſimum quenque cecidiſſe reor, & inter eos Montanum Gronium, hominem mihi non ſolùm vetuſta neceſſitudine, ſed etiam quadam literarum ſocietate coniunctiſſimum: lætor, quod haud ita magna mercede iam didicerint, non eſſe temere oppugnanda hoſtium caſtra, præſertim loci natura & hominum ingenio munitiſſima. Itaque Heluetiorum probo conſilium & Venetorum, qui ſe Gallo ſocios ad eam oppugnationem adiungere noluerint. Sedunenſis Antiſtitis copias eſſe collectitias mihi facile perſuadeo: pugnaturas autem aduerſus Gallos, & decem eſſe millium numero non item. Qua enim aut fiducia, aut etiam ſpe Gallus eodem ſe loco contineret, niſi ſe vel numero parem, vel illos contra ciuitatis ſuæ decretum ciuéſque ſuos minime pugnaturos eſſe, certo ſciret? Mediolanum præſidio tum externo, tum domeſtico formatum eſſe audieram. Carolum Cæſarem & Franciſcum Regem

ſigna collaturos minime putarã. De eiuſdẽ Cæſaris anguſtijs iam olim exploratũ habebamus. De Grolerio gratũ feciſti: & tq; in eo quemadmodũ cœpiſti, diligentiã tuam mihi præſtes, te etiam atq; etiã rogo. Nam & numaria res noſtra tibi curæ ſit, te ne admonẽdum quidẽ puto. De Bembi noſtri valetudine aliquid ſcribes, nõnihil item de mira iſta proluuie, qua & forum Marcianũ, & vrbẽ penè totã in aquis obrutã eſſe audio. Hic certè flumina alueos ſuos egreſſa agros totos inundarunt; ac propediem futurum ſperatur, vt cùm aſſiduis hymbribus, tum ipſo anni tempore domita vtrarumq; partium pertinacia, exercitus aut dimittantur, aut in hyberna certe deducantur. Tu cui literas tuas des, poſthac videto: proximas enim ſi quidẽ illis diem rectè aſcripſiſti, longiore multo quàm par erat interuallo accepi. Quod ad me attinet, ſtudeo quidem vt cùm maximè: ſed nunquam neque mihi pituita moleſtior fuit, nec aſtricta aluus plus negocij exhibuit, credo quod te authore, ac duce abſtemius eſſe cœperim: quanquam id non tam ea cauſa quàm temporis intemperie, vel puteanæ aquæ cruditate accidiſſe arbitror: quare vereor ad vinum mihi redeundum vt ſit, aut pluuia certe decoctáue vtendum. Vale. Ex vrbe Patauio ad IX. Cal. Nouembr.

CHRIS.

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 35

EX ijs literis quas à te heri & hodie accepi, cognoui id ſcilicet quod coniectura quadam ductus futurum prædixeram. Non igitur deſcendet cis Padum in aciem aduerſus Gallos Heluetius, ſed neq; Parmã (niſi me fallit opinio) circumſedebit. In Ferrarienſes opinor, tota belli moles vertetur: nec tamẽ quid illic, hoc quidem tẽpore, ſpei iſtis oſtendatur, facile diſpicio: contraq; omnia ipſis infeſta video, paludes, flumina, hyemem, vrbem denique ipſam cum ſua ſponte munitiſſimã atque copioſiſſimam, tum verò omni bellico apparatu inſtructiſſimã. Addo ducem vigilantiſſimum, & rei militaris ſcientiſſimum: aperta Gallorum auxilia, occulta Venetorum ſubſidia: quos ipſos quiduis potius, quàm vt ea vrbs in Pontificis poteſtatem deueniat, perpeſſuros eſſe mihi perſuadeo. Quod vt tam magnis copijs obſideri Ferraria poſſit, trahatur tamen obſidio neceſſe eſt, idq; alieniſſimo anni tempore: nam ab oppugnatione, infelix ad Parmam conatum exitus eos deterrebit. Sed vnde interea in tantis Cæſaris Pontificisq; anguſtijs, tot legionibus, tanto equitatui ſtipendiũ redditũ iri putas? Dilabetur, mihi crede, miles Italicus, partim hyemis difficul-

tatibus victus, partim non perſoluto ſtipendio iratus: Heluetius autem vel ad Gallos tranſibit, vel etiam ducibus ſuis manus afferet. Noſti eius gentis inſolētiam, maximè ſi pecunia qua deliniatur, praſto nō ſit. Omnino eorum aduentum Pontificis Caſariſq́ exercitui exitio tandem futurum arbitror: grauē quidem certe iam nunc eſſe non dubito, cùm & duorū menſiū ſtipendia ſibi repræſentari poſtulent, & ſe Gallorum rebus hoſteis fore pernegent. Atque hæc quidem de citeriore Gallia: nam quod in vlteriore omnia Francisco Regi ſecunda, Carolo Caſari aduerſa eſſe, narras, ſunt eadem hic quoque nobis audita, ſed fama obſcuriore: nec enim quæ oppida Gallus in poteſtatem redegerit, quáſue Germaniæ prouincias inuaſerit, huc afferturi tantum ferro & flamma ab eo omnia longe lateq́ vaſtari: ciuitates partim ſpōte, partim coactas deditionem paßim facere. Eadem eſt nimirum Hiſpanienſis belli ratio: nam ibi quoque acciſas eſſe Caſaris res, captamq́ à Gallis Pompelonā cum tota Vaſconū regione & Cantabria: ſed nec vbi, nec quo euentu pugnatum, aut etiam an omnino pugnatum ſit, adhuc intelligo. Tu ſi me amas, vt certe amas, iſta exquires, & facies me κατὰ λεπτὸν de ſingulis rebus certiorem. Vix enim dici poteſt, quàm mihi iucundum ſit eiuſmodi

ſpectacul

ſpectaculum, in quo ſine vllo noſtro periculo, tam varios tot ſtultorum Regum caſus, tot populorum inſanias contemplari liceat. Cogita Nauarræ regnum ab hinc menſem tertium nullo à Gallis negotio captum, idem paulo pòſt ab Hiſpanis receptum, idem nunc iterum Gallorum teneri imperio. Cogita totidem ante menſibus preſſos in Aquitania Gallos ab Hiſpanis, in Belgarum finibus à Germanis, in Italia à Thuſcis, Appulis, Siculis, & ab ijs etiam ipſis quibus imperarẽt. Inſubribus. Rurſus propone tibi eoſdem Gallos nunc longe ſummotis hoſtibus depopulari intimam Hiſpaniam, vexare Germaniam, imminere Hetruriæ & Appuliæ, fideliſſimis amiciſſimisq́; vti ſocijs, & delectu prouinciali niti. Hæc cum integro vbiq; adhuc bello ſpectare liceat, an non magnos & quaſi gladiatorios quoſdam à fortuna nobis edi ludos iudices? Verum vt ad coniunctiora mihi veniam, de valetudine noſtra diſputas tu quidem diligenter, & mehercule peramanter, ſed nondum tibi tamen aſſentior: quanquam enim à ſummis medicis, deſtillationi accommodatum eſſe aquæ vſum traditum ſcio: non ſemper tamen eius potum probandam exiſtimo, præſertim in ea quæ me adhuc exercuit, grauedine. Nam cùm craſſiore pituita nares obſtruantur, extenuendam illam

omni ratione cenſeo, idque potiſsimum vino, eóque meraco & copioſiore: quod ſua vi cùm inteſtinum calorem excitare poteſt, tum verè pituitam ipſam tenuiorem reddere. Sin verò aut fauces, aut in pulmonem deſtillet humor, neſcio an tum frigidam dare conueniat: ea certe & caput perfundere, & os ſubinde fouere non inutile arbitror. Hæc eſt enim frigoris natura, vt quod fluxũ ſit, eius vi cogatur atque concreſcat. Sed hæc huius nõ ſunt loci. Sic tamen habeto, depulſum eſſe ſtatim à me repetito vini vſu morbum, ſed non item ſolutam aluum: cui tamen malo nihilominus medebimur, ſi corinthiã vuam paſſam ſaccaro accurate cõditam mihi miſeris. Confirmata autem planè valetudine vel ad aquam redibimus, vel multo quàm ante dilutiore vino vtemur. Salutem Anto. Marsilio: qui cur in medio mari Vulcanum iratũ timeat, Neptunum ſibi propitiũ fore putet, non ſatis perpicio. Vale. Ex vrbe Patauio. prid. Calend. Nouembr.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 36

C*Onſumpſi heſternum diem ferè totum cum Fr. Chærecato viro, qui nec à literis noſtris abhorreat, & multis magnisq; de rebus à Pont. Max. ad Cæſarem ſæpe legatus*

ſit

ſit. Is cùm mihi multa de Cæſaris imperij magnitudine atque opibus narraſſet, oſtẽdit ad extremum monſtrificas quaſdam rerum ſpecies, quas ab Indorũ regibus ad Cæſarem miſſas, atque ſibi ab eodem Cæſare donatas eſſe affirmaret. Eæ magna ex parte gemmæ quadam ampliores fuerunt, tam cõfuſis metallorum generibus, vt neque diſcretũ quicquam in eis appareret, & multarum etiam animantium ſimulacra exprimerent, eaq́ non tam fortuito linearum colorúmque concurſu, quàm ipſa extantis materiæ mole cõformata. In ijs erant anatum roſtra, gallicorum canum capita, pauonum pennæ, atque alia id genus pleraque. Verum omnium admirationem facile vicit, eius quæ apud Indos religioſiſsime colitur, Furiæ perſona, non natiua quidem illa, ſed hominum ingenio precioſe & affabre deformata. Audiſti enim puto, mira ijs gentibus ſuperſtitione eſſe perſuaſum, Deam & Furiam ſic mundi imperium inter ſe initio diuiſiſſe, vt illa cœlitibus, hæc inferis & manibus ius diceret: atq; ita fieri, vt dum hanc vnã ſibi placatam trepido metu cupiant, eam omni etiam diuini cultus honore proſequantur. Lignea igitur eius eſt perſona, ſed cui tenuiſsimum vermiculati operis emblema ita inductum ſit, vt penicillo depicta, non gemmeis teſſellis ornata

 videat

videatur. Mentum, ſuperiusq́, & inferius labrum Cyanei lapilli ſegmentis enitent. Naſus genæ, malæ, buccæ ſaphiri micis ſplendent. Supercilia à fronte tenui ex Iaſpide tænia diſtinguuntur. Frontem latiorè ſmaragdo faſcia præcingit, quæ ſecundum aures leuiter demiſſa ad mentũ vſq; vtrinq; porrigatur. Superiora rutilo Iaſpidis nitore colluſtrantur. Os hians dentes oſtentat quatuor, latos, continuos, candidos, ac item duos, qui rictum hinc atq; hinc claudant, exertos, nec aprugnis abſimiles. Eburnei quoq; oculorum orbes, ex electro ruffa feneſtrantur pupilla, ſpeculi vim tam abſolutam reddente illa, vt totam hominis imaginem exprimat atque repræſentet. Quæ ad ſuperciliorum & naſi commiſſuras ſubſidet lacuna, ea vero eburneola bulla expletur. Tempora autem iiſdem quibus oculi, electrinis ſpeculis illuſtrantur: ſed teretibus iis, non orbiculatis. Auriculæ pro perſona modo grandiores ex Iaſpide effulgent. Omnino res viſenda quidem illa, ſed ſtructura potius & opum magnitudine, quàm vlla liberalis faciei dignitate. Mihi quidem vt primum eius ſpectandæ poteſtas facta eſt, Furiam videre ſum viſus, aſpectu barbaro tetram & horridam, ore hianti, exertis vtrinque dentibus, colore partim cæruleo partim viridi, partim rutilo, nec ea

tamen vſquam ſatis florido, ſed vel auſtero, vel diluto, vel pingui, vel etiam, quod vmbrarum concurſu euenit, obſcuriore & ingrato. Vale. Scripſeram iam, ecce tibi rumor, Gallos à Mediolanenſibus in vrbem receptos eſſe: nec eo contentos ciucis, Cæſariana quoque illinc expulſa factione, conſtituiſſe cum Gallis omnia circumſeſſionis incommoda perpeti. Si verum, ducetur hyeme tota bellum, & quàm ſperabam diutius iſtorum inſania fruemur. Verum metuo ne repentina illa Mediolaneſium beneuolentiæ oſtentatio Gallis magno tandem conſtet. Ex vrbe Patauio. XII. Calend. Decembr.

Obſignata iam epiſtola redditæ mihi ſunt tuæ literæ, quibus ad ſuperiores meas binas diligenter & peramanter reſcribis, ac ſimul, vt de mea valetudine certiorem faciam, petis. Eſt ergo apud nos, vt te cupere video, idque vuæ paſſæ tuæ acceptũ refero. Tu etiam cura vt valeas, & quam certis in rebus prudentiam adhibes, hanc in depellendis iſtis capitis doloribus adhibe. Excuſationẽ tuam de literarum intermiſſione accipio: nam altera minime neceſſaria fuit, nec enim præter aptiorem firmioremque in ea re capſulam, quicquam deſideraui. Vale.

CHRIST.

CHRISTOPH. LONGO. Octauiano Grimoaldo S. 37

Accepi heri munuſculum tuum, & cum eo literas, ex quibus te mihi alteras miſiſſe cognoui, quæ quidem ad me nondum ſunt allatæ. Animum tuum circa valetudinis meæ curam, non ignotum quidem illum mihi, ſed tamen dulcem & optatum, perſpexi etiam in eo, quod vnam non modo accurate conditam, ſed cuius te nihil admonueram, prius etiam vino diligenter elotam ad me miſeris. Res mihi planè grata, vt cuius vim præſenti remedio ſim hodie expertus: neque enim antea licuit. Quare & illa & conſiliis tuis poſthac vtemur libentius: ſimul & vt nos memores gratosq́ aliquando intelligas, operam dabimus. Quod autem legatus iſte omnia, tum in Hiſpania, tum in Germania commodiora eſſe affirmat, quàm vt hic erat nunciatum, eſt id omnino iucundum nobis: ſed meměto hominem & Hiſpanum eſſe, & à Cæſare iſtuc miſſum, vt etiam ſi mentiatur, ratio officij illi conſtare poſſit. Nam eorum quæ ad te nudiuſtertius de induciarum conditionibus ſcripſi, luculentos habeo autores. Ex illorum enim, quos Veneti in Gallia miſſos ad Reges, atq; in Britannia legatos habent, literis conſcripſi. De citerioris Galliæ rebus mirum hic ſilentium: tu ſi quid habes,

facies

facies ſciam. Vale. Ex Vrbe Patauio. Id. Nouembr.

CHRISTOPH. LONG. Fr. Chærecato S. 38

R*Eddita mihi ſunt hodie tuæ literæ, & cùm ijs item epiſtolæ duæ, quarum alteram ad te Eraſmus Roterodamus, alteram ad Carolum Cæſ. Emanuel Rex Luſitanorum dediſſet. ex tuis duplicem cepi voluptatem: quod & ſignificationem tuæ erga me voluntatis haberent non obſcuram, & id ſcribendi genus nobis exprimerent, quod haud ſcio an tui ordinis alius quiſquam ſit adhuc conſecutus: mihi quidem certè ita probatur, vt nullum facile magis. Omnino puræ ſunt, faciles, ac ſumma elegantia præditæ: quam quidem tibi in iſto ſcribendi impetu conſtare ſum admiratus. Sed hoc ſcilicet naturæ debes tuæ ab omni liberali doctrina inſtructiſſimæ: quæ ipſa vt ad dicendum, ſic etiã ad cogitationes ſuas ſcriptis eleganter commendandas eſt aptiſſima. Ex Eraſmi epiſtola cognoui, primum id quod mihi dubium nunquam fuit, eſſe illum optimo erga Pont. Max. & ampliſſimum collegium animo. Deinde, quod ab hominis ingenio non abhorreat, tanti te ab eo fieri, quanti literarum ſtudioſi omnes facere te debeamus. Emanue-*

lus

lis Regis literæ, nihil non planè regium, & Luſitana illa pietate dignum, mihi pelliceri atq; etiam ſpirare ſunt viſæ. Velim quàm ille grauiter & religioſe Carolum noſtrum ad coercendos Martini Lutheri conatus eſt cohortatus, tam bona & conſtanti fide in opprimendo religionis hoſte Cæſar Pont. Max. autoritatem ac vires ſuas præſtet. De citerioris Galliæ rebus noui nihil penè quod ad te pro certo ſcribam, habeo Galli ſe oppido etiam nunc continent. Exercitus Pontificis ad ſeptimum ab vrbe lapidem caſtra poſuit. Gallus ſpem omnem in delectu prouinciali habere dicitur: neq; tamen eiuſce rei cauſam vllam ſanè reperio, qui ſciam Inſubrum & reliquorum ſociorum auxilia, propter acerbitatem atque Gallicæ dominationis iniurias non eſſe aut ita magna, vt eis præſidio eſſe poßint, aut ita firma & fida, vt ijs quicquam temere ſit cõmittendum. Sed hoc ipſi viderint. Audio duodecim illas, quæ in agro Mantuano conſediſſent, Heluetiorum cohortes, aliquando tandẽ vt cum Gallis manus conſerere vellent, perſuaſas, Parmam, aut certè Placentiam verſus iter feciſſe, ibiq; illis omnia Aemyliæ Flaminiæq; præſidia præſto affore. Contrà non deſunt, qui affirment, Heluetios omnes, qui quidem Pontificis copias trans Abduam ſecuti eſſent, dilabi, ac

ſeſe

ſeſe domum recipere. Tu ſi quid exploratius vel ex caſtris, vel ab vrbe, vel etiam aliunde habes, fac, amabo te, ſciam. Vale. Ex vrbe Patauio, XI. Calend. Decembr.

CHRISTOPH. LONG.

Octauiano Grimaoldo S. 39

EST omnino quemadmodum ſcribis: fugerunt turpiter Galli, amiſſis penè impedimentis omnibus, amiſſis magna ex parte tormentis, ſed multo me hercule turpius ſociorum perfidia ſunt proditi. Fidem in iis nullam fuiſſe, in quibus eſſe debuit maxima, & quibus Galli confiderent maximè, literæ quoque tuæ declarant. Ita non tam Galli, quos tu accuſas, quàm fides ipſa & æquitas in fugam acta ſunt. Neque verò hæc eo dico, quaſi Gallos ab omni errore vindicare velim quos cùm ſemper flagitioſe imparatos hic vidi, tum etiam ſtulta quadam arrogantia præditos cognoui, qui à ſe vnius ſemiplenæ legionis, & mille equitum præſidio, contra penè totius Italiæ conſenſum, vniuerſæ certe Hiſpaniæ & Germaniæ conſpirationem, prouinciam retineri poſſe confiderent: ſed ne eos ſua ignauia Mediolano pulſos eſſe arbitrere hæc nunc diſputo, à quibus nec illud omnino

commiſſum

commiſſum eſſe oportuit, ut alieni potius auxilij ſpe, quàm copiarum ſuarum numero & uirtute niterentur. Nam quod adſcribis ob ſumptum de Chriſt. Palauicino, & Fœder. Bonromæo ſupplicium, alienatum à Gallis populum ad hoſtes defeciſſe: poſſit in eo quoq; fortaſſe Gallorum reprehendi conſilium, ſed occaſio (mihi crede) illa fuit defectionis, non cauſa. Ex compoſito acta ſunt omnia, & repentina illa ſtudij ſimulatio ad opprimendos improuiſo malo Gallos nuper colligebatur. Ac Cæſarianos quidem illorum cædem ſpectaſſe puto: Pontificem uerò eo rem ſenſim perduci uoluiſſe, ut conſternati fugere potius cogerentur, quàm dimicando aut uincere, aut uinci. Ne me hic oblitum putes ſpectaculi noſtri: fruor illo, etſi non magna cum uoluptate, fruor tamen etiam cùm ij cadunt, quibus maximè faueo. Doleo tantùm id nobis hac hyeme eripi. & trans alpes totum transferri: ſed non transferetur profectò, ſi quidem uera ſunt quæ huc afferuntur. Audio enim Gallum prorſus hominem cecidiſſe nullum, fuga ſibi ſtrenue ſanè conſuluiſſe omnes, etiã militem uelocitate equitem æquaſſe: Lautrecum & fratrem cùm equitibus quadringentis & cohortibus octo iam Bergomi eſſe: Valerianum Cremæ cum quatuor equitum turmis, alios aliò, ſed in pacatum tamen omnes incolumes.

incolumes ſeſe recepiſſe: firmo teneri præſidio Cremonam, firmiore Parmam: magnam cogi Ligurum, magnam Gabienorum & Forobienſium manum: maxima aduentare ex ipſa Vlteriore Gallia auxilia: Alphonſum Ferrarienſem omni bellico apparatu inſtructiſſimum Gallis ſuppetias ferre: deniq; Venetos ipſos ad eas quas ſub ſignis habent copias, duas conſcribere legiones, leuis autem armaturæ equites mille, qui ex Epiro recens venerant, Gallis ſubſidio iam miſiſſe. Ni falſa ſunt hæc, & tantum victis ſupereſt vel animi vel conſilij, vt Agathoclis & Scipionis exemplo, aliena cum ſua tueri non poſſint, audeant inuadere, non modo cum Gallis in Italia debellatum non eſt, verumetiam periculum, ne Tuſci & Appuli pro focis & aris propediem pugnare cogantur. Ad ſuperiores meas literas quid reſcripturus ſit, expecto: ſed multo magis de rebus tranſalpinis aliquid, & quidnam victores victosq; conſilij in Italia capturos ipſe coniicias. Vale. Ex vrbe Patauio. VII. Calendas Decembris.

CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOLARVM

Liber tertius.

CHRSITOPH. LONG. Iac. Sadoleto Epiſc. S. 1

NON idcirco breuius, quàm conſuetudo mea ferat, tecum nunc ago, quin valde multa habeam, quæ abs te ſciri diligenterq́; curari mea plurimũ interſit: ſed quia eum mihi videor nactus hominem, qui illa ad te multo commodius perlaturus ſit, quàm ipſe vllis literis tibi explicare queam. Itaque cùm literarum mearum ignoſces breuitati, præſertim cùm tam longo interuallo ſcribam, tum verò quæ M. Caballus noſter ad te mandata mea detulerit, ea ſic tibi erunt curæ, vt & ſumma mea erga te obſeruantia, & ſingularis tua in me bene-

uolentia hoc tempore poſtulat. Scis quarum tu me ad rerum laudem ſemper excitaris, ſcis quo conſilio huc ipſe me contulerim: nec de eo, opinor, etiam dubitas, quin dies ac noctes hoc unum hic adhuc egerim, ut quam tua prædicatione de me concitaſti expectationem, hanc ego tueri ac ſuſtinere aliquando poſſem. Atqui nunc periculum eſt mi Sadolete, ne tantus ſtudiorum ardor in ipſo conatu, uel in ipſo etiam proceſſu planè extinguatur. Quod ne fiat, etſi in alterius poteſtate id eſt poſitum, quia tamen apud illum, penes quẽ iam ſunt omnia, multum authoritas tua ponderis habitura eſt: da quæſo operam, ut is etiam atq; etiam intelligat, eſſe præcipuam quodammodo meam iſtis in anguſtijs cauſam, qui nec magnum quiddam ab eo qui rerum potiatur, poſtulem, & is poſtulem, qui fidem eius ſecutus, Italiam patria & propinquis & fortunis illis omnibus antepoſuerim. Denique recentis huius uictoriæ gloria poſsis animum eius ad priſtinæ liberalitatis memoriam reuocare. Nam deſperato ſtudiorum noſtrorum fructu, ſi quam modo ea de re ſpem habes, aut etiam ſi nullam magnopere habes, nonnihil ſubijcere non inutile fuerit. Sed pluribus, quàm conſtitueram, præſertim ad te, qui cum hoc artificij genus tenes unus omnium optime, tum

etiam poſtquam me in fidem atque amicitiam receperiſti tuam, nullum mei, non modo tuendi, ſed augendi etiam atq; ornandi locum prætermiſeris. Quare finem facio ſi illud addidero, quod vtinam addere nihil eſſet neceſſe. non quo nolim tibi omnia debere, cui quidem penè debeo omnia, ſed quod graue ſit homini pudenti, ab eo, cui, cùm de te ſit optime meritus, nullam tamẽ poßis gratiam referre, magnum præterea aliquid petere. Sic igitur habeto: Eſſe te iam vnum in Italia, in quo tuendi ocij noſtri ſpes omnis ſit poſita: quæ ne me ſpes fallat, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Ex vrbe Patauio 7. Cal. Decembris.

CHRISTOPH. LONG.

Octauiano Grimoaldo S. 2

QVi tibi has literas reddiderunt, Galli ij ſunt homines, quos tibi vt coràm commendarem, ad te nudiuſquartus veni, Alteri eorum Carolo Bracheto eſt nomen, Maturino Galliardo alteri. Docui eos quid iſtic facto eſſet opus facturos non dubito. Omni cautionis genere tibi cauebitur, chirographis, iuriſiurandi religione, factis ad tabulam nominibus. Tu verò etſi iam rogandus non es, qui vel conſtantiæ tuæ cauſa eos ſis complexurus, fac tamen oro, tantùm ſibi à te commodatum

eſſe

eſſe intelligant, quantùm & ego ex tuis verbis ipſis ſum pollicitus, & tute mihi humaniſſime liberaliſſimeq́ facturum recepiſti. Hoc ſi à te impetrabimus, cùm mihi, qui quãtum eorum cauſa laborem non ignoras, pergratum feceris: tum etiam tibi homines gratos ac memores in perpetuum deuinxeris. Ludouici Viuis Somnium, quod cum iampridem iſtic reliquiſſem, nuper apud te adhuc eſſe ſum miratus, alterutri iſtorum ad me perferendum dabis. Et quoniam ſomnij mentio facta eſt, ſcito me ea nocte cum iſtinc ſolui, nihil omnino cepiſſe ſomni. Coarctatus vectorum multitudine, & æſtuans, neq; ſedendi, neq; iacendi, neq; ambulandi, neq; adeò reſpirandi facultatem liberam habui. Quid quaris? nec moleſtius quicquam adhuc ſum hoc anno perpeſſus: nec verò poſthac committam, vt quò poſſim interdiu, eò noctu nauigem. Vale. Ex vrbe Patauio, quarto Nonas Decembris.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 3

Miror nihil adhuc abs te, de Decimi Leonis obitu, mihi eſſe miſſum, præſertim cùm iam quartum hic diem conſtanti rumore fama percrebuerit, oppreſſum improuiſo

morbo illum Cal. Decemb. Romæ concidiſſe, & è vita poſtridie eius diei exceßiſſe: Grimanum antiſtitem ad comitia iſtinc eò iam deuolaſſe. Equidem ſtatim, accepta à Gallis illis epiſtola tua, ipſe ſcripſiſſem, niſi mihi dum tu aliquid tanta de re ſcriberes, expectandum duxiſſem: qui (vt ſcis) tantùm me huiuſmodi rerum ſcire puto, quantùm ex literis tuis cognitum habeo. Quantum autem mea interſit, ſi verus eſt is nuncius, vt de rebus meis tecum deliberem, ignorare te non arbitror: quanquam mihi ſic non tam conſilio, quàm auxilio tuo eſt opus. Quare per Deum ſcribe, & ſiquidem ille obijt, cum Petro Bembo de nobis communica, cauteq́ꝫ quid is de me futurum ſperet, exquire. Scriberem ad eum, ſi aut quid certi haberem, aut ab eo literas meas libenter vel hoc tempore, vel tam infirma valetudine legi poſſe exiſtimarem. Caro. Brachetus, & Matur. Galiardus incredibiles mihi, nec minus tamen tibi apud me gratias egerunt: nec liberalius ſe, nec humanius à quoquam tractari potuiſſe affirmant. Qua quidē ex re cum ego quoqꝫ maximam capio voluptatem, qui eorum cauſa volo, tum verò etiam ipſe tibi, vt debeo, gratias ago maximas, qui mea commendatione adductus homines tibi planè ignotos, & prorſus alienos, non modo officijs tuis ſis

com-

complexus, ſed hoc difficilimo tempore, in tantis anguſtijs, re etiam familiari tua prolixe iuueris, idq́ʒ vulgari tantum adhibita cautione. Hoc ſanè neqʒ horum eſt temporum, neque morum, ſed proprium tuum. Expecto abs te aliquot vuæ paſſæ pondo, eius enim quam mihi ſuperiore menſe curaſti, iam ne acinus quidem reliquus eſt. In eo illud quoque videbis, paulo firmior capſula vt ſit, & vua ipſa aliquanto liberalius condita. Nam vt plenior ſit, atqʒ recentior, à me ne admonendus quidem es, qui abs te ea de re ſum admonitus. De diligentia, quam in permutādà pecunia noſtra adhibuiſti, multum te amamus: ſed tamen ſcire velim, cuinam illam ſcribendum curaris, vt cum dies venerit, niſi reſcripta tum ſit, à quo argentum petatur, habeamus. Quæ porrò ſit in rationibus veſtris perſcriptionis & numerationis differentia, velim, cum vacabit, accuratius me doceas: non quo neſciam aliud eſſe omnino & facilius perſcribere pecuniam, aliud & difficilius numerare præſentem: ſed in facienda verſura quantum collybi & vſuræ, præterea ratione numeratam ſit mentibus decedat, cognoſcere cupio. Adſcribes illud item, quot ſit vnciarum iſta veſtra Marcianam Libram eſſe vnciarum duodecim, Vnciam quatuor & viginti ſcrupulorū, Scrupulum rurſus obolorum duorum, Obo-

lum deniq; in ſemiobolos, quos carato: vulgus appellat, diuidi, nemo ignorat. Comum ab Hiſpanis & Germanis magna vi bis oppugnatum fuiſſe ſed aliquanto maiore à Gallis defenſum, hic quoq; audieramus Lautrecum in Vincentino agro hybernaturum minime putaram. Fœder. Gonzagam Boſulanum Cremonæ præſidio fore non deſpero. Fulgoſios in retinenda Genua perſeueraturos video, præſertim ſi quæ de Pont. Max. obitu nunciantur, vera ſunt: de quo vt me quàm primum facias certiorem, à te vehementer peto. Cætera per ocium. De Villanouano noſtro Egnatium appellato: dignus eſt adoleſcens cui etiã tu, non modo ille & ego, plurimum faueas. Nos etſi in tanta rerum omnium perturbatione, atrociſſimo quoq; hoc nuncio ſumus perculſi: tamen in ſtudijs noſtris libenter viuimus, atq; ea ipſa tueri à nobis poſſe ad annos quinq; non deſperamus. Tu modo fac, quemadmodum cœpiſti vt rationes noſtras tibi curæ eſſe intelligam. Vale. Ex vrbe. Pata. 6. Idus Decemb.

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 4

Accipio ceſſationis tuæ cauſam: ſed ita, ne quid eiuſmodi quod mea interſit, ad me

me ſcribere poſt hac vereare, ne ſi permoleſtum quidem id mihi fore videbitur. ſatis erit rem ad me pertinere, vt mihi officium tuum gratum ſit vt etiam iucundum, tu quidē præſtare non potes, neq; vero debes, qui non quod vis ipſe. ſed quod res cogat, id meo mandato ad me mittas. Itaq; ſi non quàm cupis iucundos, qualeſcunq; certè poteris, mihi afferto nūcios, etiam vt eos non ſatis exploratos habueris. Nec enim, quod vereris, temere commouebor, præſertim ſi nihil affirmaueris ipſe: & in omnem partem rebus meis maturius conſuluero, ſi quid modo tale fuerit, cui conſilio prouideri poſſit. Ex Leonis Pontificis morte magnum accepi dolorem, magnam plagam: qui cum authoritatem promiſſaq; eius ſecutus contra meorum voluntatem in Italiam redierim, nunc me planè deſtitutum hic videam, illic etiam ludibrio fore intelligam. Sed his malis aut non ſuccumbemus, aut etiam aliqua ratione medebimur. Omnino enim iamdudum tam præter opinionem meam accidit, quàm vt ille ætate optima, valetudine firmiſsima, ratione victus exquiſitiſsima, ſub ipſum brumæ tempus, idq; ſaluberrimum, repentino morbo extingueretur, atq; tum maxime nobis eriperetur, cum vt viueret ei quoque maxime expediret, ſiue Remp. compoſiturus fuit, ſiue etiam hac recenti ſua victo-

ria fruiturus. Scilicet ad hæc ludibria naſcimur, vt tum potiſſimum nulli ſimus, cum nos maxime florere arbitramur. Atq; hoc ipſum eſt, mihi crede, quod me conſolatur, Nihil eſſe in iſtis, quæ vulgus admiratur, certi. De vua paſſa valde te amo: veruntamen cum capſulam, in quam illa conijceretur, firmiorem vellem, non funiculo multiplici arctius vinctam illam, quod à pueris tuis diligentiſſime factum ſimul & riſi & mehercule probaui, ſed materie ſolidiorem, atq; aptius compactam deſiderabam. Sed redeo ad remp. Trans alpeis, vt video, frigent omnia: tametſi nō deſunt, qui Tornacum arctiſſime obſideri etiam nunc contendant, & cohortem Heluetiorum vnam à Belgis illic eſſe conciſam. Francorum Regem in hac tanta gerendarum rerum occaſione minime ceſſaturum puto, niſi forte is quoque tranſalpino frigore congelauit. Comum à Pontificijs copijs captum eſſe, hic auditum eſt: ſed vi ne an pactione adhuc incertum. Franc. Sfortiam Barrianum ab Heluetijs Italia prohiberi, cum ijdem Heluetij Gallos Mediolano in eius gratiam nuper expulerint, mihi quidem eſt mirum, ſed non ab eius gentis ingenio prorſus alienum. De Iulij Medicis opibus tibi facile aſſentior: aut ipſe, aut factionis eius aliquis Pont. Max. creabitur: idq; propediem futurum ſpero: ſin aliter,

de

BIBLIOTECA U SEVILLA

de eo Vehementer timeo, & diuturniore quàm homines exiſtimēt, interregno comitia prolatum iri Video: neq; ſic tamen ea gratuita fore puto, niſi nos deus extremis his penè temporibus reſpexerit. Quid interim Bentiuolos putas? quid Balliones? quid Aeſtenſes? quid Franc. Roborianum Vrbinatem? Nam à Bonónienſibus ipſis præfectum ſuum cæſum iam eſſe, hic nunciatum eſt, & nonnihil Rauennæ tumultuatum. Gallos quidem & Venetos Mediolanum Verſus iter facere, pro certo hic habetur: neq; tamen qua id fiducia, ſatis adhuc perſpicio. Reſcribes ad omnia. Mitto tibi (quas petis) Gallorum literas eodem exemplo conſcriptas. Vale. Ex Vrbe Patauio. Id. Decembris.

CHRISTOPH. LONG.

Iacobo Sadoleto S. 5

EX literis meis, & ijs quæ M. Caballo ad te nuper dedi mandatis, intellexiſſe te puto, & qui rerum noſtrarum hic eſſet ſtatus, & quæ mihi in re authoritate tua tum quidem opus. Nūc Vero cum omnem ſpem, & omnia tuendi ocij noſtri conſilia nec opinata & improuiſa iſta Leonis Pont. Max. morte peruerſa Videas, ineunda tibi noua aliqua tuendi noſtri eſt ratio. Mihi enim deeſt conſilium, neque hic ſanè ſpes Vlla oſtenditur.

Petrus

Petrus quidem Bembus, cuius potiſſimum opibus, ſi quid tale accidiſſet, me ſuſtentatum iri arbitrabar, longo illo & difficili morbo ita etiam nunc implicatur, vt nec ipſe mei meminiſſe poſſit, nec ego ei hoc tempore moleſtus eſſe velim. In te reliqua ſpes eſt: qui etſi non ſatis exploratum habeo, quantum me hoc in genere iuuare poſſis, tamen quia vel rationes meas noſti, vel etiam multos iſtic familiaritate & amicitia coniunctos habes principes viros, à quibus aliquid ſtudijs noſtris adiumenti afferri poſſe & opis confido, peto abs te pro ſingulari tua erga me beneuolentia, vt ſi quid tibi venerit in mentem, quod nobis commodo & ocio noſtro vſui fore videbitur, eiuſce rei cogitationem aliquam atque actionem ſuſcipias. Agerem tecum pluribus verbis, niſi cum te mea cauſa velle non dubitarem, tum vero res ipſa per ſe ſatis loqueretur. Tantum habeto, ſi mihi hoc meo tempore abs te conſultum eſſe intellexero, percepturum te aliquando magnam ex officio tuo voluptatem: neque vero eam laudum tuarum fore vltimã quod Chriſtophorum Longol. aliorum omnino opera in altum delatum, ſed in ipſis medijs fluctibus miſere deſtitutum, ipſe tu ex omnibus vnus commendationis tuæ aura in portum perduxeris. Vale ex vrbe Patauio. Idus Decembris.

CHRI

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 6

Congelarunt (opinor) iſtic quoque, non modo tranſalpeis. omnia: nos tamen hic magna ſumus in expectatione, quà de comitijs Pontificijs, quà de Sfortiæ Barriani aduentu, quà de Cremonæ obſidione: quam tamen nullam fore tibi affirmo: nam Balliones, Roborianos, Aeſtenſes, Bentiuolos etiam conglaciaſſe video. Te vero neſcio quo veterno torpere, qui tamdiu taceas, neque hoc ſaltem, an tibi Gallorum eodem exemplo ſint reddita literæ, ſignificas. Ego enim ſtatim ab accepta tua corinthia reſcripſi, ſimul & quemadmodum poſtularas. illas tibi miſi. Si nihil erit quod ſcribas aliud, de eo certe me velim certiorem facias, Gallorum literas acceperis nec ne. Vale. Ex vrbe Patau. IX. Calend. Ian.

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 7

Accepi binas à te literas: alteras ad 17. alteras ad 10. Cal. Ian. datas. Superioribus ſtatim non reſpondi, quod tu vni meæ epiſtolæ nihil dum reſcripſiſſes: nunc igitur ad ambas tuas. Tornacum in Cæſaris poteſta

poteſtatem venisse iam ſciebamus,ſed id mihi tamen ex tuis literis factum eſt notius,qui etiam, quibus illi conditionibus deditionem fecerint, adſcripſeris. Verum ea res non tam Francorum rebus aduerſa eſt, quàm Belgis commoda qui Tornaco & Morino quaſi quibuſdam compedibus vincti tenebamur: quanquam de capta Morinorum Terrauana nihil adhuc ſcriptum. In eo potius magnam accepiſſe plagam Franci videntur, quod in ipſo ardore belli medio illic quoque Heluetiorum perfidia proditi eſſe dicuntur. Quod ipſum ſi verum eſt,quo iam militum genere ſint vſuri,planè non video, præſertim aduerſus Germanum & Hiſpanum peditem: nam vt ex ſuis legiones conſcribant,nulla ratione adduci poſſint:neque vero ſi tutum iam ſit, ſatis in iis fuerit præſidiis, quos neque militaris diſciplina,neque vſus armorum vllus aptos bello reddiderit. O ſi fortuna ſua Carolus Cæſar vti ſciat:ſed neſciet profectò,niſi quis fortaſſe deus omnia ad veteris imperii formam reuocare conſtituat: verum hoc optare licet, hiſce temporibus ſperare non licet. Numariæ permutationis ratio ſpiſſior eſt & operoſior, quàm vt ea per literas aut à te ſatis expediri,aut etiam à me percipi poſſit:digitis tantum opus in ea eſſe putaram, vt iam video, non modo oculis,ſed acutiſſima etiam mentis

acie

acie præſtet is neceſſe eſt, qui æſtimationes tam ſubtileis, & alia ſubinde ſe facie pro temporum conditione oſtentantes animo complexurus ſit: quare in congreſſum noſtrum tota reijciatur. Habes ad priorem epiſtolam: nam ex poſteriore falſum id eſſe cognoui, quod de Iulij Medicis cæde iſtinc allatum fuerat: falſum id item quod de Bononienſium ad arma itione nunciatum. Continuit eos in officio cum Heluetiorum legionis vnius præſidium, tum vero illius ipſius præfecti authoritas, quem ab eis inicio trucidatum audieramus. De Gallorum in hybernis petulantia, doleo equidem tum Cremonenſium, tum verò etiam Gallorum ipſorum cauſa: ſed noſti militarem inſolentiam, quæ tamen ipſa hoc minus in iſtis ferenda eſt, quòd durior eorum conditio nunc eſt: ſed hoc ipſi viderint. A Roboriano Piſaurum & Vmbriam puncto temporis recuperatam eſſe miror, idq́ eo magis, quod Bentiuolis, Aeſtenſibus, Ballionibus, ocium adhuc agentibus, ad rem tantam aggreſſus ſit. Quid Veneti in tanta gerendarum rerum occaſione quieſcant, non ſanè perſpicio, maxime cum receptam eſſe à Ballionibus Peruſiam, ab Alphonſo Aeſtenſi Mutinam & Lepidi Regium pro certo hic habeatur. Lautrecum vero, cum optima Gallici equitatus parte & euocatorum reliquijs ad Parmam

conſe

conſediſſe, non tam ſpe (opinor) illa potiundi oppidi parte, quæ ab Hiſpano teneatur, quàm nequid Mediolano ſuppetiarum in Aemyliam mittatur. Huc accedit quod præter Cremonem, & in eam Parmæ partem, quæ Francorum præſidio firmata ſit, in Gallorum fide etiam nunc eſt Alexandria, Placentia, Nouaria, Aſta, Dertona, Halecum, Piſquitonum, Trecium, & alia pleraque tranſpadanæ Galliæ munitiſſima oppida. Habebam in animo quicquid mihi eſſet gemmarum annulorumq; reliquum, id omne tibi mittere, vt quod ex eo confeciſſes, ad veterem iſtam ſummam adijceretur. Sum enim iam auidior ad rem quàm putes, ſperoq; vt ad II. Calend. Feb. duplici ſors noſtra acceſſione cumulata, fructuoſiore aliqua negociatione per te adaugeatur. Sed prius de te ſcire velim, quàm ſint iſtic precioſæ gemmæ, & numquid ante eum diem confici cogiq; poſſit. Superſunt mihi etiam nunc ſeſtertij numi ferè mille, quibus me ad annum tueri poſſe confido: ita enim rationes noſtras conſtitui, vt ad id tempus nihil neque veſtiarij neque librorum, neque adeo alimentorum nomine ſumptus nobis faciundum ſit. Tu de eo diligenter reſcribes: nec illud, neſcio cuius, interim verebere:

Talibus à dominis poſt cũcta nouiſſimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Eos

Eos enim diſtrahimus ne mendicemus, & ocium noſtrum commodius tueamur. Omnino facile patiar ijs me carere, quorum in ſecundis rebus poſſeßio nullum afferat fructũ, in aduerſis alienatio, magno nobis ſit adiumento. Expecto tuas ad omnia, etiam ad illud, ecquid Egnatus Villanouani noſtri rationibus adhuc proſpexerit. Vale. Ex Vrbe Patauio 8. Calend. Ianuarij.

Cum epiſtolam hanc Natalibus ſcriptam, duos poſtea dies in manibus habuiſſem, mira huc quadam allata ſunt de incredibili Gallorum apparatu, atque etiam inopinato tumultuoſoq́ eorum in Italiam aduentu: ſed quæ tum denique pro compertis habiturus ſum, ſi ea ipſe tuis literis confirmaris: iſtinc enim miſſa dicuntur: Verumtamen ne dubites, ſubieci codicillorum exemplum, quos ea de re Martinus Becichemus ad me dedit.

CHRITOPH. LONG.
Ant. Marcilio S. 8

NE te noſtri planè oblitum exiſtimarem, factum eſt hodie Bapt. Leonis nuncio, qui me tuis verbis vt ſalutaret, ad me domũ officioſe venit. Extremũ hoc, ſua ne ille ſponte, an vero ex tuis literis fecerit, neſcio: maluiſſem tamen, id quod par erat, ipſe mihi

ſcripſiſſes aliquid, aut de ijs etiam quæ mihi pollicitus es, aliqua præſtitiſſes. Scilicet tibi Viluimus, quos nec promiſsis, nec literis tuis iam dignos putas: neq; Verò huiuſce rei cauſam ſatis exputare poſſum, niſi nos fortè quaſi Barbaros & calamitoſos homines iam aſpernaris. Feremus iſtud quoq; tui ſtomachi faſtidium, Vt cæteras triſtiſsimo hoc noſtro tempore fortunæ iniurias toleramus: Verum ſcito tibi rem cum eo eſſe homine, qui nec amicorum taciturnitate quicquam ducat grauius, tũ eorum ceſſationem pertinaci ad extremum ſilentio Vlciſcatur. Hoc quanti à te fiat, propediem facile cognoſcã. Remoto ioco, peto a te mi Marcili ſuauiſsime, Vt quando coràm non licet, Vtique per literas me tuorũ leporum atque facetiarũ participem interdum facias: de Elephanto & iſtiuſmodi hominum genere, ſi quid noui habes, fac Vt ſciam. Id ſi abs te impetraro, erit mihi tam iucundum, quàm quod iucundiſsimum. Vale. Ex Vrbe Patauio. Natalibus.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimo. S. 9

QVid ego te, quem eſſe dicam, qui dies ipſos ſedecim, crebris à me tum nũcijs, tum literis ad ſcribendum prouocatus, etiam nunc taceas? Si nihil eſt quod mittas, hoc

ipſum

ipſum ſaltem ſignifica, modo ne totidem verbis: quanquam nondum contrita ſunt ea omnia, quæ vel horum ſunt temporum, vel etiam ad me maxime pertinent. An hoc ais? ferri abs te Marcilium æmulum non poſſe, ad quem nuper literas dederint? Iam iſtac tua culpa eſt, qui quod nobis iucundiſſimum eſſe non ignoras, & tibi quidem factu facilimum, id me ab illo, quàm abs te ſperare malueris. Ego verè iam, ſi tacere perges, vel ad Galceranum & ad Elephantum. Video te commoueri: reſcribe igitur, ne tibi poſthac vni omnium literæ meæ conquieſcant. De Villanouano noſtro inſtabis apud Egnatium noſtrum. Vale. Ex vrbe Patauio. VI. Id. Ian.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoal. S. 10

DEus Hiſpanos iſtos male perdat, homines qui cùm literarum tuarum iter tandiu intercluſerunt, tum verò in diripiendis ſociorum rebus tam ſunt perfidè rapaces atque importuni. Sed ea (vt ſpero) aliquando recuperabis quæ amiſiſti, vel etiam aliunde damnum reſarcies. Ego quidem de Lugdunenſis mercati prolatione, quanquam ea res magnam exigendis nominibus noſtris moram afferat, tamen tuli vt debui,

hoc eſt, quemadmodum abs te quoque rei familiaris iacturas ferri velim. Menſem quidem meo incommodo quaſi intercalatū perſpicio: ſed in eo id mihi videor percepiſſe commodi, quod poſthac cautius negociabimur, neque temere commiſſuri ſumus, vt pro regis cuiuſquam arbitratu, vel potius libidine, rationes noſtræ conturbentur: tametſi in eo tuæ præcipuæ ſunt partes. Sed de his coram. Fr. Roboriani diligentiam & virtutem ſatis admirari non queo: Alphonſi verò Aeſtenſis ocium ac formidinem potius hic omnes quidem accuſant, ego autem nihil ab eo neque timide, neq; temere fieri puto. Iulium Medicem à Pompeio Columna tam male acceptū eſſe doleo: neq; id vero ipſum tam Iulij cauſa, quem quidem ſuam in ordine dignitatem facile obtenturum ſpero, quàm Chriſtianæ Reip. gratia, quæ ne turbulēta iſta comitiorū ratione labefactetur, valde timeo. Ternacenſem arcem Francorum præſidio etiam nunc teneri neſciebā. Mediolanenſes in armis eſſe, hic iam auditum erat: ſed quantum vrbanæ multitudini in acie committendum ſit, non ignoras. Quantæ ſint Francorum opes, magnus iſte & repentinus, & alieniſſimo anni tempore inſtructus, & in Italiam miſſus eorum exercitus declarat: conſilio autem & virtute ecquid valeant, gerendi belli ratio

prepod

propediem docebit. Tametſi ne illud quidem mihi iam probatur, quod eius gentis adhuc ſequantur fidem, quam eſſe perfidiſsimam omnium, magno ſuo malo vel nuper didicerunt: ſed planè ſtultus ſum, qui Gallos ſui diſsimiles nunc deniq; eſſ. cupiã. De Adornıorum conatibus ſemper abs te aliquid expectaui, nec tu adhuc ea de re verbum. Villanouani noſtri lẽtum eſt negocium: ſed quãdo tu aliquid de eo ſperas, mihi non deſperandum arbitror. A. Marcılio nihil adhuc literarum: quod tibi homini qui amu'um ferre non poſsis, iucundiſsimũ eſſe non dubito, atq; ea re ſcilicet tibi ſignifico. Cùm hæc maximè ſcriberem, nunciatũ eſt Polo noſtro Thomam Vulſẽum, Eboracenſium illum dico antiſtitem Britannum, Pontificem Max. eſſe factũ. Id ſi ita eſt, nihil profectò neque noſtra, neq; patrum, neque adeò auorum noſtrorum memoria accidit mirabilius: habitam eſſe Romæ in tanta ampliſsimi collegij frequentia eius hominis rationem, qui non modo & nouus, & Britannus, & abſens, ſed omnino in Italia nunquam viſus eſſet, nec vlli penè eorum à quibus creatus eſt, de facie notus. Tulit ille nimirum conſiliorum ſuorum fructum, maximum quidem illum, ſed planè debitum, vtpote cuius ferè vnius, hoc tempore actiones omnes & cogitationes, ad Chri-

ſtianæ Reip. ocium atque pacē pertinuerint. Extremum illud erit, quod fortaſſe primum omnium eſſe oportuit. Ego etſi mihi de te pollicebar omnia, quæ ab homine amiciſsimo expectari ſolent, tamen incredibilem ex illa literarum tuarum particula cepi voluptatē, in qua facultates tuas omnes mihi liberaliſſime detuliſti. Itaque ne te iſtius erga me voluptatis vnquam pœniteat, dabitur à nobis opera, eaq́ʒ, mihi crede, optima. Vale. Ex vrbe Patauio. prid. Id. Iannar.

His perſcriptis literis reddita mihi ſunt tua, ex quibus non Thomam Vulſenum ſed de noſtris hominibus, Hadrianū Florentinū Traiectenſem Pont. Max. renunciatum eſſe cognoui. Ea res quàm mihi iucunda ſit, & fortè aliquando grata futura, tu ſatis per te exiſtimare potes. Summum apud nos imperium, ſummū Pontificatū video. Quid iam nobis optandum ſit, planè non intelligo. Pax inquies: ne huius quidem ſpem adhuc abieci, eo præſertim Pontifice, qui cùm Britāno illi, ocij cupiditate nunquam conceſsit, tum etiam ingenio atque natura eſt multo mitior, tum verò omnibus paucis artibus lōge inſtructior. Omnino nihil tam neque præter ſpem, neque ex animi mei ſententia cecidit, quàm vt is Pontifex Romanus declararetur, de quo hoc toto comitiorū tempore, nihil mihi in mētem

venerat

venerat cogitare, vt qui longe gentiũ abeſſet, nec Romæ vnquam fuiſſet. Nam de Thoma, neſcio quid obſcure initio iactum fuerat. Nõ hoc ſine numine diuûm. Reliqua exquires, quæ & quando in Italiam venturus ſit, an verò ad ſe ampliſſimum collegium in Hiſpaniam accerſiturus: quod ipſum ad ſedandos vlteriores Hiſpaniæ motus Cæſari commodiſſimum eſſe intelligis. Quod de Francorum rebus te iam deſperare ſignificas: ego verò hoc Pontifice difficiliora illis omnia fore video, actum de illis non video. Tantis opibus ſi mediocrem modo prudentiam adiunxerint, pares nobis erunt, præſertim accedentibus eódem Venetis & Heluetijs, & fortaſſe Britannis: quos hoc accepto nuncio, nunc deniq; ſocietatem coituros cum Gallis firmiſſimam auguror. De Marcilio riſi: ſed tamen ſi tibi videbitur, cubiculare iſtud negocium meis verbis ei gratulabere, & ad rerum noſtrarum procurationem eum adhortabere. Habes ad omnia.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 11

THeatrum noſtrum, vt ex literis tuis perſpicio, non modo clauſum adhuc non eſt, ſed nunc primum frequentari atque cele-

brari magis incipit, idq; maxime ſingulari prope virtute & Caſariana quadam Fran. Roboriani tum celeritate, tum vigilantia, qui cùm nuper exul, egens, abiectus eſſet, euaſit, repente maximarum copiarum imperator, tot populorum victor & princeps, totius Hetruriæ terror & fulmen. Omnino mira ſunt quæ de eo narrantur: illud præſertim, vi captam eſſe Peruſiam, tanto militum, tanto equitum præſidio firmatam, tam munitam, tam copioſam. Quoſnam verò potiſſimum exules Senam reducat, haud equidem ſcio, non magis hercle, quàm quid in tanta gerendarum rerum occaſione Veneti & Aeſtenſes ocioſi etiam nunc deſideant. Nam de Bergomo hic omnes valde timent, vnus eſt Salaſſorum reguli frater, qui quadringentorum Gallorũ equitum præſidium illuc iam veniſſe affirmet. Si ita eſt, res ab Hiſpano & a Germano tuta eſt: ſin aliter, verear ne plagã Veneti accipiant, & ſe parũ præclaras illas inducias iuuare ſero cognoſcant. De Heluetiorum aduentu rumor hic iam nullus: nam Gallos copias ſuas parare, armare, inſtruere audio: nec quid tamẽ ſine Heluetijs aggreſſuri ſint intelligo, nec ſi ij venerint, an eis quicquam committendum ſit perſpicio. De Pompeio Columna & Alex. Caſarino, quos ab ampliſſimo collegio ad

Hadrian

Hadrianum Pont. Max. legatos eſſe miſſos ſcribis, gratum mihi fuit cognoſſe. Homines ſunt nobis amici, quiq; triſtiſſimis illis meis tēporibus cauſæ noſtræ propugnatores Romæ extiterunt acerrimi. De iſto armamentarij incendio, tuli ſcilicet vt debui, hoc eſt moleſtiſſime: vix enim credas, quàm iſti ciuitati faueam. Nam præter damnum quod in præſentia ab ea factum eſt, portendere etiam aliquid res ipſa grauius videtur. Deus omē auertat: ſed ſuperioris belli mala haud ita diſſimilem caſum conſecuta ſunt: nuper verò paucos ante menſes quàm Galli Mediolano pellerentur, arcis turris quædam munitiſſima de cœlo tacta conflagrauit. Sed redeamus domum: tametſi ne hic quidem eſt quod magnopere ſcribam, niſi me opinione mea celerius ad numos eſſe peruenturum. Quas enim ego, in Cal. Martias regis edicto, collatas arbitrabar ſolutiones, has tu in Non. Febr. tantum ſuſtentatas eſſe ſignificas.

De Pont. Max. bene coniicis. Rationibus noſtris accommodatior alius creari potuit nemo, quanquam ne hoc ipſum cuiuſmodi futurum ſit planè intelligo: ſed tamen comitiorum exitus mihi optatius cadere non potuit. Valebit, puto, apud eum aliquid patris mei memoria. Valebit quod ego ipſe cum Philippo Caroli patre vixerim: deniq; com-

munis lingua vſus, patria vicinitas, ciuitatũ noſtrarum communio, ſtudiorum ſocietas, ſpem mihi afferunt non contemnendam. Verum hęc fortuna viderit. Ego enim eum, in quo nunc ſum tamdiu tenebo curſum, quoad me ingenuarum artium cognitione Romana dignum ciuitate prębuero. Quo vtinam ſemper ſint animo, & Hadrianus ad tuendam Chriſtianæ religionis pietatem, & Carolus ad conſeruandam augendámque Rom. imperij maieſtatem. Rides? Atqui ſcito, neutri de his deliberatius eſſe, aut etiam facilius, Romanæ Reip. ſtatum conſtituere: quàm mihi ea, quę orationis lumine adhuc indigeant ſtudia, Romanis literis illuſtrare & perpolire. Reſpondi duabus tuis epiſt. Vale. Ex Vrbe Patauio. X I I I I. Cal. Feb.

CHRISTOPH. LONG.
Stephano Saulio S. 12

QVantum ex tuis literis voluptatis ceperim, ex eo poſsis conijcere, quod nullas adhuc neque diutius auidiusq; expectatas acceperim, neque amantius elegantiúsque ad me ſcriptas, iam diu legerim. Verum vix tantum earum mihi lectio iucunditatis afferebat, quantum interim priſtina noſtra conſuetudinis refricabat deſiderium, præſertim tot rebus in dies penè ſingulos nouis,

præter omnium ſpem atque ſententiam conſecutis. Dij immortales, quæ tempora, quos riſus, quantam ſermonum, coniecturarum, iocorum amiciſſimarum atque ſuauiſſimarū inter nos concertationum facultatem amiſimus. Quod ipſum hoc moleſtius tuli, quod nemo ferè hic fuit, qui cùm his de rebus familiariter communicarē. Nam Polus noſter, eſt quidem ille ingenioſus & mehercule doctus & elegantiſſimi iudicij adoleſcens, ſed qui neq; iſtiuſmodi diſputationibus ac nuncijs magnopere capiatur, & mira quadam etiam tum modeſtia tum taciturnitate ſit præditus. Cum Leonico quidem ſum ſeptimo quoque die his de rebus aliquid cōmentatus: ſed ei magna ex parte gerēdus eſt mos. Noſti autē quàm plena & familiaris me delectet libertas. Sed hoc mihi ferendum eſt, qui ſingulari quodam in hoc ſum facto, vt ab ijs ſemper abſim longe gentium, quorum conſuetudine delecter vel vnice vel plurimum. Ac fines aliquando tandem reuiſurus es, cùm abſentiam tuā tolerabimus interim fortius, tum præteriti temporis incommoda aduētu tuo facile, vti ſpero, ſarciemur. Quod de tota vita atque ſtudiorum noſtrorum ratione certior à me fieri cupis: ea verò, excepta collocutionum noſtrarum ſuauitate, eadem ferè etiam nunc eſt, quæ tecum hic fuit.

Ab

Ab hora diei quinta ad ſextam pila ludimus. Pranſi, Flaminio Tomarotio comite, Vrbis partem aliquam obimus. Sub Veſperam, domum nos recepimus. Hora noctis altera accumbimus. Cœnati ocium pictis tabellis, aut etiam ſcrupis ad quintam oblectamus. Noctis reliquum ſomno & quieti datur. Menſæ, ſi hoc etiam fortè quæris, tuas ciborum lautitia exæquant: Vini gratia & ſuauitate longe ſuperant: quod quidem vinum vel vſque ab vltima Venetiæ ora magna cura accerſitur. In cubiculo tantùm laboramus, quod planè æſtiuum eſt, & ijs ſanè ad Septentriones luminibus, vt non modo frigora, quibus maiora non meminimus, depellere, ſed ne ventos quidē vlla ratione excludere poſſimus. Quod autem vnum contra tantam hyemis aſperitatem adhiberi poteſt remedium, luculento nos camino tuemur, & brumæ incommoda æſtatis ſpe lenimus. Nihil enim hoc loco æſtate tota optari poſſit, neq; aptius neq; amœnius. Imitare grues, inquies. Licuit hoc hyemis initio: nam hyberni elegantiſsimi, tum nobis facta eſt poteſtas: ſed me fefellit cœli huius natura, quam à tam horribili diuturnoq; frigore, & ab aquilonum ſæuitia remotiſsimam putaui. Verumtamen valetudine multo firmiore, quàm anno ſuperiore ſumus vſi, & dei benignitate adhuc vtimur: ter quatérve

ad ſummam aluus nobis ſupreſſa eſt autumno, & pituita negociū exhibuit: reliquis temporibus ne commotiunculam quidem vllam, aut etiam tentationem ſenſimus. Vulneri, quod ex morte Leonis accepi nec opinatum & grauiſſimum, medebitur, vti ſpero, Hadriani noſtri Pontificatus: noſtrum enim meo mihi iure appellare videor eum, quem nobis vel commune municipiorum noſtrum vinculum, vel linguæ vſus, vel quædam etiam literarum ſocietas coniungit. Huc accedit neceſſitudo, quam cum patre meo conſtitutam ille quondam habuit: & quod ipſe quoque apud Philippum Caroli parentem aliquando vixerim. Omnino is vnus eſt ex omnibus, quem Pontificem rebus meis maximè conſentaneum fore arbitrer. Attamen ne me omnem in eo tuendi ocij noſtri ſpem habere exiſtimes, audi quodnam mihi ſubſidium ad eam rem compararim. Coactis nummulis noſtris negociari cœpi: quo autore? Octauiano Grimoaldo: quo inſtitore? eodem quo ille ſcilicet. Miraris? illud vero magis mirabere, Cæſarianum me iam eſſe factū. Omnino dilabor in eam cauſam, cùm incredibili gentium penè omnium conſenſione victus, tum etiam in Francorum ſtultitia de priſtinis meis illis ſententijs deiectus. Sed tu fortaſſe de ſtudiorum meorum curſu aliquid

audire

audire malles. Eum igitur iiſdem horis, & eodem adhuc in campo tenemus, in quo cùm tu hic adeſſes, induſtria noſtra deſudabat. Quotidie commẽtamur aliquid & legimus. Thucydidis hiſtoriam ad exitum ferè perduximus: quod item tu cur non feceris, cauſa abs te nulla affertur. M. T. Ciceronis Topica, Partitiones, De inuentione rhetorica libros duos confecimus: De oratore item Volumen primum, priuſquam hæ tibi venerint, perlectum à nobis fore putamus, idq́ nihilo minore, quàm epiſtolas eius euoluimus, ſtudio atque diligentia. Nam cùm antelucanis horis vti iam didici, tum verò nulla me fortunæ iniuria ne tranſuerſum quidem vnguem ab inſtituto itinere diuellere potuit. Itaq́ tantùm & ſcripſi & legi, quantum vix quiſquam facile credat, & ipſe tu aliquando ſenties. Habes ferè ad omnia: nam quod rogas quo ſim erga te animo, de eo ſcribendum mihi vix puto: tu quidem certè dubitare non debuiſti. Sim enim mei diſsimilimus, niſi te tanti faciam, quanti ab homine memore, minimeq́ omnium ingrato, is qui bene de eo meritus ſit, & fieri debet & ſolet. Addo etiã quod an tibi probaturus ſim neſcio, ſed ita ſeſe res habet: auctus eſt abſentia tua meus in te amor, nec quo id ſanè modo acciderit, ſatis exputare poſſum: niſi fortè qui quotidie præ-

ſentis

ſentis tui aſsiduitate explebatur animus, quia te iam caruit diutius, eo nunc te requirat ardentius. Sic enim certè nati ſumus, ut quæ in oculis poſita ſunt bona, eorum vim non admodum animaduertamus, atq; adeò plerunq; ſenſim obrepente ſatietate, faſtidiamus: quæ vero longius abſunt, ea vehementer & anxie expectamus. Quorum mihi certè poſterius vſu nunc veniſſe ſentio, atq; eo magis, quod iam ne te mihi in perpetuum carendum ſit, timere incipio. Nam neq; tu de aduentu tuo quicquam ſcribis, & ipſe Italiã eo video ardere bellorum incendio, quod multis annis reſtinctum iri non puto. Vale. Ex vrbe Patauio, XIII. Calend.

CHRISTOPH. LONG. Ant. Flaminio S.

CVM mihi à Steph. Saulio literæ ſine tuis eſſent redditæ ſanè commotus ſum: ſed tum multo me hercule magis conturbatus, cum in extremis illis, quæ tibi non ſcribendi cauſa fuiſſet, legiſſem. Effecit tamen officium tuum, quo te mihi per eius literas excuſatum eſſe voluiſti, vt dolori, quem ex iſta tua valetudine traxeram, nonnihil voluptatis aſpergeretur: præſertim cùm nec periculum grauius vllum denunciaret, & ipſum

anni tempus ſaluberrimum, ſpem mihi non mediocrem oſtenderet. Itaque mihi officium tuum ſcito fuiſſe gratiſsimum: ſed ita ut neq; ſalute tua quicquam mihi poſsit eſſe antiquius, nec modo literas à te iam ullas non flagitem, ſed ut de iſto tuo potius in bonas artes ſtudio aliquid remittas, etiam atque etiam rogem. Noui naturæ tuæ infirmitatem: noui incredibilem tuam in omni percipienda humanitatis ui aſsiduitatem. Quare ſi mihi quicquam credis, homini quem tute ſcis tibi eſſe amiciſsimum, & in alienis quidem diiudicandis cauſis minimè ſtultum, da aliquid corpori, ſerui ualetudini, ſatis tibi ſit earum quas quærimus rerũ noſſe fontes & capita: rationem earum & uias ingenio tuo autore & cogitatione haud ita multa, modico certe ſtudio conſequère: præſertim qui puer in leuioribus illis artium ſtudiis operam optime poſueris, & nũc in grauioribus extrema iſta tua adoleſcentia iam tantùm profeceris. Infinitam iſtam diligentiam, & immenſam lectionem nobis relinque, qui quo minus natura atq; ingenio ualemus, & in rectam diſciplinæ uiam tardiùs ingreſsi ſumus, eò cùm nos approperare opus eſt, magis tum uerò euigilare in ſtudio diligentius, & labores omnes ſufferre poſſumus facilius. Volo enim mi Flamini chariſsime, ut cum homines ingenium, induſt-

induſtriam, doctrinam tuam admirabūtur: laudent etiã prudentiam, qua te bene vſum eſſe omnes indicabunt, ſi otio pariter & valetudini tuæ conſulueris. Non temere hoc ſcribo & ad quem ſcribam, video. Cura igitur primùm, vt valeas: hoc enim nihil mihi facere potes gratius: deinde vt de tuo ad nos reditu aliquando cogites, & Saulium noſtrum eòdem voces: poſtremo vt Do. Saulius ſiquando te viſet, & Hector noſter, quem tibi ſemper aſſidere non dubito, plurimam hic ſibi à me ſalutem adſcriptam eſſe intelligant. Sed tibi plus omnino oneris impono quàm per valetudinem tuam mihi liceat. Itaq; reliqua abijce, vnius tuæ ſalutis rationem habe. De rerum noſtrarum ſtatu, ſi quid ſcire voles, Saulium noſtrum percontator, ad quem vberes de eo literas miſi. Etiam atq; etiam mi Flamini Vale. Ex vrbe Patauio. XIIII. Calend. Februar.

CHRISTOPH. LONG.

Bapt. Egnatio S. 14

SImonem Villanouanum quanti faciam, quantumq́; eius cauſa laborem, te iam tum, cùm eum tibi præſens commendarem, perſpexiſſe arbitror: quid autem tu de eo mihi humaniſſime receperis, meminiſſe te non

dubito. id quod etiam ex Grimoaldi noſtri literis cognoui, qui de ea re, tibi curæ eſſe mihi ſæpe ſignificauit. Tamen quia lentius adhuc negocium proceſsit, quàm initio ſperaueramus, quodq; ea eſt Villanouani ipſius fortuna, ut niſi abs te rationibus eius maturè conſulatur, ſit ei in Galliam remigrandum, & hac Veſtra omnium bonarum artium altrice atq; parente Italia carendum: peto abs te. Hic verò mihi Verba deſunt, quibus eum tibi commendem: quicquid enim vel à me dici poteſt, id tum dixi, cùm hac de re tecum coràm agerem: Vel adhuc fieri abs te & tentari potuit, id etiam factum eſſe certo ſcio: ſed gerendus eſt adoleſcenti mos, qui renouatam meam per literas commendationem plurimum apud te ponderis habituram eſſe ſibi perſuaſit. A te igitur peto, ut pro ſingulari tua erga ſtudioſos omneis beneuolentia & liberalitate, hominem ſummo ingenio, incredibili ſtudio, iudicio elegantiſsimo, doctrina verò tanta, quantam penè extremi adoleſcentiæ anni capiant ornatum, in Italia per te retentum velis. Scio quàm tu unus omnium ad eam rem conficiendam ſis aptus, quantum gratia & autoritate iſtic valeas video: neq; verò quantum mea cauſa velis Villanouanus ipſe dubitat, ut ſi iam expectatione ſua fruſtretur, non te mihi, ſed me ſibi defuiſſe

fuiſſe iudicaturus ſit. Quare velim mi Egnati, rem arbitrere meam: & quicquid in eum ſtudij, operæ, diligentiæ contuleris, in me collatum eſſe putes. Magno tibi aliquando erit ornamento, ſummæ ſpei adoleſcentem ope tua ad ſummam laudem perueniſſe: magnæ in præſentia voluptati, eius vel eximia probitas, vel ſuauiſſima conſuetudo: mihi quidem certe ipſi, cui plurimum cupis, gratiſſimum feceris. Illud verò haud ſcio an addendum ſit, adyciam tamen, non minus tibi ab eo debitum iri gratiæ, apud quemcunque Villanouanum collocaris, quàm ipſe tibi Villanouanus eſt habiturus: qui cùm cæteris animi virtutibus ſit inprimis ornatus, tum verò minime omnium eſt immemor atque ingratus. Vale. Ex vrbe Patauio. X. Calend. Febr.

CHRISTOPH. LONGO.

Octauiano Grimoaldo S. 15

ET ſi quod tibi mitterem non habebam, ſcis enim me ex tuis ferè literis ſcribendi argumenta ſolitum eſſe ducere, nec te poſteriori meæ epiſtolæ adhuc reſpondiſſe: tamen cùm Villanouani noſtri rogatu, ad Bapt. Egnatium ſcripſiſſem, non potui nihil ad te dare literarum, quibus cùm tuas elicerem, tum verò mihi gratiſſimum fore intelligeres, ſi cùm ipſe tu Egnatio ſuas

reddidiſſes, commendationem meam oratione tua ſubſequerere: hoc eſt ſi cõmunem amicum ad id quod iampridem, etiam te autore ſuſcepit, conficiendum negocium excitares. Non dici poteſt, quàm de Villanouano laborem: nec eo tam amicitia noſtra, quæ quidem ſumma eſt, adductus moueor, quàm humanitate & natura mea, qui tam præclarum ingenij lumen, tam miſere extingui doleam. Ocium illi ad aliquot annos eſt opus, non quo vel cum Budæis, vel cum Eraſmis noſtris, quos iam elegantia dicendi & ſubtilitate vicit, ſed cum veteribus illis aliquando contendat. Ocij porrò in Italia hoc tempore ſpes ei nuſquam niſi iſtic oſtenditur: nec iſtic omnino vlla ſine Egnatij noſtri opera atq; diligẽtia. Sic igitur facies: literas meas Egnatio cùm dederis, hominem ad id quod volumus diligenter cohortabere, & ad nos aliquid etiam ipſe ſcribes, ſiue quid noui habes de Regum noſtrorum inſania ſiue quemadmodum te ad hæc munieris frigora, quibus ſanè maiora non meminimus: neq; nimium diuturnitate & frequentia, neq; ventorum aſſiduitate & ſæuitia. Vale. Egnatius cùm de Villanouano cum ipſo agerem, volebat adoleſcentem apud ſe eſſe, dum quid offerretur, in quo ſpes eſſet. Liberalitate eius tum non ſumus vſi quod nihil neceſſe eſſet: nunc conditionem

libenter

libenter complecteremur : res enim ✓rget. Quare quid in eo etiam nunc habeat animi Egnatius, ✓idebis, & me quàmprimum certiorem facies : etenim celeritate opus eſt. Ex ✓rbe Patauio. Calend. Febr.

CHRISTOPH. LONG.

Octauiano Grimoaldo S. 16

QVæ mihi ad te ſcribendi cauſa nuper fuit, eadem certè nunc eſt. Cupio tuas elicere, ſed multo mehercule magis, ✓t de Villanouano cum Egnatio abs te conficiatur, plus oneris ſuſtineo, quàm tute putes : ✓iuit is enim ſumptu meo : & quàm paratus ipſe ſim à pecunia, ✓ides. Verumtamen à nobis aletur quoad ✓el poterimus, ✓el à ✓obis ei conſultum fuerit. Quare in eam curam incumbe, & rem tuam agi putato, ne mihi quoq; cum ipſo Villanouano ad te propediẽ confugiẽdum ſit. Iocari me putas? Peream, ſi quicquam ✓nquam moleſtius tuli: neq; ✓erò idipſum tam mea, quàm omnium ſtudioſorum cauſa. Tantam talis adoleſcentis indolem non modo nullis ornari, aut certè inuitari præmijs, ſed ipſo etiã quotidiano ✓ictu carere? Si minus familiaris mihi fuiſſet & notus lèuius fortè caſum eius ferrem: nunc quo me tandẽ animo eſſe cẽſes, qui cùm illius ingenij

vim atque ornamenta planè cognita habeam, ei tamen opitulari diutius non queam & qua tandem in re? num vt honores aliquos adipiſcatur? num vt ſericatus ſpectetur? num vt lautus & beatus obambulet? debentur hæc quidem tanta virtuti, modeſtia, ingenio, iudicio, ſtudio: ſed hoc non agitur: illud, me miſerum, ne nobis inſpectantibus turpiter mendicet, agitur. Eſſet in his locis Steph. Saulius, non laboraremus. Sed indignatione debilitor & dolore. Proinde quo loco res eius ſit, tu fac ſtatim ſcribas. Vale. Ex vrbe Patauio, VII. Calend. Febr.

CHRISTOPH. LONG. Octauio Grimoaldo S. 17

NArro tibi: ceſſationem tuam amplius ferre non poſſum, neq; verò cauſam eius vllam reperire: niſi hoc ipſum fortaſſe ais, reſcriptum eſſe mihi à te. Si ita eſt, vide quibus tuas literas dederis, ego enim iam dies ferè quindecim ne ſchedulam quidem abs te: ſin eò taces, quod de Villanouano ex animi noſtri ſententia cõficere non queas: at hoc ipſum ſcribito. Inhibitur fortè noua à nobis tuendi iuuenis ratio: ſed tamen ſi quid adhuc ſperas, vrge quæſo Egnatium, de quo nihildum ſpem abieci. Noui hominis humanitatem, & in

ſtudio

ſtudioſos omnes liberalitatem. Omnino tanta ſum hac de re in ſollicitudine, vt quiduis potius, quàm literarum tuarum ſilentium videar perlaturus. De reipub. Audio neſcio quid de Mantua à Gallis proditione tentata: quod ipſum nihil eſſe reor: item de Alexandria ab Hiſpano capta: quod non difficulter credo: nam Cortonam & Sancti ſpiritus fanum, duo copioſa & munita Florentinorum oppida, à Franc. Roboriano direpta eſſe iamdiu huc eſt allatum. Quod autem nihil neque à Germania, neque à Gallia, neque de Pont. Max. neque adeò de Heluetijs, quos Gallis ſubſidio aduentare nuper audiebamus, alpes in cauſa eſſe arbitror, quas hac hyemis aſperitate clauſas eſſe ſimile mihi vero videtur. Vale. Ex vrbe Patauio. V. Calend. Februar.

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 18

DE tuo iſto ſilentio, quid tibi ſtatuendum cenſeas, tute videris: me quidem certè, ipſe hominem non putarem, ſi tam crebris, quàm ego tecum egi literis, ad ſcribendum abs te inuitatus, etiamdum tacerem. Nam meas tibi non eſſe redditas epiſtolas mihi perſuadere qui poſſum, qui ſciam, neque me vniquam

quam earum vllam dediſſe, cui tu probe notus nõ eſſes, & ipſorum etiam tabellariorum in perferundis literis commoda fructusq́ omneis conſiſtere? At enim fortaſſe nihil epiſtola dignum tibi occurrit: quaſi vero de re vel mea, vel publica, vel Villanouani, vel etiam de ipſo Egnatio oratio tibi deeſſe poßit, præſertim homini tam diſerto, & aliàs ſemper ad ſcribendum impigro. Verum non audeo te accuſare, qui ſi humanitati atq́ prudentiæ diſſimilam tuæ, ſim mei diſsimilimus. Angor tantum animo & queror, nec de quo ſanè conquerar ſatis exploratum habeo. Facit tuus erga me amor & acre iſtud tuum omni in re iudicium, vt nihil abs te neq́ temere, neq́ iniuria fieri putem. Rurſus tam inſolens & diuturna taciturnitas in tanta maxime ſcribendi materia, animum meum vehementer ſollicitum habet, ne quid grauius acciderit vel tibi ita vt ſcribere non queas, vel rebus meis, ſic vt nõ audeas. Tu ſi quod minus velim valetu line impeditus ceſſas, delega (quæſo) eum laborem tuorum alicui, qui me de omni ſtatu tuo faciat quàm primum certiorem: ſin fortè rationum noſtrarum conturbatione aliqua commotus taces, nihil eſt quod vereare. Scis enim quonã apud me ſint iſta fortunæ bona loco, quidq́ ego aduerſus omneis fortunæ iniurias iampridem habeam animi: ſed me- iam

iam verba deficiunt, fac igitur ſi me amas; vt aliquid perendie vel à te, vel de te accipiam, ne cùm me literarum tuarum fructu diu priuaris, earum quoque expectatione diutius torqueas atque excrucies. Vale. Ex vrbe Patauio. III. Cal. Februar.

CHRISTOPH. LONG. Octauio Crimoaldo S. 19

AD eum quem ex tam longo literarum tuarum ſilentio percepi dolorem, accedet etiam mittendi ad te pueri mei impenſa: quid enim aliud capiam conſilij, ſi nec ego aliter de te quicquam poſſum cognoſcere; & tu ſex continuis à me prouocatus epiſtolis mihi ſcribere etiam nunc grauare? Atque vtinam is ea de te referat, quæ à nobis libenter vel legi vel audiri poſſint. Iam enim tibi ſcribendi onus imponere nullum audeo, ſatis abs te habebo, ſi me per hunc internuncium hac ſollicitudine liberaris. Omnino magnum quiddam ſit neceſſe eſt, quod te hominem tam officioſum, mihi tam amicum tam diu tacere cogat: quod ipſum quoniam cuiuſmodi ſit, coniectura nulla aſſequi poſſum, ſi literis conſignare id noles, puero meo recte commiſeris. Atque ne quibus de rebus certior fieri cupiam ignores, præter taciturnitatis tuæ cauſam, ſcire velim primum, nunquid apud

te ſit ut volumus. Deinde, quot nũ ex XIIII. die Calend. Febr. meas acceperis epiſtolas. Tum ecquid Egnatio noſtro ſuas reddideris, & de Villanouano confeceris. Tum verò, an deſcriptum Steph. Saulio faſciculum Genuã miſeris. Poſtremo de rationibus noſtris ſi quid addideris, gratiſſimum mihi feceris. Nam de Rep. quid ego te rogem: qui hæc quæ mihi coniunctiſſima ſunt, tam leuiter hic attingam? Vale. & mihi puerum meum ſtatim remittito. Ex vrbe Patauio. Calend. Febr.

Perſcriptis his non ſine magna animi mei moleſtia literis, ecce tuæ, breues illæ omnino, & exiguam de Villanouani negocio ſpem afferentes, ſed quæ me tamen ab eo, quo me debilitarat, valetudinis tuæ metu liberarunt. Itaque pueri iſtuc mittendi cauſa iam nulla eſt: nam cùm tu valeas, nec maiore vllo impeditus ſis negocio, his lectis ad omnia (vti ſpero) reſpondebis. Sed quod ais nihil in Villanouano præter ætatis maturitatem deſiderari: ea vero corroborata eſt, atq; mea quidem ſententia eiuſmodi, quæ hoc in genere maxime optanda ſit. Annos natus eſt ſex ſupra viginti: idq; meis ad Egnatium literis tum ſignificaui, cum eum dixi ea eſſe eruditione, cuius penè extremi adoleſcentia anni capaces eſſent. Quare ſi hoc vnum adhuc obſtat, facile eſt conficienda illi conditionis ratio: ſed celeritate

ritate opus eſt, Vt ante ad te ſcripſi. Sumptus enim tamdiu ſuſtinere non poſſum, neque rurſus eum ab omni alia humana ope deſertum dimittere. Literas tuas ſic expecto, Vt nihil auidius. De flagitioſa Gallorum in ſeruanda Alexandria negligentia, Vel Vt tu ſcribis, Vinolentia, aliàs Videbimus: nunc enim præ cura libere iocari non queo. Illud enim tãtum miror, ſex modo amiſsis militibus incolume preſidium omne dilapſum eſſe. Ad reliquas Franc. Roboriani Victorias Senam acceſsiſſe gaudeo, & de Florentina Valde timeo.

CHRISTOPH. LONG.

Octauiano Grimoaldo S. 20

CVm hodie literas tuas, quas mihi pridie Calend. Februar. miſiſti, de integro legendas in manus ſumpſiſſem, animaduerti in earum extremo eſſe caput, quod ad rationes noſtras ſpectaret, nec à me tum lectum eſſet, aut ſatis animaduerſum, cum ad eas reſcriberem. Perturbato ſcilicet eas percurreram animo, quod ipſum ex meis facile cognoſcere potuiſti. Vberior igitur fuit negotiatio noſtra, quam putaram: idque omne & diligentia, & tua erga me beneuolentia acceptum refero. Quod autem adſcribis, Vt ſi pecuniam

pecuniam ab argentarijs exigi velim, iſtuc veniam: ſin minus, quid tibi faciẽdum ſit, per literas demonſtrem: ego vero, etſi cum nemine omnium libentius ſum, quàm tecum, tamen ne ſi exigenda quidem ea ſit, cauſam cur mihi iſtuc veniendum ſit nõ perſpicio, præſertim cum tibi ſcripta ſit, non mihi. De reliquo nihil eſt quod ad me referas: quocunq; te rationes noſtræ vocabunt, ſequere, neq; tibi authoritatem meam expectandam putato. Ego enim cùm iſtiuſmodi rerum ſum planè rudis, tum vero me in ſinum atq; fidem tuam totum cõtuli, quem neq; facilè diſcingi, & in omni genere prudentiſſimum eſſe ſemper iudicaui. Itaque exigenda illa ne ſit, an tranſcribẽda, an ad aliud negociationis genus transferenda, an permutanda, quanquam deliberationis eſt: tui tamẽ eſt conſilij, quicquid anguſtiæ noſtræ poſtulent non ignoras. & in quo ſpes ſit vlla, exploratum habes. Equidẽ, quod ad me pertinet, quicquid feceris, id prudenter abs te & fideliter factum eſſe iudicabo, atque adeo ratum habebo. Ac quia multus in eos es, vt quid te facere velim, omnino ſcribam, geretur tibi mos, ſed vniuerſe, nec enim aliter poſſum. Ducentos iſtos quinquaginta denarios ad ſuperiorem ſummam adijcito, totamq; pecuniam ita tractato vt tuam: ſed hæc diligentius & cautius, quod in paucis iſtis nummulis

lus mihi ſunt omnia: non ſit ocioſa, nec in eo item verſetur negocio, quod ſit hominum vel fraudibus, vel calamitatibus opportunū. Hoc ſi præſtiteris, & ocio noſtro optimè conſulueris, & me hominem memorem gratumque aliquando experiere. Vale mi Grimoalde ſuauiſſime, & ſi quid eſt de Villanouano ab Egnatio confectum, facies me quàm primum certiorem. Non dici poteſt quàm me hoc onus premat & grauiter vrgeat. Ex vrbe Patauio, pridie Non. Februar.

CHRISTOPH. LONG. Bapt. Egnatio S. 21

SCripſi ad te nuper de Simone Villanouano quàm potui diligentiſſime, non quo memoriæ tuæ conſtantiæue diffiderem (ſciebam enim quàm tu grauitati tuæ ſeruires, & in amicorum præſertim rebus minime eſſes obliuioſus) ſed id tum Villanouano ipſi a me dabatur, qui vt ſe tibi per literas quoq; accuratiſſime commendarem, mecum egerat. Quod autem nunc in eandem rationem de integro tibi ſcribo, id ſcilicet mea ſponte facio, qui cum te currentem incitare cupio, tum vero quibus ille in malis iaceat video, & tantum ex eo dolorem, quantum animo capere vix poſſum, traho. Agitur mi Egnati

non de honore eius aut dignitate, quod quidem optandum nobis eſſet, ſed quod me pudet ſcribere, ne ſumma ſpei, ſumma virtutis adoleſcens in ipſa florentiſſima Italia parte fame pereat. Huic tu literarum ac literatorum omnium ignominia & turpitudini, quando vnus hoc tempore mederi potes, (aut nemo certe iſtic poteſt) non iam abs te peto, quod prioribus feci literis. ſed per ſingularem illam tuam erga ſtudioſos omnois omnibus perſpectam, à me ſemper prædicatam liberalitatem tuam te obſecro, vt homini ſolo virtutis ſtudio, & fortunæ iniuria calamitoſo, quibuſcunque rebus potes conſulas atque proſpicias: ego, quod ad me pertinet, amplius quàm feci facere non queo. Tuæ ſunt iam partes, vt quem officiis tuis multis es complexus, aliquo etiam beneficio tuo benigne cumulatum velis. Non equidem audeo quicquam tibi iſtiuſmodi oneris imponere: ſed quia tamen dignam iſta tui animi benignitate mihi videris eſſe conſecutus fortunam, ſine hoc à te petam, quod quidem te libenter facturum eſſe mihi coràm oſtendiſti. Quid hoc ipſum? inquies, Tantiſper tecum ſit dum apud aliquem eum collocas. Hoc ſi à te impetramus, faciam profecto vt apud memores & gratos homines beneficium à te poſitum eſſe cognoſcas. Vale. Ex vrbe Patauio. VI. Id. Feb.

CHRI

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 22

ETſi nihil erat omnino quod ſcriberem, nõ potui tamen Flaminio noſtro iſtuc proficiſcenti non vel inanes ad te dare literas potius, quàm nullas. Sanè enim in rebus meis nihil eſt noui. Verſamur adhuc in his, ad quæ tu me vnus omnium ſemper es cohortatus, literarum ſtudijs. De te vero, etſi minus quàm cupimus, audimus, tamen quæ volumus: tam leuem iam accedere quartanam, vt vtrum tentatiuncula ſit ea, an febricula, vix ipſe tu ſentias atq; diiudices. Hoc ipſum mihi quàm gratum ſit, etiam tacente me ſatis, puto, intelligis. Equidem (quod vnum abſens & poſſum & debeo) pro ſalute tua vota facio, & vt te planè confirmatum, hic primo quoq; tempore videam, etiam atque etiam exopto. Flaminium ipſum à me hic tibi commendandum eſſe non arbitror. Eſt enim iampridem in ære tuo, vt quem tute mihi ipſe accurate commendaris: teſtimonium modo mei de ſtudio eius atq; induſtria iudicij, ei dabitur. Scito ex omni nobilitate Romana, multis iam ſeculis extitiſſe neminem, qui ad ſumma ingenij atq; iudicij ornamenta tantum adiunxerit diligentiæ, & in omni liberalis doctrinæ ſtudio aſſiduitatis. Non enim politiorem

modo

modo humanitatem & communes literas attigit, ſed etiam ſe vtraque lingua in recte dicendi diſſerendique ratione ita exercuit, vt non credibile ſit, neque quàm longe iam proceſſerit, neque quò paucis annis tam pleno gradu peruenturus ſit. Pertexet enim, ſcio, quod exorſus eſt, niſi aliqua fortè temporum iniuria ab inſtituto curſu alio rapiatur. Sed de Flaminio nimis multa præſertim ad te, qui cum de adoleſcentis indole ſumma ſemper ſperaſti, tum vero fortaſſe libenter adhuc legere non potes. Valebis igitur, & à Polo noſtro ſaluebis. Vale. Ex vrbe Patauio. VI. Idus Februar.

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoal. S. 23

FLaminius noſter eo tempore, nunquid ad te vellem, mihi denuntiauit, cum quid à te expectarem magis haberem, quã quid ipſe mitterem. Scis enim te nihildum ad poſteriores meas duas reſpondiſſe. Mihi quidem certè nihil abs te adhuc eſt redditum, tametſi multarum à me habes epiſtolarum argumenta: veruntamen nihil vrgeo, atq; etiam occupationibus tuis faueo. Iam enim ſentio, quàm tibi ſuperiorum mearum in tuis flagitandis, literarum crebitas moleſta fuerit. Scripſi hodie ad

ad Bembum & Egnatium: huic vt Villanouani cauſam aliquãto acrius ſuſciperet, illi, ne me negligentiæ damnaret, ſi ſe Flaminius iſtò & ad eum ſine literis meis contuliſſet. Exitus hyemis cum initijs conſentiunt. Maximis & aſsiduis aucta flumina hymbribus agros totos inundarunt. De Heluetiorum aduentu nonnullus hic eſt odor, itemq; de Frãc. Robortani, & Iulij Medicis coniunctione. Omnino ſunt qui rem inter eos conuenturam ſuſpicentur. Ego nihil eſſe reor: ſed tamen ſi fiet, aut ille ad Gallum, aut hic ad Germanum tranſeat neceſſe eſt. De Francis mirum eſt hic ſilentium: quanquam non deſunt, qui treis Hiſpanas cohortes ſtipendij inopia coactas à Cæſare ad Venetos defeciſſe affirment. Sed hoc tu melius, ac potius optime omnium. De ſtudiorum noſtrorum ratione ſi quid ſcire voles, Flaminium ipſum percontator. Vale. Ex Vrbe Patauio. 6. Id. Februar.

CHRIST. LONG. OCTAuiano Grimoaldo S. 24

O *Iucundas & gratas literas, quas mihi à te Flaminius noſter attulit. Sanè non dici poteſt, quam me earum ſermo delectarit, atque illud in primis, quod de rationum noſtrarum procuratione ſcripſiſti. Equidem*

etſi difficile factu eſſe video id quod pollice-ris, tamen tum ingenio, tum induſtria, tum vſu, tum verò etiam ſingulari tuo erga me amore fretus, ſperandum id mihi cenſeo. Tu contra velim ea à me expectes omnia, quæcunq; ab hac ſtudioſa vita noſtra atque conſuetudinis parte proficiſci poſſunt. Etenim ſi hoc tu præſtiteris, mihi Leontis liberalitas non magnopere deſideranda vt fuerit, ad quemnam potius omnem ſtudiorum meorum fructum detulero, quàm ad te, cuius vnius opera, fide, diligentia, ocium meum honeſte copioſeq; tueri potuerim? Sic itaque tibi velim perſuadeas: me, ſi quid poſt hac legendo, audiendo, commentando, ſcribendo, aſſecutus fuero, daturum operam, vt amicitia noſtra haud paulò ſit illuſtrior ea familiaritate, quæ Nicol. Grimoaldo Cebæ auo tuo cum Franc. Philelpho viro doctiſſimo interſit. Non auderem hoc tibi tanta polliceri fiducia, niſi & eodem apud te eſſe loco bonas artes viderem, quo apud auum tuum extiterunt: & quam opinionem de ſtudiorum noſtrorum exitu conceperis, ex literis tuis perſpicerem, Quãquam maior hæc omnino iam eſt, quàm vt ei à me ſatisfieri poſſit. Equidem mihi iam nauaſſe operam videor nõnullam, quod vnum ex omnibus M. T. Ciceronem dicendi magiſtrum mihi delegerim: ſed nondum me

tantum profeciſſe ſentio, ut eo tibi nomine ipſe gratulari debeas, atque te his temporibus natum gaudere: quod quidem vel ex eo comprobari poteſt, quod te, qui tanti eloquentiam noſtram facias, crebris meis literis ad paulo vel diligentius vel ſæpius ſcribendum nihildum potui perducere, nullo id ſanè impetraturus negocio, ſi ut ais, illum conſectando, vim eius affingerem atque exprimerem. Remoto ioco mi Grimoalde ſuauiſſime, quantum in eo imitando adhuc profecerim, me quidem non pœnitet: ſed tamen tantum abeſt, ut me illi parem unquam fore ſperem, ut mecum preclare actum iudicaturus ſim, ſi tenuem modo aliquam diuinæ illius eloquentiæ ſimilitudinem adumbraro. Id enim ſcilicet nunc molior & ſcribendo perſequor. Sed hac de re nimis multa: tantum velim exiſtimes, ſi ſtudiorum noſtrorum rationi fructus reſponderint, perfecturum me, ut non modo hæc hominum ætas, ſed etiam tota fortè poſteritas, quàm bene apud me ſtudium, operam, officia tua collocaris, intelligat atque cognoſcat. Sed redeo ad ſpectacula noſtra, luctuoſa quidem illa, ſed quæ hoc tempore eſſent planè nulla, niſi citerior Gallia quotidiano Hiſpanorum latrocinio infeſtaretur: nam tranſalpinis gentibus ocium, anni tēpus attulit, certe illinc ne leuis

 rumor

rumor quidem: tu vero de Hadriano noſtro nihil. Atqui Bacinone de Pontificatu ſuo nuncium accepiſſe fertur, & Gregorij nomen ſecutus: illo videlicet ipſo nobis indicans nomine, quanta vigilantia in hoc obeundo munere ſit vſurus. Ac profecto ſumma ea ſit oportet atque mirifica, ſi modo, vti ſpero & opto, is ipſe eſt qui ſuperiorum Pontificum partim ignauia, partim ſcelere labefactatam Chriſtianæ pietatis religionem inſtauraturus eſt & confirmaturus. Deum quæſo Opt. Max. conſilia eius Reip. Chriſtianæ ſalutaria ſint, neque ocio noſtro parum accommodata. Vale. Ex vrbe Patauio 16. Cal. Mart.

CHRISTOPH. LONG. Ant. Marcilio S. 25

Tentari abs te patiētiā meam arbitror, qui nec nuncijs, nec literis, nec precibus denique cōmotus meis etiā nunc taceas. Quid enim contemptum me putem? Non tam (opinor) ſuperbus tu es, nec ego certe contemnendus. At vide quàm tu humanitati tuæ conſtes, qui hominem tibi tam amicum, tam familiarem, literarum tuarū iucunditate tam diu priues, præſertim ab eo ad ſcribendum laceſſitus. Ego enim mehercule cum omnibus in rebus, quas nobis ipſi præſtare poſſumus.

mus, vinci turpe duco: tum vero officijs & amori eorum à quibus prouocere non reſpondere, turpiſſimum. Sed vt initio dixi tentari abs te patientiam meam arbitror: quare obdurabitur adhuc hic menſis: ſin autem vt es etiam tum ceſſabis, non te equidem ſcriptorum meorũ deſiderio excruciare tentabo (video enim, quàm tu id facile ſis laturus) ſed tum longiſſimis epiſtolarum voluminibus obtundam, tum vero quotidiano ſumptu in tabellarios faciendo obruam: ſin id quoque abs te contemni intellexero, concitabo in te lucas iſtas boues, de quibus tu nihil adhuc ad me: credo, quod eas indignas exiſtimes, de quibus tu verbum facias. Veruntamen vide vtrum malis (vtrunque enim vitare non potes) quotidiano ne iſtarum belluarum barritu vexari, an de earum ingenio mihi aliquid perſcribere. Equidem poſterius hoc malim, tum quia te ſaluum cupio tum quod etiam incredibili quodam leporum atq; facetiarum tuarum ſtudio teneor, vel potius ardeo. Quo quidem in genere cum tu longe alijs excellas, omnib. quos vel natura hilaritate, vel omnis liberalis doctrinæ humanitate venuſtos & vrbanos nouimus: fac, amabo te, vt ſaltẽ per literas, quando coràm nõ poſſumus, inter nos feſtiue docteq; interdum rideamus. Vides-ne quantam iocandi materiam ipſe tibi iam

præbuerim, qui me quoq; non inſulſum eſſe tibi ſignificarim? Sed, vel me tuo arbitratu ludas licet, modo ſalſam aliquam & lepidam epiſtolam mittas. Quid vis enim potius, quàm ceſſationem tuam ferre poſſum. Vale. Patauij 12. Calend. Mart.

CHRIST. LONG. BAPT. Egnatio S. 26

VEreor ne tu me pudoris mei parum memorē eſſe iudices, qui rogandi finem faciam nullum, præſertim cum nihil abs te loci precibus noſtris relictum eſſe, ex Grimoaldi noſtri literis potuerim intelligere: ſed ea eſt Villanouani noſtri tum virtus, tum quæ me dies noctesq; excruciat, egeſtas, vt mihi hoc in officio ceſſator eſſe videar, qui me tibi moleſtum in ſcribendo eſſe iam non dubitem. Audio rationibus eius duo plurimum adhuc obfuiſſe, ætatem & nationem: atqui ea hominis ætas eſt, quæ mea quidem ſententia, ſit huic muneri maxime idonea. Sextum enim ſupra vigeſimum agit annum, ea iam prudentia atque moderatione præditus, vt hiſce virtutibus ſenectus ipſa non magnum pondus allatura videatur. De altero, non me quidem fugit, quam male Galli in Italia audiant, ſed ego tibi Villanouanum præſtabo, cum ab omnibus Gallicis vitijs ineptijsq; liberum

berum, tum planè Italica & grauitate & lingua, & (quod maxime ad rem pertinet) pronũciatione in primis ornatũ: nam quibus potiſſimũ gens illa virtutibus commẽdatur, fide, probitate, religione: has quidem nemo in eo deſiderarit, non ſanè magis, quàm ingenium, iudicium, ſtudium, literas, excellentem denique in iure ciuili prudentiam atq; memoriã. Sex enim ipſos annos ſub optimis præceptoribus Ticini in eo ſtudio euigilauit: atq; ita profecit, vt æquales ſuos omnes lõge vicerit. Quare à te quæſo, vt ſi quis ad eam voluntatem & diligentiam, quam in eo iuuando adhuc adhibuiſti, cumulus accedere poteſt, is hac mea commendatione accedat: ſin nihil addi poteſt, ne ſedulitatem meam aut impudentiæ aut ambitionis condemnes. Non enim liberalitati aut conſtantiæ diffiſus tuæ, ſed tum ijs in quibus Villanouanus iacet miſerijs, tum mea etiam humanitate commotus, eadem de re tecum ago & ſæpius & accuratius. Vale. Patauij. Calend. Mart.

CHRIST. LONG. OCTAuiano Grimoaldo S. 27

NVllum ferè nunc haberem ad te ſcribendi argumentum, niſi neſcio quid literarum Egnatio & Marcilio exaraſſem. Mar-

ciliis? inquis: & iſti quidem velim epiſtolam ſuam ipſemet reddas, ſed prius à te lectam, & cum videris quanti is à me fiat, pœnas mihi des taciturnitatis tuæ, qui literarũ tuarũ ſilentio commiſiſti, vt ad illum nulla ſentẽtia ſcriberem, quem tu minime omniũ æmulum feras. Tacet ipſe quoque etiam nunc: ſed non hoc diu impune tulerit. Ad Egnatium porrò ſcribendi hæc mihi cauſa fuit, quod nec eius etiam literas adhuc potuerim elicere, nec Villanouano vllo tempore aut loco deeſſe velim: cui quidem tamen ne iam deſint omnia, valde metuo. Iſtic enim à vobis lentius curatur negocium, quàm res & fortuna ipſius poſtulet. Sed hoc tu videris, in quem niſi mature prouideris, hoc quicquid eſt oneris, totum decidet. Admonitus es à me non nunc primùm: quare incumbe tu quoq; ſi ſapis in iſtam curam. Egnatium niſi perfecta re aut deſperata reſcripturum non puto. In citeriore Gallia audio Mediolanũ ab Hiſpanis & Germanis ſumma ope muniri pecunias imperari, delectum prouincialem haberi, põtes in Pado ad Placentiam fieri, omnia tumultus & trepidationis eſſe plena: præſertim cum Cares in Alpinos Gallis ſuis auxilio venire dubiũ iam non ſit. A Gallia & Germania nulla adhuc fama, clauſis ſcilicet etiam nunc Alpibus & noſtro mari: quæ tamen propediem aperiãtur

neceſſe

neceſſe eſt. Sed tuum eſt iſta ſcribere: huc enim iſtinc manant. Illud quidem meum, eſſe Bononiæ Hiſpanum hominē quendam, qui à ſe omnia Petr. Alcyonij in faciendo Ariſtotele latino errata collecta eſſe, ac propediē editum iri huc ſcripſerit: de quo ipſo, ſi tibi videbitur Alcyonium noſtrum facies certiorem, & ſimul hominem meis verbis ſalutabis. Vale. Patauij. 12. Calend. Mart.

CHRISTOPH. LONG. Mariano Caſtell S. 28

ACcepi epiſtolam tuam ad 9. Cal. Mart. in qua quod officium deſiderari abs te meum ſignificas eſt id mihi quidem ſubmoleſtum, ſed nihilominus tamen iucundum: vt qui nulla mea negligentia à me ceſſatum eſſe ſciam, & te iſta literarum mearum flagitatione mei memoriam adhuc tenere perſpiciam. Nam ne forte neſcias ego aliquanto magis, atque adeò iuſtius à vobis aliquid expectaui, quàm vos à me: etenim cum iſtuc perferātur vndique omnia, tum verò quotidie Romæ & fiunt & dicuntur quæ ſcilicet epiſtola ſunt digniſſima. Hic cōtra ſummum ocium, ſummū eſt de Rep. ſilentium: ſed quando tantopere literas requiris meas non committam poſthac, vt in eo genere de me queri

poſsis: tu modo fac ut de rebus urbanis ex te aliquid interdum cognoſcam. Lælius enim Maximus noſtri iampridē planè oblitus eſt: eques videlicet Romanus, & idem vir fortiſsimus, hominis noui, et in ignauo literarū ocio intabeſcentis. Sed hoc fero eadem, qua Leontis mortem, animi æquitate: ex qua etſi mihi grauiſsimū vulnus impoſitū eſſe ſentio, qui me ab omni humana ope deſertum hic nunc videam, non ſuccūbo tamen, neq; mihi, neque inſtitutis meis deſum ſtudijs, in quibus eo etiam elaboro diligentius, & euigilo acrius, quo mihi præclarius aliquando fore ſpero, me non modo nulla fortunæ iniuria de ſententia mea deijci potuiſſe, ſed etiam aduerſus omnes ſæuiſsimas eius tēpeſtates rectū curſum tenuiſſe. Omnino Gallia mihi clauſa eſt, quod contra meorum omnium voluntatē, Leontis promiſſa ſecutus, in Italiam redierim: in ipſa autē Italia cum Leonte ipſo ſpes mea omnis interijt. Florentia tumultuatur: Bembus longo & difficili morbo proſtratus iacet: abeſt Sadoletus, abeſt etiam Hadrianus noſter, de quo quidem multa mihi & magna polliceor: ſed ut vides longe abeſt gentium, nec modo de aduentu, ſed omnino de ſalute eius nihil exploratum habemus. In Hiſpania eſſe dicitur, ſed nec in utra, nec an in Italiam venturus ſit, etiam nunc ſcitur. Si veneris,

ſpe ſum optima: ſin Quintum Clementem ſibi imitandum putarit, mihi tamen in Italia, dum ſtudiorum meorum rationem explicaro, manere decretum eſt. Negotiari enim iam cœpi ex ea pecunia, quam ad hoſce fortunæ caſus, ſepoſitam habebam: resq; iam ita proceſſit, vt ad multos annos ipſe me ære meo tueri poſſe videar. Neque verò eſt quod vereare, ne hoc nouo vitæ genere ſtudia conturbētur mea: aliena hac in re & opera & fide vtimur. Aliena, inquies, fide? prorſus aliena, ſed hominis nobis amici. Quid enim faciam, ſi nec literis meis deeſſe, nec ipſe mercaturæ operam dare poſſum, homo cùm in omni negociatione planè rudis tum verò ocij & quietis longe cupidiſſimus? Adhibita eſt tamen ea à nobis cautio, vt nobis fraus non facilè fieri poßit. Sed hoc ſors viderit. De Panegyricis præſtabo, quid tibi ſum pollicitus, & Romana, mihi crede, fide præſtabo: ſed nondum ſatis maturuerunt, neque tamen à maturitate abſunt longius. Res eſt ardua & operoſa, præſertim cùm id mihi ſit cordi, non ſolùm vt amicitia noſtra, ſed etiam vt vrbe Roma non indigna habeantur, Itaque quoties tibi minus in eo maturare videbor, fac illius tibi in mentem veniat: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Flaminium ex tuis literis equidem accuſare poſſum negligen-

gligentiæ, quod nihil vnquam ad te de me: ſed eum nihilominus à me commendatum velim habeas. Dignus eſt adoleſcens quem omni tua humanitate liberalitateq́; complectare. Vſus es tu quidem aliquando ſumma in eum benignitate, ſed tum cùm nõ tam neceſſe eſſet, quàm nunc eſt, nec ipſe in tantam doctrinæ ſpem adhuc ingreſſus. Caue enim putes quicquam ei iſtic eſſe, aut tam multis etiã ſeculis fuiſſe, ſimile vel ingenio, vel induſtria vel probitate, vel etiam grauitate. Equidem ſic de eo pronunciare ſoleo, vt dicam neq; natura benigniore quenquam hodie vti, neq; cum fortuna duriore conflictari. Quare cùm id ei cumulatiſſime adſit, quod nullius beneficio aſſequi poſſit, id autem omnino abſit, quod tu ei cumulatiſſime præſtare potes: ne commiſſum velis mi Mariane, vt tantæ ſpei, tantæ virtutis adoleſcenti, & quod conſtat, propinquo tuo, tum deniq; defuiſſe videare, cùm ad ſummam eruditionẽ dignitatemq́; pleno gradu contẽderet. Perueniet enim quò tendit, & ſi tu paululum modo adiuueris, maiorum noſtrorum gloria dignum ſe præbebit. Hoc vt facias, vel mea, vel ipſius adoleſcentis, vel etiam honoris tui cauſa te tam rogo, quàm tibi nominis Romani dignitatẽ curæ & eſſe & ſemper fuiſſe certo ſcio. Orinthiam delicias tuas meis verbis diſſuauiabe-

re, matriq́ eius Iuliæ & materteræ Ludouicæ ſalutem referes plurimam. Bernardinæ vero tuæ etiam me diligenter excuſabis. Queſta eſt mecum grauiter de literarum mearum ſilentio: ſed ſatius puto fuerit, ei reſcribere, ne me ſuperbiæ quoq́ cõdemnet, qui per te excuſari maluerim, quàm literis eius reſpondere. Valebis igitur, & Buſſeios, Torquatos, Alterios, Salomonios, ac reliquos item communes amicos à me iubebis ſaluere, Patauij. Calen. Mart.

CHRISTOPH. LONG.

Steph. Saulio S. 29

VEllem eo epiſtolæ initio tecum agere nunc poſſem, quo ſuperioribus meis ad te literis ſum vſus: ſed facit diſpar tuarum ratio, vt hæ quoq́ diſsimile principij genus poſtulent. Scito igitur proximas tuas literas tantùm mihi attuliſſe, & moleſtiæ & doloris, quantum vel mihi dictu ſit perdifficile, vel tibi, niſi meum erga te perſpectum haberes amorem, creditu non facile. Ergo mihi te, vtroque noſtrum viuo, in perpetuum carendum erit: cuius ex ſuauiſsima conſuetudine tantùm capiebam voluptatis, quantum in omni genere prudentiæ fructus & vtilitatis? Equidem, etſi tum ex miſerrima horum temporum conditione, tum ex languidiore li-

terarum

terarum tuarum ſignificatione, aduẽtui tuo ſubdiffidere cœperam, fruebar tamen interim quadã inanis ſpei vſura libenter, ſperabamque aliquando fore, vt expectationi noſtræ reditu tuo tandem ſatisfaceres: nunc etiam illud, omni præciſa ſpe, literæ tuæ nobis eripuerunt. Quo me igitur tandem eſſe cenſes animo? Nempe eo, quo eſſe debeo, orbatus tali viro, mihi amiciſſimo, familiariſſimo, iucũdiſſimo. Polus quidem noſter, non tam eorum commemoratione, quæ à me de iſta tua & virtute & induſtria perſæpe audierat, quàm literarum quas tu mihi ſcripſiſſes, elegantia atque prudentia commotus, te vnum iam ſibi deſtinarat, qui cum ſocietatem ſtudiorũ coiret ſanctiſſimam. regiæ ſcilicet indolis, & acerrimi iudicij adoleſcens, te ex paucis epiſtolis tuis, quaſi leonem ex vnguibus, totum facilè æſtimauit: dignumque quem vnum ex omnibus in omni ſtudiorum ſuorum ratione comitem haberet, & ſocium iudicauit. Itaque cùm hunc triſtiſſimum de te nuncium à me accepiſſet, magnum etiam mihi viſus eſt dolorem accepiſſe, qui ſe de tanta ſpe, & ea quidem vnica, repente deturbatũ videret. Scis enim qualia hic ſint veſtri ordinis ingenia, & quibus etiam ſtudijs dedita. Verum ille, quidnam ſibi conſilij capiendum ſit, viderit: ego certè, qua vna amoris memoriaque tui ratione

ne

ne potero, tecum ſemper ero, literas partim legens aut expectans tuas, partim ſcribens, aut mittens ad te meas. Hoc enim vnum mihi relictum eſſe video, quo abſentis tui deſideriũ mitigem atq; conſoler. Quod ſi tu, quemadmodum oſtendis, mecum in ſcribendo certaris, cùm magna me ſanè leuaris moleſtia, tum verò te amici hominis officio fungi non modo iudicabo, verùm etiam vbiq; prædicabo. Sed venio ad literas tuas, quas abs te non ſine cura & angore animi ſcriptas eſſe intelligo: nec tamen eiuſce rei cauſam vllam exponis, tantùm tibi conſilium opus eſſe ſignificas meum. Quod ſi ita eſt, vt tu homo prudentiſſimus ſine me deliberare non facilè poſsis, & tanta res agitur, vt eam literis conſignare non audeas: iam verò abſentiam noſtram longe mihi grauius ferendam eſſe video, quàm initio putaram. nam quod ad fiduciarij illius ſacerdotij, quo te à Leonte abdicare coactus es, procurationem pertinet, expectandum tibi cenſeo, dum vel res apud Inſubres ex Gallorum ſententia conſtituantur, vel Hadrianus noſter venerit, aut certe rem Romanam compoſuerit. Nec enim dubito quin apud eum Pontificem ius tuum obtenturus ſis, quem iam multis ætatibus vnum, ſine vitio, ſine obnunciatione, ſine vlla ambitionis vel leuiſſima ſuſpicione, ſum-

mo

mo ampliſſimi collegij conſenſu, ſacris noſtris omnibus præfectum eſſe antiſtitem omnes & prædicant & admirantur. Ego id profecto diuinitus factum arbitror. Placet tamen interim, vt iſtic ad pontificias aliquot tabulas teſtere, inuitum te & metu Leonis adductum monaſterij illius procurationem tum depoſuiſſe, nunc autem conſtitutum tibi eſſe, vt primum ius dici Romæ cœperit, recuperatorio iudicio experiri. Hæc cautio etiam ſi minus neceſſaria eſt, opus tamen eſt, & ad vitandam tacitæ conſenſionis ſuſpicionem hoc tempore non inutilis. Sed hæc tu ſpero melius, vel tua vel iſtorum conſultorum prudentia fretus. Vale. Patauij. V. Non. Mart.

CHRSITOPH. LONG.

M. Ant. Flaminio S. 30.

IGnoſce, quod qui antea ſolitus ſum mea ſponte tibi ſcribere accuratius, nunc diſertiſſima abs te prouocatus epiſtola reſpõdeam negligentius: perturbato enim hæc ſcribimus animo. Turbarunt autem nos Saulij noſtri literæ, quibus ille mihi ſpem reditus veſtri ademit omnem. Vix credas quàm id moleſte feram, quantoq́ue veſtri deſiderio nunc ardeam, qui (fatendum eſt enim) digreſſum à me veſtrum haud ita grauiter tuleram: nimirum

mirum maturæ Veſtræ confiſus reuerſioni, necdum ſatis animaduertens quantam Vobiſcum ſuauitatem à me dimitterem. Iam Verò me & res & tempus docuit, quantum tum in eo amiſerim. Auget hunc meum dolorem ſtultitiæ meæ recordatio, qui id conſilij proficiſcenti Saulio dederim, Vt iſtic potius quàm hic. Quod etſi ne tum quidem mihi erat iucundum, habendam tamen maiorem illius rationem putaui, quàm mei. Ita cùm abſentia Veſtra, tum Verò etiam magis conſilij mei inſania torqueor: nam iſtic bellum exortũ eſt, hic in ſummo Viuimus ocio. Sed huic dolori meo, ſi minus frequentes à Vobis literæ, tempus quidem certe ipſum, atq; nouarũ neceſſitudinum coniunctio, Vt ſpero, medebitur. Nunc ad literas tuas, ex quibus cognoui eas quas Vobis ſuperiore menſe miſi, ad III. Calend. Febr. iſtuc nondum fuiſſe perlatas: atqui his ea cõplexus mihi Videor omnia, quæcunq; de Vitæ ac ſtudiorum noſtrorum ratione cupis intelligere: quare eas eodem exẽplo Vobis mittendas putaui. Conſtituti Verò abs te ocij tui conſilium ita mihi probatur, Vt eo tibi nomine etiam Valde gratuler: ſed bona mehercule fide, non autem quemadmodum tu, qui mihi Vere & iure optimo gratulatus, quod ad noſtros homines ſummum perueniſſet imperij ius, ſummus pontificatus, neſcio

quid etiam de eloquentiæ principatu adiunxiſti: quem quidem in hominibus noſtris non ſanè video, niſi tu fortaſſe illi τῆς μωρίας ἐγκωμίῳ. aut etiam Silenis Scarabeisq; noſtris tantùm in eo genere tribuis, ut perfecti oratoris imaginem ab amico noſtro effictam atq; expreſſam putes. Quod ſi ita eſt: eſt etiã quod te vehementer pudeat, qui eloquentiam veſtram non tam uberiore illa rerum verborumq; copia, quàm inſigni illa Batavi oratoris ſtultitia victam eſſe fateare. Sed nunc iocari præ ſtomacho non libet, vacuo animo ſcribam liberius & diligentius: itemq; de Lutheriana cauſa quod deguſtes, fortaſſe tibi mittetur aliquid. Vale. Patauij. V. Non. Mart.

CHRISTOPH. LONG.

Octauiano Grimoaldo S. 3,1

Allata mihi ſunt heri à Steph. Saulio litera, ex quibus intellexi faſciculum illum, quem ad te, ut Genuam mitteretur, proxime dederam, ei ad III. Calend. Februarij nondum fuiſſe redditum: ut illum omnino aut interceptum eſſe, aut tabellariorum negligentia amiſſum ſuſpicer. Nam perſcriptores tuos accuſare non audeo, qui ſi mea cauſa parum vellent, imperio certè mouerentur tuo. Itaq; da, ſi me amas operam, ut etiam nunc

deſcriptus

deſcriptus faſciculus, ad eum omnino perferatur. Quod tu per literas tuas, mutui inter nos officiorum certaminis contentionem tam auide accipis, eſt id mihi pergratum, perq́; ſanè iucundum: tu modo vide, necum me officijs tuis vincere contendis, nimia cupiditate prolabare, hoc eſt, ne me fortunis ſpolies omnibus, quem induſtria tua mirifice locupletatum cupis. Scis eo conſilio iſtam à nobis negociationem inſtitutam eſſe, non quo rem augeremus, ſed vt Platonis & Democriti exemplo, in hac peregrinatione ocio noſtro præſidium aliquod pararemus. Sit quæſtus igitur minor potius dum tutior & crebrior, quàm cum aliquo periculo fructuoſus & rarus. Mare quàm ſit infidum, vides. Terras hodie penè omneis partim bellorum incendijs, partim militum latrocinijs infectas eſſe non ignoras. Iſtic quàm certa ſit fides, neſcio. Sed ſus Mineruam, qui hæc ad te: ac ſum etiam profectò timidior, quàm mihi per te liceat: quare quam rationes noſtræ cautionem poſtulent, tute videris, qui vnus omnium certe vides plurimum. Ego enim: ſiquidem tu, vt oſtendis, iſtius tuæ induſtriæ fructum honore metiere, eum tibi habebo, quicũque ex ſtudijs noſtris proficiſci poterit honeſtiſſimus atque vberrimus. Et quoniam de Fran. Philelpho tam multa in literis tuis, equi-

dem cùm dixi, coniunctionem noſtram multo clariorē fore ea cauſa, quæ illi cum Nicol. Grimoaldo Cebæ auo tuo fuiſſet, Philelpho me comparare tum nolui: cuius quidem eloquentia atque doctrina tam facilè cedo, quàm tu auum tuum cùm literarum noſtrarum ſtudio, & totius vitæ ſplendore iam exequaſti, tum verò exquiſitiore quadam, & mea etiã ſententia expeditore negotiandi ratione longe viciſti: qui iſtic in ſummo ocio ea & tractes & aſſequare, quæ ille vt conficeret, ab Italia procul ad extremam ſenectam vixit, non Græciam modo, & Thraciam ſummis difficultatib. peragrans, ſed maximis etiam periculis Syriam, Armeniam, Perſidem, Arabiam, ac reliquas Orientis parteis percurrens. Cùm igitur de neceſsitudinis noſtræ claritate illa ſcriberem, non tibi immortalem poſteritatis memoriam pollicebar (hoc enim promittere arrogãtis eſſet hominis, atq; haud ſcio an etiã multò ſtultiſsimi) ſed id ſignificari volui pluri b. à me neceſsitudinis noſtræ veſtigia monumentis impreſſum iri, quàm is aui tui nomen nobis commendaſſet. Scis enim vnam tantum & alteram ad Cebam noſtrũ extare epiſtolam. Sed de his aliàs, niſi hæc potius ipſa nimis multa: veruntamen me pupugit longa illa literarum tuarum de Franc. Philelphi, & Chriſt. Longolij eruditione diſputatio.

ſputatio. Egnatius noſter quid iam habeat animi, neſcio. Tribus à me ad reſcribendum honorificentiſſime inuitatus epiſtolis, ne ſchedulam quidem adhuc, nec literam. Nihil, inquies, de Villanouano explicat? Ne tu quidẽ ipſe: attamen ſcribis. Equidem malim cauſam initio non ſuſcepiſſet, aut etiam omnem eius cogitationẽ poſtea abieciſſet, quam me literarum ſuarum expectatione tamdiu ſuſpendiſſet. Sed ei poſthac moleſti non erimus, ne in ſcribendo quidem. Val. Patauij. V. Non. Mart.

CHRISTOPH. LONG.

Bapt. Egnatio S. 32

MIſit ad me literas tuas hodie Romulus Amazeus, incũdas illas quidem mihi & expectatas, ſed eo ſanè tempore à te ſcriptas, cùm hic de Villanouano iam confeciſſemus. Collocatus eſt enim à nobis apud adoleſcentẽ quẽdam cùm honeſto in primis loco natũ, & optimis deditũ ſtudijs, tum eo etiã fortunæ ſplẽdore ornatum, & ſic erga Villanouanum animatũ, vt vtriq; optime conſultũ arbitremur. Quamobrẽ cùm iam nihil eſt quod eius cauſa labores; tum verò tibi & meo & ipſius Villanouani nomine gratias ego, quàm poſſum maximas: non de eo ſolùm, quod mea cauſa in eum cõtuliſti & ſtudij, & officij, ſed

de tua quoq; ad eum ſuſcipiendum, ſi res coegiſſet, voluntate, quam mihi per literas tuas humaniſſime atque liberaliſſime detuliſti. Equidem, etſi domo tua non eſt uſus, tamen quia eam illi patere voluiſti, perinde me tibi aſtrictum iudico, ac ſi apud te vixiſſet. Quid autem interiore tua epiſtola grauiorem te mihi aduerſarium conſtituis, quàm ij fuerint ipſi, qui me Romæ indigniſſime diuexarunt: iocaris in eo tu quidem acute, nec amice minus, quàm opportune, qui nunc deniq;, lite ſecundum me à Senatu P. Q. R. honorificentiſſime data, in capitis iudicium me tam longo interuallo retrahas, & unus ex omnibus iugulum hoſtiliter petas meum. Sed nihil agis. Veritas multorum gladijs peti poteſt, iugulari non poteſt. Nec enim quod tibi quaſi telum acerrimum ſumis, ingratus in patriam videri poſſum, qui me Maclinienſem ſemper & ubiq; ſum profeſſus, eaq; de Maclinia ornamentis & tum prædicaui, & poſtea ſcripſi, quæ perpetuo mea in patriam charitatis teſtimonio fore non deſpero. At Gallus videri magis quàm Germanus. Ne iſtius quidem unde coniecturam ducas, video: tu quidem certe nihil affers, cur ita tibi videri debeam. Sed nec ea ſanè res ad Macliniam quicquam pertinet, quæ ſiue Galliæ attribuatur, ſiue Germaniæ, nihilò inde obſcurior ſit, aut illuſtrior.

ſtrior. Non enim vllo nationis & circumfuſarum gentium nomine clara eſt: ſed tum ciuium ſuorum virtute atq; gloria, tum ipſius vrbis elegantia & amœnitate celebris hominum memoriæ, atq; beneuolentia commendata eſt. Carolus quidem Cæſar inter tot regnorum nomina, inter tot imperij titulos, Machliniensem principem ſeſe inſcribit, idque more maiorum, qui eam quaſi nullius prouinciæ regionibus circumſcriptam, numero ſemper exemerunt, & vnde finitimæ gentes omnes ius peterent, eſſe voluerunt. Ac profecto ſic ſe res habet, quemadmodum in altera defenſionum mearum oratione diſputaui. Dijudicari vix poteſt, Germaniæ Maclinia ſit an Galliæ. Facit lingua, imperium, vulgi opinio, vt Germaniæ adſcribenda videatur: rurſus hominum ingenia, mores, victus, veſtitus, ac ille gentium omnium celebratus monimentis Galliæ ac Germaniæ limes Rhenus, eam Galliæ adiudicat. Quæ quidem mihi cauſa eſt, vt vtriuſque honeſtiſsime cupiam, & hos bellorum motus inter eos componi exoptem potius, quàm alteros cum aperta Reip. Chriſtianæ pernicie vincere aut vinci. Sed ad id redeo, quod ais cæcos fuiſſe aduerſarios meos, qui illud de duabus ſellis non viderint. Viderunt Egnati, & in altercatione etiam mihi obiecerunt: ſed contrà atq;

tu, nam cùm à me quærerent cuiatis eſſem, qui nec Gallus nec Germanus eſſem: ita occurri, ut me & Gallum eſſe & Germanum dicerem. Hic de duabus ſellis cum neſcio quid illi cauillarentur, etiam tribus me ſedere dixi, qui præterea Romanus iam eſſem. Hoc illis non ferentibus, & os hominis clamantibus: reſpondi, quod negare non poterant, Mundanum eſſe me, & patriam à me eam duci meam, ubicunque & mihi & uirtuti locus eſſet. Atq; ita ſanè eſt: ciueis meos eos numero omneis, quicunq; nec à pietate Chriſtiana, nec à literis noſtris abhorreant: nec tum Romæ tam de adipiſcenda ciuitate cõtendi, quæ nec opinanti & abſenti delata eſſet, quàm ne improborum quorundam hominum conſpiratione ex ea turpiter eijcerer. Hæc ad te ſcripſi paulò uerboſius fortaſſe, quàm tu uelles: ſed in eo te offendi, quod longiori illi tuæ diſputationi plenius reſponderim, tu me uoluminibus poſthac obruas tuis licet. Vale, & me, quod facis, ama. Patauij. III. Non. Mart.

CHRISTOPH. LONG. Octauiano Grimoaldo S. 33

NVnquam uberiores ad me dediſti literas, ijs quæ mihi hodie ſunt reddita, cũ paulò antè ab Egnatio epiſtolam accepiſſem.

In tuis cùm omnia mihi fuerũt iucunda, tum verò id iucũdiſſimum quod de fœderis inter Francos & Heluetios icti ratione addidiſti. tametſi nihil ego à Caribus illis bona fide actum iri puto. Nolim ita ſit. ſed mihi inſignẽ aliquam cladem, non tam hoſtium virtute, quàm Alpinorum auxiliorum perfidia Franci accepturi videntur. Conſilia Proſperi Columnæ eadẽ planè eſſe ſuſpicabar, quæ tu prudenter auguraris. Eſt enim minime ſtultus, neque in ſubeundis periculis nimium audax. Aliquid ſit omnino oportet, quod eum ad perferẽda obſidionis incommoda adduxerit. Sed hoc propediem res ipſa nos docebit, quæ quidẽ diu duci non poteſt. Noua iſta aleæ ratio planè noſtra eſt, & à nobis Loteria, quaſi vaſcu lariam dicas, appellatur: ab argenteo ſcilicet vaſorum ad abaci ornamẽtum apparatu, qui ita inter eos, quorum in ſortem conie cta ſunt nomina, diſtribuitur, vt cuiq; aliquod vas obtigerit. Quod autem eo ludi genere te minime delectari ſignificas, nec committendum putaſti, vt pecuniam tanto periculo exponeres meam: agnoſco prudẽtiam & tuam erga me beneuolentiam, qui nihil de rationibus noſtris ſtatuas, quod non ſit periculo vacuum. Marcilio velim res iſta bene & feliciter eueniat: quanquam vereor, ne ſi ex animi noſtri ſententia ei ludus procedat, ita ſuperbiat, vt nos

contemnat: ſin damni aliquid faciat, ne iratus taceat, aut certe triſtius, quàm expectamus reſcribat. Tu modo da operam, ut de exitu negocij primo quoq; tempore fiam certior: ſic enim ad id quod ſcripſeris, literas meas accommodaro. Vellem in aliud tempus literæ tuæ incidiſſent: agerem tecum ſubtilius: nunc cùm & Egnatij literis reſponderim, & Hilaribus hæc ipſa ſcripſerim, plus mihi feciſſe videor, quàm mihi per genialis huius diei hilaritatem liceret. Vale. Patauij. III. Non. Mart.

CHRISTOPH. LONG. Rogerio Barmæ S. 34

PVdet me quod cùm rariſsimas ad te dem literas, nullas etiam mittam niſi commendatitias: ſed cùm nihil ferè eſt quod ſcribam aliud, tum verò tua in me beneuolentia, vel hic tam nota eſt, ut ſi cui vel autoritate, vel poteſtate tua ſit opus, is per me potiſsimum tibi commendari velit. Ego autem etſi ea te æquitate atque animi conſtantia præditum eſſe exploratum habeo, ut gratiæ locus apud te non ſit, qui quid res ipſa & cauſa poſtulet, non quid homines cupiant, pro ſingulari tua prudentia atq; iuſtitia animaduertere ſoleas: tamen interdum facere non poſſum, quin neceſſarios meos hoc officij genere proſequar: eos præſertim, quos nec amicitia

veſtra indignos, & ſalua dignitate atq; fide tua, abs te iuuari poſſe confidam: Vt hoc maxime tempore. Narrauit enim mihi Leonardus Pomarius medicus, quid Lugduni Petro Pomaro filio ſuo accidiſſet: quem quadruplatorum delationibus oppreſſum, & in vincula coniectum, iſtuc tãdem indigniſſime raptum eſſe diceret, capitis apud vos dicturum cauſam, non de vllo quidem ſuo ſcelere illum, quem læſa religionis nemo inſimularet, ſed quod patrem ſuum impietatis falſo accuſare noluiſſet. Atqui nihil neceſſe eſt, omnia vt hic commemorem. Notam enim tibi eorum cauſam eſſe ſcio: quanquam vt pater ipſe tibi ſatis notus ſit, vereor. Eſt autem vir planè bonus & doctus, & in ea, quam profitetur medendi arte, longe peritiſſimus: mihi verò tum his de cauſis, tum quod ad me amandum iam olim acceſſerit, ſanctiore quodam neceſſitudinis vinculo ita coniunctus, vt ad meum erga ipſum amorem nihil omnino addi poſſit. Ac quando in caput abſentis patris miſer iſtic torquetur filius, bona q; eius quaſi hominis indicta cauſa impietatis damnati, publice iam poſſidentur: dicam tibi vere & ex animo quid de hominis ſenſu atque religione nõ nunc primum exiſtimarim. Sic enim habeto, tam longe mihi ſemper abeſſe Leonardum ab illa Hiſpanienſi ſuperſtitione viſum, ut cũ etiam

etiam cum primis optime de Chriſtiana pietate perſuaſum iudicarem: quam quidem in ſententiam ſum adductus cùm ſingulari hominis doctrina & probitate, tum verò quotidianis & accuratis eius ſermonibus, quibus mecum ille & Lugduni perſæpe, & Venetijs ita ſemper eſt vſus, vt ipſe me præ illo in Chriſtianis literis rudem, in perſuaſione noſtra etiam ſi non repugnantem aut barbarum, tardum certè & duriorem eſſe arbitrarer. Neque verò me fugit, quàm non ſit temere de pia alterius voluntate pronunciandum, ne ex vultu quidem, aut ex oratione ipſa; quæ etſi quædam eſt animi imago, ſæpe tamē mentiri poteſt & fallere: ſed multo ſanè eſt arrogantius & periculoſius homini Chriſtiano, ſolis ſuſpicionibus commoto de nefaria ciuis ſui cogitatione iudicium facere. Ieſus quidem Chriſtus ipſe, ſe vnum occultæ hominum impietatis & iudicem eſſe voluit & vltorem grauiſsime ijs etiam minatus, qui de huiuſmodi cauſis quicquam ſtatuiſſent, nec ea ad ſe totas integrasq́; reieciſſent. Nam quòd Lugduno profectum eſſe Leonardum calumniantur, ne ei dies eo nomine diceretur, qui quidem aliquot ante annis graſſante illic ſæuiſsima peſte diſceſsit, quàm in hoc hominum genus inquiri cœptum eſſet: num tamen continuo impius ſit, ſi cùm temporum noſſet

rationem,

rationem, nec ſe mediocri ardere neſciret inuidia, quod & Hiſpanus eſſet, & locuples haberetur, ſordidiſsimorum quorundam, & tamen gratioſiſsimorum hominum, à quibus fortunas ſuas certa iam ſpe voratas eſſe intelligeret, calumnijs ſeſe ſubtraxit, atq; mature eripuit? Addunt delatores eius id, quod extra Hiſpaniam Hiſpanis penè omnibus vulgò obijci, & quod grauiſsimum eſt temere etiam credi video eiuſdem criminis reum ex Hiſpania illum iampridem profugiſſe. Quod ipſum ſi tam verum eſſet, quàm certe falſum eſt, eſſet tamen, mea quidem ſententia, iniquum, tanto præſertim interuallo, externis eum præiudicijs damnare. eius in primis gentis, cuius ipſe odio in inuidiam ac periculum nunc vocaretur. Non enim ignoras totam iſtam cauſam inde pendère, quod in Hiſpania ſit natus: ſed fuerit ſanè vel publico iudicio & iure illic damnatus, an illi in huiuſmodi crimine, inter homines religioſiſsimos poſtea pœnitere non licuit? Profectò enim multis in Gallia annis verſatus ſic vixit, ſic liberos Lugduni procreauit, ſic eos in iſto ſtudiorum domicilio optimis & artibus & moribus inſtituendos curauit, deniq; ſic ſe erga omneis geſsit. vt cùm alios pleroſque homines prudentiſsimos atque ſanctiſsimos ad amicitiam ſuam adiunxerit, tum verò etiam Iac. Fabiū.

& Car. Bouillum viros ſumma virtute atq; maximarum rerum ſcientia ornatiſſimos, ita ſibi deuinxerit, vt eum illi dignum iudicarint, quem immortalibus ſuorum ſcriptorum monumentis poſteritati commendarent. Ac vide mi Barma, quàm inique & prapoſtere eorum hodie imitemur mores, qui Chriſtianos homines quondam proſcriberent: dabant illi operam, vt quicunq; Chriſtiani numerarentur, non modo ſpe ſalutis, ſed etiam magnis propoſitis pramijs ad priſtinam impietatem reuocarentur: nos verò eos qui recte & nobiſcum ſentiunt, ad eiurandum Chriſtum ipſum cogimus. Profitentibus quidem certe illis ſe Chriſtianos eſſe, non credimus: deteſtantes impietatem, quaſtioni ſubijcimus: tormentorum vi coactos fateri, hoſtium numero habemus. Apud illos ſi quis verbo Chriſtianum ſe negaſſet, ſtatim dimittebatur: apud nos nec Chriſtiana pietatis profeſſio, nec vlla acta vita innocentia ad diluendum impietatis crimen ſatis eſt. Adeò quadam hominum peſtes vel ſuſpicionibus ſuis ſcelerate indulgent, vel etiam aliena auaritia turpiter crudeliterque inſeruiunt. Sed quid ago? cauſam hominis, & vehementius quidem ago, cuius modo religionis teſtimonium apud te per literas dare conſtitueram, & filium tibi commendare, quem iſtic ex

vincu

vinculis cauſam miſerabiliter dicere audio. Commouit me ſcilicet rei indignitas: ſimul & illud veritus ſum, vt ſi in re minime vulgari, & tanta, vſitato literarum genere eſſem vſus, ne tu hanc meam commendationem vulgarem duceres. Itaq; ſi quid vnquã mea cauſa voluiſti, ſi me virum bonum, ſi minime in rogando ambitioſum, ſi alieni ingenij exiſtimatorem non ſtultum eſſe putas: peto nunc à te primum, vt tibi perſuadeas ſic me de Pomaro patre ſentire, vt de eo qui de perſuaſione noſtra ſentiat optime: deinde, vt filium eius adoleſcentem optimum, & quod conſtat, non vlla quidem ſua culpa, ſed pietate potius & patris fortuna calamitoſum, ſaluum eſſe & incolumem per te velis. Hoc ſi feceris, cùm ego te hominis planè Chriſtiani officio perfunctum eſſe iudicabo, tum abs te beneficium apud homines humanitate tua dignos & memores præclare poſitum eſſe tibi præſtabo. Mihi quidem ipſi gratiſſimum feceris, qui Leonardi Pomari cauſa, omnia tum velle, tum cupere debeo. De rebus meis quod tibi ſcribam, habeo prorſus nihil, niſi me in ſumma ſuauiſſimi atq; honeſtiſſimi ocij facultate ſtudijs meis hic perfrui, ea nimirum ſpe atq; mente, vt iſta à me omnia non temere eſſe relicta homines noſtri aliquando intelligant atque cognoſcant. Vale.

CHRI

CHRISTOPH. LONG. Petro Bembo S. 35

NOn dici poteſt, quātā me hodie Flauius Chryſolinus voluptate affecerit: prorſus incredibili. Confirmauit enim mihi ex Cola noſtri literis depulſum eſſe abs te veterem iſtum & difficilimum morbum. Equidem etſi ſuperioribus diebus audieram, primum, quartanæ frigus à te prorſus diſceſsiſſe, deinde calorem, quàm leuiſsime accedere, poſtremo hunc quoque reuerti deſiiſſe, ita vt & tu omnium ſententia febri omnino careres, & ego ipſe mihi his timoribus atque moleſtijs, in quibus propterea menſes octo iacueram, planè liberatus viderer: quia tamen longiore circuitu febres interdum redire atque omnem vim morbi in ſeptimanam aut in decumanam etiam cōuerti poſſe ex medicorum libris didiceram, nullam ſum adhuc auſus literis meis gratulationem complecti. Nunc autem cùm iam bis, ac, niſi me dierum fallit ratio, etiam ter, nulla in diem tuum λῆψις incurrerit, ſic vt partim diligentia atque temperantia tua, partim ipſo anni tempore, & clementiſsima huius tempeſtatis beneficio recuperatam eſſe valetudinem tuam mihi perſuadeam: faciundum putaui, vt meis tibi literis, quàm iſta mihi res grata eſſet ac iucū-

da, ſtv

da, ſtatim ſignificarem. Scio equidem mihi non neceſſe hoc eſſe apud te, qui pro mea tibi iampridem perſpecta & cognita erga te obſeruantia id indicatũ habeas & exploratũ: ſed meo ſanè gaudio aliter ſatisfacere non queo, niſi lætitiã meam per literas tibi quoquomodo deferam atque declarem. Quare cùm tibi etiã atq; etiam gratulor mi Bembe ſuauiſſime atq; chariſſime, tum verò Deum immortalem precor, vt te ſaluum & incolumem nobis in perpetuum conſeruet: & quãdo huc iam diu ſpectas, Patauij te propediem firmum atq; valentem ſiſtat. Vale. Patauij. XIII. Calend. Apr.

CHRITOPH. LONG.
Hieron. Sauorniano S. 39

VEnit ad me hodie Conſtantinus tuus: qui cùm me & tuis & ſuis etiam verbis ſanè quàm liberaliter ſalutaſſet, multaq; à me tum de ſtudijs, tum de rationibus tuis familiariter rogatus, permodeſte ac ingenue reſpondiſſet: viſus eſt mihi adoleſcens, vt nihil dicam aliud, te tali ac tanto patre multo digniſſimus. Tu verò quod in me tam officioſus es, vt tuorum neminem huc vnquã dimiſeris, quin mihi ab eo ſalutem tuo nomine impertiri volueris plurimam: eſt id quidem mihi apprimè gratũ, nec ab iſta tua

ſingulari

ſingulari humanitate ſanè alienum. Nam quod me ad Aſopum tuum inuitas, currentẽ, ut aiunt, tu quidem incitas: feror enim iſtuc iam diu mea ſponte, tum ut conſuetudine tua, quam unam ex omnibus facio plurimi, per ocium aliquando fruar: tum ut arcem iſtam, quam tua uirtute atque animi magnitudine defenſam in omne tempus nobilitaſti, uiſam & ſpectem. Sed nihildũ animo meo morem gerere potui. neq; uero idipſum tam propter inſtitutã ſtudiorũ meorum rationem, quam nulla peregrinatione conturbari libenter uellem, quàm quod idoneũ adhoc iter uel ducem, uel comitẽ adhuc non ſim nactus. Nunc uero cum Bembus etiam noſter iſtò ſpectare uideatur (ſic enim de filio tuo audio) non committam, ut is ſine me ad te ueniat. De reliquo dabitur à me opera, ut iſtius tuæ erga me uoluntatis, ne te unquam pœniteat: quanquã enim ea fortuna mea eſt, ut tecum, iſtius ſplendoris uiro, paria facere non queam, officio quidẽ, & ſtudio certe & amore tecum ita certabo, ut in eo amicitiæ genere primas haud quaquam laturus eſſe uideare. Vale. Pata. 13. Calend. April.

CHRIST. LONG. OCTA-
uiano Grimoaldo S. 37

N*ihil tam præter opinionẽ meam adhuc accidit, quàm ut in tanta tabellariorũ*

copia

copia, loco tam propinquo, tot nouis in dies ſingulos iſtuc allatis rebus, literas tam diu deſiderarem tuas. Alter certe eſt hodie & vigeſimus dies cum nihil abs te: qui me cum alijs de rebus erudire potuiſti multis, tum vero quid vel lucri, vel damni ſortes iſtæ Marcilio noſtro attuliſſent, diligenter docere. Hoc enim vt faceres, poſterioribus meis ad te literis nominatim petieram. Itaq; quando tu tacendi finem facis nullum, ego ſcribendi faciam initium: neque me pudebit à te taciturnitate vinci, modo te literarum mearum officio victũ eſſe fateare. Scis enim cum mihi te um initio conueniſſet, vt ego ad duas epiſtolas tuas ſeptimo quoque die vnà reſpõderem, rem contrà omnino cecidiſſe. Tu enim ad binas meas literas, vix ſingulis, idque maiore etiã interuallo reſcripſiſti: cum tamẽ tibi Italica lingua multo ſit vti facilius, quàm mihi aliena & latina. Scilicet nihil eſt quod ſcribas, tanto ardente bello Italia, tanto in Inſubribus partium conatu: nam valere te, ex multis qui iſtinc venirent, & tecum multũ fuiſſent, nuper didici. At enim ſummis occupationibus diſtringeris. De hoc ipſo etiã Gallos illos homines cum accurate percontatus eſſem, ocioſum te & admodum hilarem viſum à ſe affirmarunt. Reliquum eſt, vt in eos culpam conferas omnem, qui

x 2 epiſtol

epiſtolas accipiant, nec ad me perferãt. Velim ita ſit: nihil enim minus volo, quàm vt in amicitia noſtra accuſere: ſed tu fac diligentia tua, tabellariorum vt vincas negligentiam, ne ſi quando epiſtola noſtra in manus hominum veniant, non tam ego ineptus aut impudens, qui literas tuas ſemper flagitem, quàm tu inhumanus iudicere, qui amicum hominem toties & tam diu literarum tuarum deſiderio torqueas. Sed tu forſitan epiſtolas meas vnius non facis aſſis, qui tibi in ſingulas erogandus eſt. Id ſi ita eſt: vel de eo maxime certiorem me facias velim. Inibitur enim à me ratio, quemadmodum ſine tanto tuo ſumptu officium meum tibi præſtetur: rarius enim ſcribam, & vberius. Tu tamẽ in eo nolim me imitere, qui & crebras & ponderoſas à te literas ſemper expectem. Quid Mediolani, quid in Gallorum caſtris actum ſit, ſcire de te velim: hic enim inconſtantiſſime narrantur omnia. De Franc. item Roboriano, Aeſtenſi Alphonſo, Rauennatibus, Barriano duce Iulio Medice, Fulgoſiis tuis ſi quid adſcripſeris: per mihi iucundum, per〈q〉 gratum feceris. Sed quid ſingula perſequor? qui de omnibus, quæ in Italia & extra Italiam geſta ſunt, modo iſtic nunciata ſint, certior abs te fieri cupio. Quod ſi non facile tibi in mentem veniunt quæcunque digna literis

quotid

quotidie audias, τοπικὴν quandam in eo rationem ſequare licet. Scripturus enim ad me, omnia primum inſignia Italiæ oppida mentis oculis colluſtrato, Deinde animum in Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, Pannoniam, ad ipſum denique Turcarum Regem referto. Sic enim nullo negocio in memoriam rediges, vel tibi occurret potius, quicquid eo die epiſtolæ dignū acceperis. Miſi ad te nuper neſcio quid de quodam Hiſpano homine, qui P. Alcyonij in faciendo Ariſtotele Latino errata Bononiæ colligeret. Nunc illud adijcio, ea iam edita eſſe, & huc miſſa cum hac inſcriptione. Errata Petri Alcyonij in interpretatione Ariſtotelis, à Ioāne Geneſio Sepulueda Cordubenſi collecta. Hoc ſi tibi videbitur, Alcyonio ſignificabis, aut per alios certe denunciandum ei curabis. Sed ſi bene te noui, ipſe tu denunciabis, vt hominis ad tanta cōtumeliæ nuncium, vultum videas, quod vnum ſanè ſpectaculum tibi magnopere inuideo. Nunquam enim is ex oculis laborabit, qui tum eius frontem ſpectarit. Hanc epiſtolam ſimul atque legeris, velim concerpas, aut ita vt ne vnquam emanet, comprimas. Vale. Patauij, decimo Calendas Aprilis.

CHRISTOPHORI LONGOLII EPISTOLARVM

Liber quartus.

CHRISTOPH. LONG. Mariano Caſtell. S. 1

DVodetriginta circiter diebus ad ſuperiores tuas literas reſcripſeram, cum alteras à te accepi: ſed eodem penè exemplo datas. Tantum enim in his modo de ceſſatione mea quereris: de qua me tibi iam ſatis purgatum arbitror, ſiquidem proxima mea ad te epiſtola tibi eſt reddita. Panegyricos tuos velim luculentius & accuratius deſcriptos mihi mittas. Quos enim habeo, ne ipſe quidem eos poſſum legere aut etiam intelligere: adeò ſunt mendoſi, & ruſtica neſcio cuius librarij manu non tam deſcripti, quàm diſcerpti ac planè corrupti. Nam vt omnium quas ad te & Lalium Maximum dedi, literarum exempla mihi curares

curares, tecum ſæpe egi, nec quicquam adhuc profeci. Quare cum id quoque diligenter curabis, tum vero Lalium ipſum cohortabere, ſi quod mittat, non ſit aliud: hoc ipſum ſaltem vt ſcribat, qui ſit hoc tempore Auguſti noſtri vultus, quæ oratio, quænam iſtic de Hadriano noſtro expectatio, quæ hominum opinio. Hic enim certe nobis de ipſo pollicemur omnia, quem iam multis ſeculis vnum rite atq; ordine, ſine vllo omnino vitio Pont. Maximum factum eſſe omnes prædicant. In eius Pontificatu omnes à me ſpem poni volunt: nec equidem habeo nullam, ſed non tantam, quantam vulgò videor debere: non quin apud illum vel commune ciuitatum noſtrarum vinculum, vel lingua ſocietatem, vel quandam literarum coniunctionem, vel patris mei memoriam, vel etiam quod ipſe apud Philippum Caroli Cæſaris patrem puer vixerim, valiturum putem plurimum: ſed quod id haud ita laboro, qui vt probe noſti, cum incredibili quodam tenear ocij & literarum ſtudio, tum etiam ſi minus natura, iudicio quidem meo, & ratione quadam ab omni regali comitatu abhorream. Sed veniat in Italiam modo. Tum enim quid nobis capiendum ſit conſilij videbimus, ac tecum etiam deliberabimus. Bembus noſter etiam nunc Venetijs eſt, nudius denique

octauus longa illa & graui quartana liberatus. Simulatq; ſe ad nos contulerit (quod quidem paucis diebus futurum ſperamus) ſalutabitur à me tuis verbis diligenter: quod item officium tu, in referenda Petro Cafarello ſalute, mihi velim iſtic, praſtes. Quæ apud Inſubres agũtur, quæq; ſunt acta, multorum ad vos literis & nuncijs perſerri non dubito. Quid autem futurum ſit, propter incertos bellorum exitus, dictu eſt difficile: ſed tamen res in proximum diſcrimen videtur adducta. Nam neq; Mediolani magnos eſſe commeatus intelligo: neque eo ſunt Galli ingenio, vt aſsidendo, quàm pugnando malint vincere. Ita fore ſuſpicor, vt alteri fame coacti, finiendi belli cupiditate: alteri de ſumma rei prælio decernere feſtinent & approperẽt. Quod ſi continget, lugebit, mihi crede, victor: vnus autem communis omnium hoſtis Turca triumphabit. Vale. Patauij, octauo Calendas Aprilis.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 2

CVm mihi antea minime ſatisfaciebat Marcilius, quod nihil ad literas reſcriberet meas, tum vero lecta epiſtola tua, ei grauiter ſuccenſui, quod ipſe idem tuarum ad me literarũ curſum tamdiu impediuiſſet.

Quid

Quid quæris? dabit mihi pœnas, nondum dico quas, aut quando: ſed dabit tamen opinione ſua & citius & grauiores, ipſum non ſcribere toties inuitatum, eundem tibi ſcribere cupienti, eſſe impedimento. Neutrum impune feret: idq; velim ei meis verbis denuncies, extra iocum. Tu poſthac non quid a'ij cupiāt, ſed quid ego à te expectem, fac cogites: expecto autem ſeptimo ad ſummum quoq; die tuas literas, etiam vt nihil magnopere ſit quod ſcribas: quanquam hæc eiuſmodi ſunt tempora, vt epiſtolæ argumentum tibi deeſſe non poßit. Sed de his nimium, & ſæpe, & multa. De Rep. Hadrianus igitur noſter in vltima adhuc eſt Hiſpania. Atqui maturo eius aduentu fore ſperabam, vt ſi minus pax oriretur, bellum certe ex Italia depelleretur. Scis enim quantū is apud Cæſarem & gratia valeat & authoritate, apud Gallos ſanctitatis opinione, & Pontificatus maieſtate. Profecto ſi quis eſt, qui extorquere arma poßit ex manibus iratorum Regum, Hadrianus noſter eſt, qui cum pacis ſit cupidißimus, & vir omni laude ornatus, tum vero ea eſt & poteſtate & authoritate præditus, vt eos ipſius arbitratu arma depoſituros eſſe non deſperem. Sed aduentu eius opus eſt, & in ipſo Pontificatus domicilio Romæ commoretur oportet. Vix enim credas quantum trāſ-

 alpine

alpinæ gẽtes Vrbis nomini & dignitati adhuc tribuant. A principibus iſtis omnes teneri, & iamdiu tritas eſſe pecuniæ vias ſciebam: tam immanem iſtic exiſtere ambitum planè neſciebam. Sed hoc cõmune eſt rerum omnium publicarum vitium. Inſtruendæ claßis conſilium valde probo, nec quid tamen quadraginta triremes aduerſus trecentum profuturæ ſint, video: non ſanè magis quàm qui obſidionis illius futurus ſit exitus: quanquam ſi vera ſunt quæ ſcribis, Cæſariani Gallis neque opibus, neque copijs cedunt, & ſunt ipſa populorum beneuolentia munitiores, ac ducum ſuorum prudentia vigilantiáque multo ſuperiores. Gallos equitatu & militum genere firmiores eſſe audio, & ad dimicandum paratißimos, quibus ſe tamen initia parum proſperè dederunt, amißis vno baliſtæ ſaxo, duobus ſimul clarißimis viris M. Antonio Columna, & Camillo Triuultio. Omnino vix tanti Gallis eſſe debuit Proſperum ipſum capere, & Mediolanum expugnare, vt illis in tanta talium virorum penuria, & alienißimo tempore tam miſere ſpoliarentur. Ego quidem ipſe Columnæ interitum grauius tuli, quàm eorum quiſquam ſibi facile perſuadeat, qui cum male de me meritum eſſe non ignorant. Aduerſatus eſt ille quidem cauſæ noſtræ Romæ, ſed

ſed neque tam vehementer quàm potuit, neque tam vllo maiore conatu, quàm nominis ſui authoritate atque gratia: quam quidem apud Pop. Romanum labefactatum iri putauit, ſi quod mihi pollicitus erat, cauſa noſtra patrocinium ſuſcepiſſet. Itaq; vt tum eius ambitioni facile ignoſcebam, ſic eius nunc & accerbiſsimum caſum doleo, qua vna mortuis ratione prodeſſe poſſumus, manibus bene precor & exopto. Camillum Triuultium Valentia quondam ſalutaui in hybernis, cum grauis armatura equitũ ala praeſſet: familiaritas mihi cum eo nulla interceſſit: ſed ea vixit modeſtia, virtutis, prudentia fama, vt ex eius morte magnum ceperim dolorem, & theatrum noſtrum in perpetuũ claudi optarim. Verum quid agas? non modo libenter & inuitis nobis pugnant, ſed nos etiam pugnarum ſuarum ſpectatores, nec id ſine noſtro periculo, eſſe cogunt. De Ioan. Medice longe alia hic narrantur. Circumſideri hominem artiſsime Soncini: quò etiam Galli finitimos populos ſpe diripiendi copioſiſsimi oppidi euocaſſe dicuntur: certe hic magna de eo ſumus expectatione ſuſpenſi. Franc. Roborianus bene in praſens quieti ſua conſuluit, quòd cum Pop. Florentino fœdus percuſſerit: ſed vt ſuſtinenda parum grati animi inuidia, & erupturo aliquando Gallorum

lorum Florentinorumq́ odio par ſit futurũ, etiam atq; etiam vereor. Eadem eſt Aeſtenſis Alphonſi cauſa: quem in tanto belli ardore, quod præſertim eius potiſſimum cauſa ſit excitatum ociosum eſſe non oportuit. Baleares inſulas à Cæſare defeciſſe, huc nihil dum allatum fuerat: tantummodo Cæſarem in Hiſpaniam cogitare audieramus, quem tu Bruxellis ſi Deo placet, faciundis tum cœnis, tum ludis occupatum eſſe ſcribis. Omnino nihil à principum noſtrorũ ingenijs faciat alienum, qui imperij ſui rationem luxuria, voluptate, licentia definiunt. Nam Leſcutũ aiunt in Gallorum caſtra cum omnibus ſuis copijs iam perueniſſe incolumen, capta in itinere Nouaria, Vigleua, & alijs quibuſdam ignobilioribus caſtellis. Quod autem is inter ſcyphos & epulas, Apuliæ minatur & Siciliæ & Hiſpaniæ, agnoſco Gallicam fortitudinẽ. Sed hæc tametſi mala ſunt nobis, tamen iam tolerabilia longo vſu facta. Illud quod de Turcarum regis terra mariq́ apparatu adſcribis planè exhorreſco. Nam ſiue in Italiam ſiue in Pannoniam is veniet, hoc eſt, ſi vincet (vincet enim, mihi crede, modo veniat) ſeruiendum nobis erit, & turpiſſime quidem ſeruiendum. Verùm hoc Deus viderit, qui quid nobis maximè expediat, vnus & videt & dare poteſt. Habes quod optaſti, ad longiſſi-

giſſimam bene longam epiſtolam. Vale. Patauij. Cal. April.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 3

Expectaui heri die toto auidiſſime, ſi quid à te ferretur hiſtoria dignum. Eadem in expectatione hodie fui vſq; ad horã ſextam, quo quidem tempore ſcis tabellarios munere ſuo iam eſſe perfunctos. Quare cum tu nihil adhuc eorum quæ iſtic, accipe quæ multorum literis & nuncijs confirmata, hic pro certis habentur, atque illud in primis ipſum, Falſum id eſſe quod nullo certo authore, ſed ex opinione hominum atq; fama de Io. Medice nuper reſcripſi. Tranſijt enim ad Gallos cum equitibus leuis armaturæ trecentis, grauis quinquaginta, militum verò cohortibus quatuor. Cauſam relinquendæ illi patriæ hanc fuiſſe aiunt, quod Vidonem Rangonium à Florentino Po. ſibi in copiarum imperio prælatum ferre non poſſet. Nam tres illæ, quæ nuper Mediolano ad eoſdem Gallos transfugerunt, equitum turmæ, eò ſe extrema ſtipendij inopia adductos affirmabant. Nouariam in Gallorum veniſſe poteſtatem proxime tibi ſcripſi, ſed tum vt captam fuiſſe neſciebam: direpta eſt igitur, & cohortes partim Hiſpanæ, partim Germanæ tres, quæ

illis

illic præſidij cauſa eſſent, occidione occiſa. Viui in Victoris manus deuenére Nicolaus Raſca, & Philippus Torellus, eius ciuitatis longe principes, ac Cæſarianarum partium ſtudioſiſſimi. Vigeum quoq; expugnatum eſt, ſed nondum arx recepta, in cuius oppugnatione tormenti pila grauiter ictus Cotinus Martinengus alterum oculum amiſit, nec an Vulneri ferendo par futurus ſit, etiam nunc ſatis conſtat. Florentinorum auxilia, laborantibus Mediolani Cæſarianis, nulla Ventura exiſtimantur. Sunt enim finitimo bello impediti, ducto in Senenſem agrum exercitu, ad comprimendos Borgheſiorum exulum conatus, qui magnis Ballionum, & nonnullorum item Vrſinorum principum copijs nixi, reditum ſibi in patriam moliantur. Alphonſus Aeſtenſis quo Bagnacauallum modo recuperarit audiſſe te arbitror. Iſtinc enim id miſſum eſt. Mediolanum inter & Ticinum quicquid fuit agri conſiti, à Gallis Vaſtatum eſt, completæ foſſæ, æquata omnia, ita Vt ab Vtroque oppido alterius portam conſpici poſſe affirment. Ideo à Gallis conſilio factum arbitror, cum Vt ſi in aciem deſcendendum ſit equitatu, quo maximè Valent, commodius Vtantur: tum Verò ne ſubitis eruptionibus opprimi poſſint. Non enim ignoras, quàm ini quo caſtra fecerint loco inter duo maxima oppida,

oppida, eaq; hoſtium copijs refertiſſima atq; munitiſſima conſcēderunt. Mediolanum fame Vrgeri Veri ſimile eſt, in tanta oppidanorum multitudine, tamq; arcte iā diu obſeſſo oppido, Vt nihil niſi furtim importetur. Conſilia Proſperi, quæ iam ſint, exputare non queo, præſertim cum & Heluetij ex animo res Gallorum iuuare Videantur, nec ſubſidij ſpes Vlla circunceſſò ex Germania oſtendatur, nec re frumentaria Galli tam anguſte, quàm initio nunciatum eſt, Vtantur. Huc accedit quod pacificator Britannus à Gallo paucorum menſium inducias iam poſtulat, quo commodius de compoſitione agatur. Id ego ſic interpretor. Summis difficultatibus, atque rerum Italicarum deſperatione deductum Cæſarem noſtrum, inducias per Britannum tentare. Sed nihil, ſcio, impetrabimus. Nec enim tam ſtulti ſunt Galli, tametſi ſtulti, quin quò iſta ſpectent, aperte intelligant. Vereor etiam ne nos irrideant, qui nos huiuſmodi nugis aliquid profecturos ſperemus. Omnino aut nouis auxilijs opus eſt, iiſq; præſentibus, aut præclara aliqua ſimul quà Ticino, quà Mediolano eruptione. Tertium nihil Video, niſi fœdam, omni conſumpto commeatu, deditionem, aut certe fugam: qua iam ſibi nudius quartus aliquot Proſperi turmas ægre conſuluiſſe audio: nam Rheti & Vindelici,

quos

quos ſecum Barrianus adduxerat, ſenſim di labi dicuntur, & in germaniam reuerti. Barrianus quidem ipſe quaſi ſpe & animo fractus, ſe iam Placentiam recepit, inde Mantuam cum eius ciuitatis principe petiturus. Quæ ſi vera ſunt, non modo meliore loco res Francorum ſunt, ſed noſtræ etiam planè deploratæ ac perditæ. Hadrianus noſter cùm priuatas ad multos, tum ad ampliſſimum collegium literas publice miſit, quibus verecunde dubitanterq; ſcriptis, ad extremum tamē ſignificet, ſuſceptam eſſe à ſe Romani ſacerdotij procurationem, neq; ſibi quicquam fore antiquius, quàm vt primo quoq; tempore ad gerendum Pontificatum in Italiam Romāq; veniat. Oneraria Venetorum triremi vſurus putatur, quam ad Cantabriæ littus neſcio quomodo appulſam, præſidio ſuo inſtruxerit, & vt circumacta Hiſpania ſibi Barcinone præſto eſſet imperarit. Equidem pro mea in eum beneuolentia mallem pedibus veniret, quàm ſe maritimis periculis & iactationib. id ætatis homo obijceret. Per Narbonenſem prouinciam & tutius & honeſtius iter facturus mihi videretur, nec vllam abalienati Franciſco animi ſuſpicionem daturus. Mare quàm à prædonib. Gallis ſit infeſtum, cùm alia ab eis interceptæ naues plurimæ declarant, tum verò duæ illæ maximæ, quarum

altera

altera ſuperiore autumno cum omnibus Valentinæ nobilitatis reliquijs opibusq́; capta eſt: altera nuper, cum principibus Hiſpanis viribus duodecim, qui ad gratulandum Hadriano noſtro in Hiſpaniam proficiſcerentur, qua etiam vehebatur felix ille Iulij Medicis arcanorum conſiliorum omnium ſcriptor: de quo tu quoq; ad me proximè. De Marcilio, incidi nuper in epiſtolam quandam Egnatij noſtri, qua illum raræ probitatis virum appellat: ego verò raræ etiam humanitatis, & ſi ita facere pergat nullius officij hominem ipſum eſſe iudicabo. De elephanti barritu aliquid à te expecto. Vale. Patauij. 7. Id. April.

CHRISTOPH. LONG. Leonardo Pomaro S. 4

Officium meum, quo in te filioq́; tuo commendando ſum vſus, cùm tibi gratum fuiſſe gaudeo, tum etiam alicuius apud Rogerium Barmam ponderis futurum non deſpero: de quo ipſe ſi quid acceperis, velim me ſtatim facias certiorem. Renouabitur enim, ſi quid opus erit, commendatio. Quod petis, vt in eandem rationem ad Franc. Deloinum ſcribam, literas confeci, easq́; cum his ad te mittam. Aliter autem cum eo atq; cum Barma egi: vel quia aliud eſt ad ipſum quæſtu-

nis iudicem, aliud ad eum qui in conſilio ſit, ſcribere: vel quia me apud hunc amore tantum & gratia valere exiſtimem, vt longa illa cauſa explicatione nihil neceſſe ſit, præſertim cum à procuratoribus veſtris de re tota certior factus ſit, atque diligenter eruditus. De reliquo ſic tibi perſuadeas velim, nihil eſſe quod ab induſtria, ſtudio, officio, re deniq; noſtra proficiſci poßit, quod non libenter ad tuendam dignitatem tuam ſim collaturus. Vale: ac animo forti magnoq; fac vt ſis. Patauij. V. Idus Aprilis.

CHRISTOPH. LONG.
Franciſco Deloino S. 5.

NEſcio quàm tu pro noſtra neceßitudine literarum mearum officium deſideres: mihi quidem non modo certa res nulla, ſed ne genus omnino epiſtolarũ aliquod in mentem adhuc venit, quo quidem tecum commode agere potuerim. Scis enim cùm quæ tempora profectionem meam haud ita longo interuallo ſint conſecuta: tum verò quod meum non ſit, inanibus literis amicos colere, eos præſertim, quibus à Rep. non ſatis eſſe ocij exploratum habeant. Quo quidem in numero cùm te vnum ex omnibus eſſe diſtentißimum certo ſcirem, non obliuione tui, neque negligentia mea nullas tibi adhuc miſi literas, ſed

quia nihil planè haberem, de quo ad te hominem occupatiſſimum, tam longe gentium ſcribendum exiſtimarem. Verum de mea erga te obſeruantia dabuntur, ſpero, ea aliquando à me ſigna, quibus facile iudicaturus ſis, tam hic à me tui memoriam ſumma cum beneuolentia cultam eſſe, quàm & ſumma tua dignitas, & ſingularis tuus erga me amor poſtulare videantur. Interim de eo tecũ agam, quod me nunc ad has tibi ſcribendum literas potiſſimum adduxit. Leonardo Pomaro Medico, & Lugduni ſum vſus familiariſſime: & Venetijs, quotieſcunque eò me animi cauſa confero, vtor adhuc non minus familiariter. Is in ſuſpicionem impietatis iſtic neſcio quomodo venit: puto, quod & homo Hiſpanus ſit, & Lugduno ante aliquanto profectus, quàm in id hominum genus, quos Marannos appellant, inquiri cœptum eſſet. Sed hoc, vt in rebus aduerſis, ſi non æquo, forti certè animo tuliſſet: illud autem non grauiſſime ferre non poteſt, quod præter damnatæ ſectæ ignominiam, & in abſentis etiam fortunas quadruplatores iam inuaſerint, & in ſuum caput de filio ſuo acerbiſſime iſtic quæratur. Ac filium quidem, qui in Gallia ſit natus, atque Lugduni ſanctè inſtitutus, tum ipſius probitas atque innocentia, tum verò illa quæ in eius ore elucet Gallica

 libera-

liberalitatis ſimplicitas atque facilitas facile ab iſto crimine vindicabit. De patre verò, quem tibi minime cognitum eſſe reor, ſic tibi velim me autore perſuadeas, virum eſſe planè bonum illum & doctum, & ab illa cuius nunc inſimuletur, ſuperſtitione longe alieniſſimum. Scio equidem non eſſe prudentis affirmare de voluntate alterius: ſed ſi tamen ex vultu, ex oculis, ex ſermone, breuiter ſi ex longo vſu & conſuetudine penè quotidiana cuiuſquam ſenſus & mens perſpici poteſt, auſim tibi recipere nihil minus in Pomarum cadere, quàm vanam iſtam, propter quam nũc in periculũ vocatur, ſuperſtitionem. Quanquam niſi me fallit opinio, non tam vlla læſa religionis ſuſpicione periclitatur, quàm quod magnam pecuniam Lugduni habere exiſtimatur. Noſti etiam tu, quæ ſit & horum temporum ratio, & quàm impium hodie iſtic & graue crimen, Hiſpanum eſſe atque locupletem. Sed non faciam, vt te aut iſtorum improbitatis accuratius admoneam, qui religionis nomine ad quæſtũ ſuum ſceleratiſſime abutuntur: aut quàm ab hominis Chriſtiani officio ſit alienum, doceam, eos impietatis, non dico damnare, ſed omnino inſimulare, qui ſe Chriſtianos eſſe homines aperte profiteantur. Tantùm à te peto, vt ſi vllam in me fidem eſſe putas, tantùm huic meo teſt

monio tribuas, quantum de his alicui, qui in Pomari perniciem vel ſtultitia, vel cupiditate aliqua occæcatus incumbat: ſic enim certè de ipſo exiſtimo, ut de viro optimo, atq; religionis noſtræ ſtudioſiſſimo. Tum verò illud poſtulo, ut ſalua exiſtimatione atque religione tua, quibuſcunq; rebus poteris præſentem filium & abſentem patrem iuuare, ijs omnibus eos mea cauſa diligenter complectare atque tueare. Nec enim dubito quin vel tu iſti quæſtioni ipſe interſis, vel multos eorum ex quib. iſtud cogitur, familiaritate atq; amicitia coniunctos habeas. Caput commendationis meæ hoc eſt, ut vel iudicio & beneficio tuo, vel etiam gratia & autoritate tua, qua te in iſto ordine valere plurimum ſcio, enitare, contendas, ut Pomari nobis ſalui atq; incolumes præſtentur. Quod ſi feceris, cùm eos viros optimos atq; gratiſſimos cognoſces, tum verò me ipſum ſingulari beneficio afficies, qui hac de re tam laboro, quàm qui vehementiſſime. Hoc ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo. De me autem, valeo dei benignitate, ut cùm maximè. Verſor autem ſumma cum voluptate in ijs ſtudijs, quibus ego nec ſuauius quicquam nec honeſtius vnquam eſſe duxi. Vale. Patauij. X. Id. April.

CHRISTOPH. LONGO. Octauiano Grimoaldo S. 6

ERgo non fugam Barrianus meditabatur, ſed ſtratagema illud fuit, quo deceptis noctu hoſtibus ſecum Proſpero cõmodius coniungeret: ego verò quid ea coniunctio illis profutura ſit non diſpicio. Nam ſi dimicandum eſt, Gallos à tergo & fronte ancipiti prælio deſtineri fuit ſatius: ſin bellum ducendũ, Ticino eis omnia infeſtiora reddi potuerunt. Sanè ne illud quidem mihi probatur, quod ipſe cuius maximè peteretur caput, rebus adhuc dubijs vel aduerſis potius, tanto periculo ſe in tantùm periculum conieceris. Aut Gallos planè cæcos eſſe fateamur neceſſe eſt, aut omnes eos daturos operam, vt ne is è manib. elabatur, quo aut in poteſtatem redacto, aut caſo, belli finem ſibi ſtatim fore non dubitant. Quare non modo omnes præſidiorum ſuorum exitus poſthac diligentius cuſtodient, ſed maiorib. etiam, ſi res coget animis depugnabunt. Neque tamen, ſi ſapient, in aciem deſcenderint, non quia Mars ſit communis, ſed quod aſſidendo incruentam victoriam conſequi poſſunt: niſi fortaſſe eorum caſtra ad extremum oppugnaturi ſumus: quod ipſum à Proſpero minimè commiſſum iri certo ſcio. Sed ſi Galli eo quo dixi conſilio pugnam detrectabunt, qui omnē

omni tum copiarum, tum opum genere hoſtibus longe præſtant, quid imperatoris noſtri prudentiæ relinqueretur loci? Non tantum, inquies, in Gallos homines cadit, vel conſilij, vel conſtantiæ. Si ita eſt, ſummis vtrinq; pugnabitur odijs, idq; inter Heluetios & Germanos, qui de virtute ſua hoc prælio decretum iri arbitrantur. Quem porrò ſit acies habitura exitum dici non poteſt: ſed tamen niſi quis Panicus exiſtat caſus magno victoribus, ſtabit victoria. Nam Hetruſci belli rationem ab eius, quæ hic inſtat, pugnæ euentu totam pendere video. Ego certe animi vehementer pendeo, nec quid ad te ſcribam magnopere iam reperio, niſi hic vituperari Hiſpanos in Vigeuanæ arcis deditione, quod cum Italis commilitonibus ſuis non minus ac ſibi conſulere potuiſſent, irati hoſtis arbitrio eos reliquerint: nam de Alexandria à Gallis recepta, hic iampridem audieramus. Vale.

CHRISTOPH. LONG. Steph. Saulio S. 7

FRanciſcum Denarium Corcyrenſem, cuius miniſterio in rebus domeſticis biennium ferè ſum vſus, tibi vnice commendo. Dimiſi autem illum a me, non quo mihi non ſatisfaceret operis ſuis (ſatisfecit enim cu-

mulate & fide, & beneuolentia, & modeſtia, & probitate) ſed quod in animo ſibi eſſe diceret, Romam hoc tempore viſere, & dum per ætatem liceret, multorum hominum mores noſſe, & vrbes: quam quidem in opinionem, quocunq; ille modo nunc venerit, eſt tamen a nobis in hoc conatu adiuuandus. Quare per mihi gratum erit, ſi curaris, vt apud virum aliquem grauem & honeſtum iſtic ei eſſe liceat. Quod vt velis, te etiam atq; etiam rogo. Nunc venio ad tuas literas, quas hic duabus deinceps epiſtolis accepi. In earum priore paululum me recreaſti, qui ſpem reditus tui nobis aliquam attuleris, obſcure tu quidem illud, ſed (vt opinor) non temere. Itaq; quod me iſtò vocas, idq; mihi das conſilij, quod rationibus noſtris ſit omnino accommodatius, quàm tuis, agnoſco tuum in me amorem: ſed nihil mihi ſcito vſu atq; conſuetudine tua eſſe iucundius, vt ne ſi iſtic quidem Pontifex ſit Maximus, apud eum malim viuere, quàm hic prudentia & ſuauitate tua aliquando perfrui. Quare ſi tu Patauium venturus es, nulla me hinc profectò ratio adduxerit. Sin minus, cùm Hadrianus noſter in Italiam aduentarit, tum aut tecum de eo quod ſcribis, per literas deliberabimus, aut conſilium tibi noſtrum ſtatim expediemus. Interea quod prouidendum mihi cenſes, ne

nimium

nimium opera in rem minime neceſſariam conferam, atq; doctrinæ ſtudio abſtrahar à rebus agendis: ego vero neque ingenuarum artium tam ſum ſtudioſus, vt eo quidem nomine adhuc vituperari à quoquam recte poßim: neq; vllam ſane hodie magnopere video actionem, quæ literarum noſtrarum vſui, delectationi, honeſtati ſit anteponenda: niſi tu fortaſſe in ea es ſententia, vt principib. iſtis ſeruire, ſit hodie Remp. gerere, atq; adminiſtrare. Sed hoc quoq; ipſum aliàs. Literas, quas Genua proficiſcens, mihi abs te ſcriptas ais, nihildum accepi. Briſſo mecum erat, cùm ſuperiores tuæ mihi ſunt Patauij reddita. Is cùm mihi de te alia multa, tum illud etiam, vt domum tuam & rem familiarem ſibi patere voluiſſes: quod ipſum, etſi ab iſta ſingulari tua liberalitate non erat alienum, fuit mihi tamen auditu iucundißimum. Scripturum eum ex Mutinenſi, quemadmodum tibi pollicitus eſt, cõfido. nam mihi quoq; ex literis tuis à me appellatus, id ſe facturum recepit. De Hadriani ad Collegium amplißimum, & S. P. Q. Romanum literarum exemplis valde te amamus. Reſpondi priori, venio ad alteram: in qua illud etiam mihi fuit gratißimum, quod ex conſilio noſtro omnia prius à te acta eſſent, quàm literæ meæ tibi venirent. Ex eo enim iudicaui quàm cõſentientibus eſſemus

inter nos ſenſibus, qui quod ipſe hic cogitarem, tu tam lõge à nobis gentium eodem tempore faceres. Nam quod Bẽdinelli fratris tui iniuriam legibus & iudicio perſequi ſtatuiſti, laudo equidem pietatem tuam, ſed temporis in eo opportunitatem vehementer deſidero: vereor enim mi Stephane chariſſime, ne cùm in ſumma inimicorum tuorum potentia, tum iſta gladiorum licentia, tibi non ſatis tutum ſit inermem contra armatos contendere. Memento te eſſe Romæ, & quod me maxime commouet, in Vrbe, quæ non ſolum ſine imperio ipſa hodie ſit, ſed magnis aduerſariorum tuorum opibus etiam nunc teneatur. Sed quoniam eò res iam à te deducta eſt, vt honeſte pedem referre non queas, etiam atque etiam diligenter videto, quantum vnicuique vel tuorum committendum ſit. Quin aduentu Pont. Maximi omnia iſtic tutiora ſint futura, & tibi etiam æquiora, non equidem dubito: ſed vt eo vſque ſaluum te & incolumem nobis conſerues, cùm tua cautionis eſt & prudentiæ, tum verò diuinæ opinor cuiuſdam prouidentiæ. Proinde quanti nos facis, vel te à nobis fieri non ignoras, tantum (quæſo) fac in te cuſtodiendo conſilij & diligentiæ adhibeas. Satis maturàm & vberem pietatis tuæ fructum tuleris, ſi ſaluti tuæ his temporibus conſulueris. Hector noſter mandata

data ad me tua nulla adhuc pertulit, literas tantum Venetijs reddidit. Ex eius ſermone ſcribam ad te accuratius, ſi quid modo erit huiuſmodi, quod literis recte committi poſſit. Vale. Patauij. III. Id. Mai.

CHRISTOPH. LONG. M. Ant. Flaminio S. 8

HEctorem noſtrum, qui mihi literas tuas attulit, per ocium nondum conueni: eo conuento alteras ad te dabo. Interim ain'tu periculum eſſe, ne Lælio noſtro non modo equeſter cenſus, ſed etiam equus adimatur? Atqui cenſus in eum ordinem à Leonte noſtro lectus eſt, & ſtatim ab eius morte, turmæ, vt audio, præfectus. Sanè nudiuſdecimus ab eo mihi ſunt redditæ literæ, quibus non modo tale quiddam mihi viſus eſt nihil metuere, ſed altos etiam illos decurionis ſpiritus gerere. Sic enim ceſſationem ſuam mihi excuſat, vt me, quod de ea apud Marianum Caſtellanum per literas queri leuiter ſum auſus, etiam acerbiſſime accuſet. Sed hoc nobis humaniter ferendum eſt: illud autem quod de Alexandrino adſcripſiſti equite, minime diſſimulandum. Hominem nobis tam amicum, tam probum, tam doctum, ſpirantem adhuc & viuum à ſcelerato iſto Chiromante

mante domi ſua defoſſum eſſe. Hoc Lælius videt, nec cum vniuerſo equitatu ſubuenit equiti præſertim Romano? nam de agreſti illa, in quam ſeſe abſtruſurum eſſe Furnius Molſa affirmaret. ſpelūca, factus ſum à Briſſone noſtro certior. Ac de Furnio quidem non valde ſum miratus: vult enim Furniam ſuā imitari, quam ſeſe in recentem iſtum Luparum Furnum iam abdidiſſe, intelligo. Briſſonem ipſum ſum miratus eò inſaniæ perduci potuiſſe, vt ab iſta hominum luce in ſolitudinem & tenebras confugeret. Equidem vereor ne tu quoque quaſi fatali quodam malo eòdem prolabare, qui à grammatiſtis iſtis tam contumelioſe ſis acceptus, vt ne inter poëtas quidem tibi iam quicquam relictum ſit loci, qui etiam in diſertorum fueras numero, & vtriuſque generis hominum exiſtimator habebare acerrimus. Sed iſtuc tua culpa eſt, qui Academicorum tuorum inſtitutum oblitus, auſus ſis aliquid de me certius affirmare, non modo quàm res ipſa, ſed iſtorum etiam aures paterentur. An neſcis ab Eraſmo noſtro laudatos eſſe Scarabæos & Crabrones? eoſdem à nobis perpetua oratione vituperatos? Quid igitur tibi venit in mentem, vt me illi non modo & comparares & æquares, ſed etiam aſſeuerāter anteponeres? Ergo aut tibi ſolum vertendum eſt, ne apud iſtos indo-

ctius

ctus habeare, qui cum ignorantiæ profeſſoribus iamdudum verſeris: aut ex Academiæ ipſius diſciplina commutes orationem, oſtendasq́ me Eraſmo non modo non ante ferendum, ſed ne conferendum omnino. Quod ſi feceris, cum tu voluntates eorum facile recuperaris, tum verò me magna inuidia etiam liberaris. Sed hæc hactenus iocati. Franciſcum Deuarium Corcyrenſem, qui has tibi reddidit, velim à me etiam atq; etiam commẽdatum habeas. Nam cùm mihi miniſterio ſuo cumulate ſatisfecit: tum ea eſt probitate, & fide, et pudore, vt tametſi ipſum in ſtudijs meis minime accommodatum eſſe intelligam, tamen inuitus eum à me dimittam. Caput commendationis meæ hoc eſt, vt tantiſper eum ſuſcipiatis & tueamini, dũ aliquid in quo ſpes ſit, iſtic nanciſcamini: quod ipſum nec lõgum, nec difficile fore ſpero. Hoc te tam rogo, quàm quod vehementiſſime. Vix enim credas quantopere laborem, vt mea commendatione, tuo ſtudio, Saulij noſtri vel officio, vel beneficio rebus ſuis non male conſultum ſi probus adoleſcens intelligat. Si fuiſſet ad literas noſtras vel ætate, vel natura aptior profecto non tam facile à nobis diſceſſiſſet. Reliqua enim indoles eius ita mihi probatur, vt nihil ſuprà. Vale & communes amicos à me ſaluere iube. Patauij. III. Maij.

His

His ſcriptis, necdum datis, accepi à Mariano literas, ex quibus cognoui quid Molſæ noſtro iſtic accidiſſet. O caſum acerbum. Ait ille quidem à medicis hominem nondum eſſe deploratum, quanquam ad ſeptum tranſuerſum vulnus pertineat. Verum me ſolicitum habet continens iſta febris, quæ niſi cito diſſoluitur. Sed non queo plura præ dolore ſcribere. Tantum à te peto, vt quicunq; erit exitus, de eo me quàm primum facias certiorem.

CHRISTOPH. LONG. Lælio Maximo S. 9

NAe tu homo mirus es, qui cùm in epiſtola tua initio aperte poſueris, nulla dicendi vi taciturnitatem poſſe purgari tuam, idem tamen ſtatim te mihi de ea ſic excuſare conere, vt me etiam perpetua oratione grauiſſime accuſes, quòd literas à me tuas deſiderari Mariano ſignificaſſem. Quid quæris? minime miratus ſum me tam longo temporum locorumq́ interuallo, ex animo effluxiſſe tuo, qui ne in breui quidem ſcripto tuo memoria ſatis valere viderere. Atque hoc ipſum eſt, inquies, quare te inhumanitatis & temeritatis accuſem, qui mecum ſic agas. At quid potius agam, ſi nunquam niſi laceſſitus ſcribis, & eo modo ſcribis, vt cauſam tecum expoſtulandi mihi ſemper afferas? Vide igitur

BIBLIOTECA UNIV. SEVILLA

tur Vtrum ſateri malis, μνημοσύνης ἁμάρτημα, an militaris inſolentia ferociam: omnino enim plaga ibi accipienda eſt. Sed illa lenior ignauis, inquies: nam hæc honeſtior ἀνδρὶ δειλῷ κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιῶτας. Vtrum Voles: modo culpam agnoſcas, & poſt hac Verba mea ſimplicius interpretere. Extra iocum mi Lale chariſſime, nunquam te mei oblitum exiſtimaui, non ſanè magis quàm, Vt ſcribis, tui. Scio enim qãnti me faciaſ, quamq́; ſis in tuendis amicitijs & firmus & conſtans. Neque Vero ego, cùm ad Marianum ſcripſi Verendùm mihi eſſe, ne tibi planè excidiſſem, qui ipſo anno nihil ſcripſiſſe, aliud Volui atque te leniter purgere, Vt literas quoquomodo elicerem tuas, In quibus etſi me aſperrime obiurgatum eſſe à te Voluiſti, fuit ea tamen mihi obiurgatio ceſſatione tua non ſolum tolerabilior, Verum etiam planè grata atq; iucundiſsima: præſertim cùm & abundantiam quandam tui erga me amoris oſtenderet, nec te iſtic tam equo meruiſſe, quam optimis atq; elegantiſſimis ſcriptoribus operam dediſſe ſignificaret. Caue enim putes quicquam adhuc nitidius à te profectum, aut mihi certe miſſum eſſe ornatius. Quare cùm excuſationem tuam accipio, tum Verò etiam tibi gratulor, qui tantum in ſtudiis noſtris nauaris

operam

operam tum à te peto ut ad nos homines aman tiſsimos tui interdū ſcribas: ſed illud quàm primum, qui ſit hoc tempore urbis ſtatus, qui po. Romani ſenſus, quæ de Hadriano noſtro expectatio. Quod ſi nihil de Rep. illud quidem certe fac ſciam, qui ſit Auguſti noſtri uultus, unde noua iſthæc in Alexandrinum equitem inceſſerit religio, quid ſodali tuo acciderit Molſæ, ut uoluntarium ſibi conſciſcat exilium. Sed plura impero, quàm ab homine occupato præſtari poſsint: quare ſi non ad omnia, ad eorum aliqua ſaltem reſcribe: & Vale. Patauij. III. Id. Maij.

Scripta, ut uides, perquàm hilare epiſtola, ecce de grauiſsimo, nec opinato Molſæ noſtri caſu fulmē. Omnino uerba mihi deſunt, quibus dolorem meum tibi ſignificem: qui fortaſſe cohibendus eſt. Scio enim tantum te ex eo traxiſſe doloris, quātum uix ulla dies exhaurire poterit. Non igitur committam, ut ad infinitum tuum mœrorem, luctum ipſe meum adiungam. Rogabo modo te, ut quo tua ſponte diligentiſsime facis, in iſto curando uulnere, ſiquidem remedijs locus ullus relictus eſt, ſtudium tuum omne & induſtriam adhibeas. Ego enim ſi quid piæ preces, & abſentis uota ualent ſalutem ei optare non deſino: neque profecto modum faciam, dum tu me de exitu rei certiorem feceris. Vale.

CHRI

CHRISTOPH. LONG. Camillo Theolo S. 10

Maxima ſum ex tuis literis affectus voluptate, non eo ſolum, quod ſuauiſſime atque perhonorifice ſcripta magnam tuæ erga me obſeruantiæ ſignificationem haberent (quanquam id ipſum mihi pro eo ſanè ac debuit, fuit gratiſsimũ) ſed quod ea etiam verborum puritate atque elegantia eſſent belliſsime contexta, vt illam quam de ſtudiorum tuorum curſu præceptam animo habebam opinionem planè confirmarent, atque haud ſcio an etiam vincerent. Omnino mihi non ſolum æqualib tuis, quos quidem norim, præſtare iam videris omnibus: ſed eò quoque ſingulari quadam naturæ indulgentia perueniſſe, quò haud ita multos adoleſcẽtes pari ſtudio atque diligentia aſpiraſſe exploratum habeo. Quare cùm tibi de iſta tui in percipiendis literis ingenij facilitate atque proceſſu gratulor: tum verò te hortor, vt quibus artib. operam tuam omnem adhuc dediſti, in ijs ipſis tibi tamdiu elaborandũ putes, quoad tam vberes atq; maturos ſtudiorum tuorum nobis edas fructus, quàm pulchros atq; ſuaueis literatæ iſtius tuæ puritiæ flores iam protuliſti. Quod ſi feceris, cùm rationibus tuis optime conſulueris, tum verò & ex induſtria

tua magnam aliquando voluptatem ceperis, & nomẽ tuum immortalitati cõmendatum conſecraris. Quod autẽ me ad reditũ amantiſſimis verbis inuitas, facis vt in acerba grauiſſimæ iniuriæ recordatione, ſumma tamen delecter orationis tuæ dulcedine. Ne viuam, ſi quid adhuc hoc in genere ſcriptum legi humanius, vel etiam accuratius. Verum ea eſt, ne forte neſcias, mea cauſa, vt tanta de re nihildum à me conſtitui poſſit. Si quorum tamen voluntatibus aut precibus vnquam in eo ceſſurus ſum faciam vt intelligas, magnum ad id ipſum literas tuas pondus attuliſſe. De reliquo ſic tibi velim perſuadeas, nullũ eſſe, neque officij neq; ſtudij genus, quod quidẽ à me proficiſci, quo non ego ad te ornãdum, extollendum ſim libẽtiſſime vſurus. Tu modo fac, vt in me amãdo perſeueres, & literis tuis nos interdũ appelles. Hoc mihi, hoc tempore, facere nihil potes gratius. Saluta meis verbis fratres tuos, pueros optimos atq; humaniſſimos. Vale. Patauij. Id. Maij.

CHRITOPH. LONG. Steph. Theolo S. II

Legi Camilli tui, pueri humaniſſimi atque optimi, ad me epiſtolam. Vix dici poteſt quantum ex eo perceperim voluptatis.

Equidem ea lecta facere non potui, quin & puero ipſi ſtatim reſcriberem: & tibi, quo potiſſimum autore in recta ſtudia incumberet, etiam gratularer. Scito enim neque ſuauius, neque aptius quicquam, non modo ab iſta ætate, ſed nec à multò quoque adultiore, poſtulandum fuiſſe ijs literis, quas ille ad me nuper dedit. Ne me hoc putes auribus tuis dare. Non vulgare quidem fuit, quod de ingenio eius & induſtria expectaui: ſed vicit tamen opinionem meam, atque ita ſanè vicit, vt iſtas paucorum annorum acceſſiones, non excurrentis alicuius naturæ incrementa, ſed euolantis præclaræ cuiuſdam indolis proceſſus eſſe iudicem. Tu (quæſo) fac, vt in quam ingreſſus eſt diſcendi viam, ab ea ne tranſuerſum quidem vnguem. Habeat Ciceronem ſemper in manibus, hunc legat ex omnibus vnum, hunc amet, hunc admiretur, ab eodem ipſo ſi quid ſcribendum erit aut dicendum, non dubitanter ſumat & mutuetur: ſors enim, vt ille ait, fit ex vſura: reliquos, cùm erit ocium, & iudicium ipſe facere poterit, tum attinget. Interim hunc nũquam de manibus deponat: ex eo quaſi ex puriſſimo quodam atque vberrimo Latini ſermonis fonte, omnem emendate loquendi copioſeq́; dicendi rationẽ hauriat. Afferrem hunc in rationem vulgo non ſatis probatam

plura, niſi tecum agerē, qui ſcias & videas, quàm inquinata ſit & abſurda eorum hodie oratio, qui alio atq; Cicerone ipſo dicēdi ſcibendiue magiſtro ſunt vſi. Illuc igitur redeo. Sic mihi placuerunt Camilli tui literæ, vt gaudium meum ad te continuo per epiſtolam deferendum eſſe duxerim: idq; cùm pro mea in nomen Romanum beneuolentia feci, qui ingenijs veſtris ſupra omnē fidem faueā, tum vero vt eius quam tibi debeo, memoriæ voluntatisq; ſignificationem nonnullam darem: qui me vobis, vt nunc quidem eſt, ratione alia memorem & gratum oſtendere poſſum nulla. Nam Camillum ipſum, ſi quid iſtiuſmodi ætate certi pronunciari poteſt, in eorum certe quàm paucorum refero numerum, quos parentibus lætitiam, ſibi opes & gratiam, poſteris etiam ſuis gloriam aliquando allaturos eſſe ſperem. Quæ res quoniam ad te vel maxime pertinet, qui eum talem tum procrearis, tum liberali tua inſtitutione finxeris: vide ne quid vel de iſta tua diligentia, vel de ſtudiorum eius ratione in hoc ætatis flexu remittatur. Vale, & vxori tuæ Ludouicæ fœminæ primariæ, meis verbis gratulare. Patauij. Id. Maij.

CHRISTOPH. LONG.

Iac. Sadoleto S. 12

Binas

Binas ad te iam dedi literas: alteras perpaucis ante Leōtis noſtri obitum diebus, alteras ſtatim ab eiuſdē interitu. Eas ut acceperis, ſanè vereor. Nihil enim tu adhuc reſcripſiſti, homo cùm cæteris in rebus diligētiſſimus, tū verò in ſcribēdo impiger & officioſiſſimus: ſin autē reſpondiſti, vide cui dederis, ego enim his quinq; menſib. nihil neq; à te, neque de te. Itaq; faciundum putaui, ut eodem exemplo tecum agerem. & hic te, ne me literarum tuarum deſiderio diutius torqueres, rogarem. Nihilo enim meliore etiam nunc loco res noſtræ ſunt, quàm tū erant, cùm ſuperiores tibi mitterem. Spes tantummodo quædam ex Hadriani pontificatu, mihi iniecta eſt. Omnino valiturum apud eum vel commune ciuitatum noſtrarum vinculum, vel quod ipſe cum Philippo Caroli Cæſaris patre in Hiſpania vixerim, non deſpero: ſed ut uſq; dum ille aduētarit, & nobis ad eum ipſum aditus patefactus ſit, ocium noſtrum honeſte tueri poſſimus (quoquo enim adhuc modo poſſumus) tui eſt mi Sadolete tum conſilij, tum etiam auxilij. Verum hoc ex re & commodo tuo. Nam illud à te etiam atque etiam vehementer peto, ut ſi quod futurum certo ſcio, ſingulari iſtius tuæ virtutis doctrinæq; laude Pont. Max. commendatus, in familiaritatem eius aut amicitiam veneris,

 idem

idem me tibi quadam ſtudiorum ſocietate vel opinione potius coniunctum atque neceſſarium eſſe intelligat. Hoc ſi feceris, & me vel iudicij vel beneuolentiæ tuæ teſtimonio apud eum ornaris, faciam vt eius te officij ne vnquam pœniteat: memorem quidem me ſemper, & gratum certe experiere. Vale. Patauij. XVI. Calen. Iun.

CHRISTOPH. LONG.
Mariano Caſtellano S. 13

QVod tibi Lælius Maximus de ſcribendo receperat in eo fidē ſuam liberauit. Dedit enim ad me literas, vberrimas quidem illas & elegantiſſime perſcriptas: ſed in quibus me grauiſſime accuſet, quod de ceſſatione ſua apud te familiarius queri ſim auſus. Hoc eò pertinet, vt tibi poſthac literas meas vni miſſas exiſtimes, præſertim ſi quid ijs huiuſmodi conſignaro, quod homines nobis parum amici in aliam, atque volimus, partem accipere poſſint. Nam ſi iocationibus ad te noſtris, quaſi grauiorib. quibuſdam aculeis Lælij animus ita offenſus eſt, vt ſtomachoſioribus literis ea de re mecum expoſtulandū putarit: quid cæteros cẽſes, quos nec vlla erga me beneuolentia, nec politior vlla

humani

humanitas mihi coniunxit? Sed de his nimis multa, præſertim ad te, qui ſemel tamen à me admonendus fuiſti, ne dum alios ex tuo in me amore metiris, nouas nobis iſtic turbas incautus excites. De Flaminio quod benigne polliceris, reſpondes illi omnino, quam de prolixa tua atq; benefica in ſtudioſos omnes natura ſemper habui, opinioni: ſed nihil eo quod oſtendis etiam nunc eſt opus. Inita eſt enim à nobis ratio, quemadmodũ hic adoleſcẽtem tueamur. In Veſtiario tantum laboramus: in quo ſi adiutus à te fuerit, ocium eius liberalitate tua conſtitutũ eſſe iudicabo. De Panegyricis, res tota tui eſt conſilij. Mea quidem non magnopere intereſt, niſi quod iſtos emendatiores eſſe ſcio ijs, quos deſcribendos curares. Noui librariorum veſtrorũ ſomnolentiã, imperitiã. Sed de hoc, vt dixi, ipſe tu ſtatues, cuius potiſſimum res agitur. P. Bembo mandata tua expoſui: eram enim apud eum cùm literæ tuæ mihi ſunt redditæ. Narrabat is illo ipſo tempore quæ tu extremis tuis literis de acerbiſſimo Molſæ noſtri caſu adſcripſeras. O male factum. Verum ita ſe habent res humanæ, vt hæc nobis neq; inuſitata, neque intolerabilia videri debeant. Ad hos enim fortunæ caſus naſcimur. Quid etiã? Accepi à Camillo Theolo literas, quas is te autore mihi miſerit. Viſa eſt mihi elucere in ijs ſupra

pueri ætatem, quadam ingenij eruditionisq́ forma. Qua quidem de re & cum ipſo, & cum patre eius eo ſtatim egi conſilio, vt alter à me laudatus magis excitaretur ad laudẽ, alter omnem in excolendo filij ingenio adhiberet diligentiam. Vale. Patauij. X V I. Cal. Iun.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 14

VEreris, opinor, nequid mihi literis tuis moleſtia afferas: quam enim ego aliam ceſſationis tuæ cauſam eſſe ſuſpicer? Atqui ego nihil tale veritus ſcribendum ad te putaui, & eum qui has tibi reddidiſſet etiam diligenter commendandum. Peto igitur abs te, vt ipſum tantiſper apud te eſſe velis, dum nauem & tempeſtatem ſit nactus idoneam. Dimittendi à me hominis cauſa nulla planè eſt alia: niſi quod & ipſe vrbem viſere cupiat hoc tempore, nec ego eum ſtudijs meis ſatis accommodatum intelligam: præterea enim ſic fideliter beneuoléque operam ſuam mihi nauauit, vt tametſi ocij noſtri rationibus ſit minime omnium aptus, tamen me non libente diſcedat. Neque id vero ipſum mea cauſa, cui miniſtri deeſſe non poſſunt, ſed quod verear ne rerum omnium ignoratione perditus, planè perdatur miſer adoleſcens

leſcens. Vides ætatem, vides formam. Proſecutus ſum eum viatico ſatis liberali, vberiore quidem certe, quàm facultates meæ paterentur. Habet etiam à me ad Stephanũ Saulium, & M. Anton. Flaminium literas cõmendatitias: veruntamen ſi quos tu Romæ habes amicos, quibus eum recte commendare poſsis, de ipſo velim ad eos diligenter ſcribas: iſtic vero, vt honoris mei cauſa, dum cõſcenderit, ei de habitatione accõmodes, te etiam atque etiam vehementer rogo. De Hieronymo Sauorniano ſi quid habes, fac ſciã. Bembus hic te ad Id. Iun. expectat, ego verò etiam ante eum diem, literas tuas auidiſsime: nec verò te deterreo, quo minus in Gallos iam ſcribas, qui cùm à pecunia tam flagitioſe eſſent imparati, tantos tamen tota Italia tumultus commorint: ſed me magis mouent, qui ab iſta Turcarum claſſe impendent Reip. Chriſtianæ caſus & miſeriæ: quanquam Panones, Germanos, Sarmatas, Sauromatas magnis hac æſtate copijs impetum in Thraciam facturos audio. Certe qui illinc veniũt Pannones, Byzantium ſuum iam numerant. Sed de his abs te doceri malim. Vale. Patauij. XVI. Calenn. Iun.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 15

QVàm perturbato ad me animo ſcripſiſſes, etiam te tacente, vel ex eo facillime collegiſſem, quod nihil de ijs quæ potiſſimum abs te expectabam, mihi miſiſſes. At profecto ea perturbationis iſtius eſt cauſa, quæ vel fortiſſimum quemuis de ſtatu ſuo deijciat. Nos tamen hic ea de re nihil omnino accepimus: contrà potius heri, Adornios noſtros male acceptos & repulſos, ſeſe in citeriorem Galliã trepide agreq́ recepiſſe: nam vel Proſpero vel Piſcariano Genuam cum exercitu proficiſci, ſaluis Gallorum pactionibus non licuit. Sic enim ijs nominatim cautũ audio, vt néue Proſper, néue Piſcarianus, néue eorum exercitus quinq́ paſſuũ milibus Cremona longius diſcedat: quod ipſum à Gallis cum alijs de cauſis exceptũ eſſe ſuſpicor, tum vero ne ſine iuſto exercitu turpiſſime obſeſſi viderentur. Sed quæcunq́ vel his id poſtulandi cauſa fuerit, vel illis eò deſcendendi: certum eſt, ſi quidem vera nunciãt ij, qui illinc veniunt, neque Proſperum, neque Piſcarianum cum omnibus copijs in Liguriã profectos eſſe, & haud ita à Cremona longe, nudius etiam tertius caſtra habuiſſe. Hæc hodie, cras ad ſummum, firmiora ſciemus. Nec enim res tanta diu celari poteſt. Confirmauit mihi nuper iterum P. Bembus, te hic propediem futurum: quod ſi erit, erit id mihi

optatiſſ

optatiſsimum, qui coràm cupiam de rebus communibus tecum commentari. Sin minus, agam per literas accuratius, aut ipſe etiam ad octauum Idus iſtò me conferam. Literas tuas ſimul atque accepi, ſtatim ipſi Panegarolæ reddidi. Rogatus à me nunquid ad te vellet, conſtitutum ſibi eſſe reſpondit tabellarios ſuos tibi hodie mittere. Vale. Patauij. 3. Non. Iun.

CHRIST. LONG. AEGIDIO Viterbienſi Card. S. 16

CVm nuper eſſem apud Petrum Bembum, hominem amplitudinis tuæ ſtudioſiſsimum, lecta eſt mihi, ab eo quædam epiſtola tua, quam paucis à te ſibi miſſam diebus, & tua etiam manu ſuauiſsime atque humaniſsime ſcriptam eſſe diceret. Ea quàm illi iucunda fuerit, tute vel pro veſtra cõſuetudine, vel ex eo etiam quod totam mihi recitãdam ipſe putarit, facile exiſtimare potes. Mihi quidem infimum eius caput quod quidem vnum ad me pertinebat, tanta fuit voluptati, quantam vix vllis verbis hic aperire queam. Tametſi idem nõnihil admirationis attulit, quod aditũ mihi ad cognitionẽ tuam patefactum eſſe etiam munitum ſignificaret, qui me tibi ne nomine quidem, adhuc notum

tum eſſe arbitrarer. Sed tamen voluptas ipſa incredibilis fuit, cum me tanti abs te fieri perſpicerem, vt me tuis verbis, tanti viri ore, per quàm amice & honorifice ſalutatum eſſe velles. Scio equidem nihil eſſe in me eiuſmodi, quod te iſta doctrina atq; dignitate virũ, ad amicitiam expetendam meam adducere debuerit: ſed tamen facere non poſſum, quin iſto tuo vel beneuolentiæ, vel iudicij teſtimonio plurimum delecter: & de eo etiam tibi gratias agam immortales, quod me ad tuorum numerum prius adſcripſeris, quàm id ego aut optare, aut omnino ſperare fuerim auſus. Qua quidem ex re facile quoque intelligo, quàm non ſim facile expectationi de me tuæ reſponſurus: cui tamen, vti ſpero, ſatis à nobis quoquo fiet modo, ſi vel perpetua grati animi memoria, vel vllo ſtudiorum noſtrorũ fructu, teſtimonij tui laudem ſuſtinere atque tueri potero. Sic enim velim tibi perſuadeas, ita me tuis literis animatum eſſe, vt iam ſim cùm ocium noſtrum, quod minimè fieri poſſe videbatur, complexurus multo ardentius: tum verò te eo habiturus, & obſeruantiæ, & ſanctitatis loco, quo is apud me debeat eſſe vir, quem & mihi amiciſſimum, & in ampliſſimo ciuitatis noſtræ gradu, ſingulari quadam & eximia tum optimarũ artium atq; virtutum commendatione, tum verò etiam

diuina

diuinæ cuiuſdam eloquẽtiæ laude florentem, collocatum eſſe non ignorem. Extremum illud erit: quod equidem non adſcriberem, niſi & grauiſsimos viros idem rogare atq; rogari ſolitos eſſe ſcirem, & ipſe parum his confiderem artibus, quibus me tibi commendatum eſſe ſuſpicor: ſentio enim quàm parum ab iis ſim vel ornatus, vel inſtructus. Peto igitur abs te, vt quando me tua ſponte in fidem atq; amicitiam recepiſti tuam ſi minus ſtudioſa noſtra vita gratia, conſtantia quidem planè tua cauſa, in iſta ad me amandum animi inductione atque voluntate perſeueres. Ego enim ne quod ſtudium aut officium in colenda amplitudine tua, meum vnquam requiratur, perficiam: opera quidem certè, vt ne quis id vllo tempore iure deſideret, à me dabitur, eaq; optima atq; perpetua. Vale. Patauij 4. Calend. Iun.

CHRISTOPH. LONG.

Nicolao Draconi S. 17

ETſi de tua erga me beneuolentia minimè dubitabam, qui quàm cùm cæteris in rebus omnib. tum verò in tuendis amicitiis conſtans eſſes & firmus, exploratum haberem: tamen ſcito mihi literas tuas, ex ea etiã parte fuiſſe iucundiſsimas, quatenus me de perpe-

perpetuo iſto tuo in me amore certiorem faciundum putaſti. Nam quod ſcribis te, Vetere illo depulſo morbo, ac priſtina planè recuperata Valetudine, cum manſuetioribus muſis rationem habere, & in literis totum prorſus Viuere cœpiſſe: id Verò ipſum huiuſmodi eſt, Vt ſi quis politiori humanitati faueat, ab eo tibi Vere gratulandum exiſtimem. ego quidem certè eo maximè nomine & gaudeo, & Vt tibi iſta, tum Valetudine, tum ocij ſuauitate in perpetuum frui liceat, mirifice cupio atque Vehementer exopto. Nec enim mihi dubium eſt, quin ſi id contingat, eos ſis aliquando editurus, ingenij & induſtriæ tuæ fructus, qui & nobis, qui te facimus plurimi, Voluptatem afferant maximam, & tibi etiam ipſi gloriam pariant ſempiternam. Sed de mea erga te Voluntate, neq; mihi hic ſcribendum puto, & ſi quid de ea Vnquam ſignificare Velim, eris tu mihi imitandus. qui arrepto ex Fuluij literis teſtificandi amoris tui loco, non prius Verbis quàm re ipſa declararis, quàm tibi res meæ eſſent curæ, idq; cum à me ne leuiſſime quidem fuiſſes admonitus. Sic enim Velim tibi perſuadeas, nihil abs te potuiſſe hoc quidem tempore proficiſci ad me gratius ijs, quæ de Vincentio Variano tua ſponte tam diligenter curaſti. Omnino enim aliquis iſta Virtutis & ingenij indole mihi opus eſt, id eſt

ſi, qui

ri, qui tum meis, tum ſuis pariter ſtudijs bene conſultum velit, & proſpicere poſsit. Nodus hac in re vnus occurrit, neq; is ſanè facilis, quod diſcipulum iſte ſe apud me fore, non miniſtrum arbitratur. Cum ea, vt noſti, mea ſit ratio, vt ludus mihi nunc aperiendus non ſit, ſed vno eiuſmodi aliquo opus qui operas ea mihi cõditione locet & praſtet ſuas, qua te cum Fuluius & Cãdidus hic vixerũt: tametſi multo minus negocij apud me habiturus iste ſit, quàm illi tecum ſuſtinuerunt. Primum enim ſcis, quàm ipſe raro in publicum prodeam, & ſi quando domo exeam, vt nunquam pediſſequo, ſemper vtar aut comite aliquo, aut ipſe etiam ſolus vrbem obeam. Deinde ſi quod eſt domi ſordidius miniſteriũ, ſuis id operis curatur. Lectus modo vnus ei ſternendus eſt: præterea nihil, quod eum à ſtudijs abducat aut pudeat. Quanquam ne hoc omnino ſeruile iudico, tantùm ocij tam parua opera, eaq; liberis hominib. hodie vſitatiſſima, & pleriſq; etiam optatiſsima, redimere atque comparare. Ita ſi Vincentius tuus, quem tu mihi & honeſto admodum loco natum, & fortuna eſſe ſcribis optima, eo eſt animo, vt literarũ cauſa eò deſceſſurus ſit, facies me quã primũ certiorem, vt Franciſcum à me dimittam, & eius rationib. quoquomodo conſulã: ſin tanti literas & artes nõ facit noſtras.

ſtras, curato mihi alium: cui ſi affuerint cætera, quibus iſtum ornatiſſimum eſſe prædicas, non magnopere deſideraturus ſum in eo, neq; generis notabilitatem, neq; vllum ſanè fortunæ ſplendorem. Habeat modo tantùm pecuniæ, quantum ad librorum ſumptus, & veſtiarium tuendū ſatis ſit, reliqua à me ſuppeditabuntur abunde omnia. Quinetiam illud nobis in primis erit curæ, non modo vt tēporis ei ſatis ſit, quo ad magiſtros eat: ſed vt in hanc quoq; noſtrā diſcendi rationem atq; conſuetudinem ingreſſus, me ſibi & hortatorem ſemper, & ſi res poſtulabit, etiam interdum doctorem domi eſſe ſciat atque intelligat. Quid quæris? ita à me tractabitur, vt dempta cubiculi mei cura, nec à parēte liberalius quicquā, nec à magiſtro ſanctius cuiuis hoc in genere poſtulandum ſit, aut etiam expectandum. Habes ferè quaſi adumbratam & informatam eius qui mecū victurus eſt, vitæ rationem. In quo illud tu etiam atque etiam videto mi Draco, tanta cura dignus is vt ſit, quem ad me ea ſpe miſſurus es: ne, ſi fortè minus aut ille mihi vtilis, aut ego ei accommodatus, vtrunq; noſtrum tandem pœniteat: te tui iudicij, qui talem delegeris, me meæ fortunæ, qui neminem reperiam, quem meo ſtudio meiſq; offi ijs libenter complecti debeam. De Steph. Saulio quod quæris eſt is

Romæ

Romæ,eò ſtatim profectus vt Hadrianus noſter Pont. Maximus renunciatus eſt. Rogatus à me per literas, quid tam alieno tempore ad Vrbem properaſſet: reſcripſit nihil ſibi fuiſſe longius, quàm vt ibi eſſet, vbi Bendinelli fratris ſui iniuriam ac mortem aliquãdo vlciſceretur, ſimul & de fructuoſiſſima illius ſacerdotij procuratione, recuperatorio iudicio primo quoque tempore experiretur. Eſt cum eo M. Ant. Flaminius, homo, vt ſcis, nobis cùm perpetua animorum voluntate, tum firma ſtudiorum ſocietate coniunctiſſimus. Ambos à te ſi voles, ſaluere meis literis iubebo. Sed quid quæro veliſne, qui pro veſtra inter vos neceſſitudine, id te non nolle, atque adeò cupere certo ſciam? Sic igitur propediem faciam. Tu verò meis verbis velim ijs ſalutem impertias omnibus plurimam, quoſcunque prædicatione tua nobis iſtic adiunctos & conciliatos eſſe voluiſti. Vale. & ſic te in iſto laudis atq; induſtriæ curſu gere, vt valetudini tuæ in primis ſeruias. Patauij 16. Cal. Iul. Quæ tibi, ſuprà de pueri apud me victuri conditione recepi, præſtabuntur ea quidem bona à me fide omnia, atq; etiam aliquãto quàm ſcripſi, commodius & prolixius. Sed quando ab exiſtimatione mea alienum videtur, vt mihi hac in re à quoquam perſcribatur: eum ad me velim mittas, qui ſe fidei meæ penitus

A com-

commiſſum, atque mihi planè traditum eſſe arbitretur.

CHRISTOPH. LONG.
Petro Michiauello S. 18

CVm ipſius Antonij Francini aduentus mihi per ſe iucundiſſimus fuit, tum hoc iucundior, quòd ex multo & accurato eius ſermone facile cognoui, eam mihi abs te adhuc præſtari memoriam atq; beneuolentiam, quæ ſit ab homine amiciſſimo & longo vſu coniunctiſſimo expectanda. Omnino enim verebar, ne diuturna mea ceſſatione offenſus, alieniore à me eſſes animo: præſertim qui nec in eo quod tibi anno ſuperiore per literas pollicitus eſſem fidem meam liberaſſem. Verum ea, vt noſti, repente inciderunt tempora, quæ mihi non modo iſtuc veniendi, ſed mittendi facultatem omnem prorſus eriperent: quibus ipſis rebus, etſi me tibi ſatis purgatũ eſſe debere arbitrabar, tamen optatiſſimum mihi fuiſſe ſcito & gratiſſimum, quod de tua erga me voluntatis conſtantia atq; perpetuitate, Francinus noſter mihi nunciauit. Nam de me ſic tibi velim perſuadeas, ita à me abſentis tui coli memoriam, non modo vt quicquam de meo in te amore imminutum non ſit, ſed id ipſum quod fuit, etiam longo conſuetudinis tuæ deſiderio ſic auctum atq; incenſum

cenſum, ut nihil hoc tempore, quàm ut te uideam, mihi ſit longius atque antiquius. Perſcriberem hic tibi omnem uitæ ſtudiorumq́ue noſtrorum rationem, niſi eam Francino ea ſanè lege aperuiſſem, ut te eo de genere toto certiorem ipſe faceret. Ex ipſo igitur ſubtilius ſingula: hæc à me ſummatim pauca. Sic dei benignitate ualeo, ut cum maximè: ſic ocio fruor, ut ſuauiſſime: ea denique tum conſcientia ſuſtentor, ut ſi homini Chriſtiano in animo ſint omnia, neque miſer, neque ſanè ſim infelix. Vale. Patauij ſeptimo, Calendas Iulij.

CHRISTOPH. LONG.

Andreæ Nauag. S. 19

CVm ad 15. Calend. Iul. hac potiſſimum de cauſa Venetias ueniſſem, ut ab Rhãnuſio naturalem C. Plinij hiſtoriam auferrem, intellexi nihil ei abs te ea de re adhuc miſſum eſſe. Ego uerò ijſdem, quibus ei Clementem Britannum literis commendaſſes, promiſi tui rationem complexam eſſe arbitrabar: quod ipſum quando non accidit (feſtinanter enim, & eo tempore properante Clemẽte ſcripſiſti, ut mihi mirũ non ſit, te, de eo quod mihi pollicitus eſſes, fugiſſe tũ ſcribere)

fac, ſi me amas, vt ex literis tuis, liber is nobis primo quoq; tempore curetur. Vix enim credas quantam nobis illius inſpiciendi cupiditatem excitaris: ſimul & hoc tempore nactus ſum aliquid ocij, quod libenter in eius generis lectione ſim omnino poſiturus. Narrauit mihi Calceranus noſter, te totum eſſe in literis: quod equidem non ſum miratus, qui ſcirem te iſtò profectum vt ſtudijs tuis fruerere liberius. Quod autem addidit, te etiam ſuauiſsima Baptiſtæ Turriani doctiſsimi hominis conſuetudine vti: iſtuc verò ipſum tibi & gratulor, & penè etiam ſubinuideo. Sed ſi quando in iſta loca venero (quod quidem primo autumno futurum ſpero) faciam vt tu item mihi fortaſſe gratulere. Interim hominem meis verbis vel ſalutare iubeas, atq; ipſe tu valetudinis tuæ rationem in primis habeas. Apud Bembum eſt, vt volumus. Vale. Patauij. 9. Calend. Iul.

CHRISTOPH. LONG.

Laurentio Bertol. S. 20

NVnquam fore putaui, vt aut res de qua ad te ſcriberem, aut etiam verba quibus tecum agerem, mihi deeſſent: præſertim ſi tam longo interuallo literas darem: ſed planè nunc deſunt, nec quid ſcribam, nec quo-

modo ſcribam ſatis occurrit. Equidem etſi ipſe me non ab omni culpa omnino vindico, qui commiſerim, vt qui ſit rerum tuarū ſtatus etiam nunc ignorem, atque ex eo genus ſcribendi nullum reperiam: tamen tuum fuerat, etiā tacente me, de eo ipſo mihi aliquid mittere. Nam de vita mea ratione, tum iſtic, tum Romæ vel ex P. Bembo certior fieri potuiſti: de te verò quem rogarem adhuc habui neminem, præter Verardum fratrem tuū, qui me anno ſuperiore tuis verbis quidem ſalutauit, ſed eo ſanè tempore, cum hinc profecturus, equum iam admitteret. Idem cum nuper feciſſet Antonius Francinus, & nunquid ad te vellem rogaſſet: quanquam quod ſcriberem non habebam, tamen hæc tibi breuiter ſignificanda exiſtimaui. Primum eo me adhuc erga te eſſe animo, quem cum ſingularis tua probitas atque humanitas, tum verò innumerabilia tua in me officia mereantur & poſtulent. Deinde fixum meum manere conſilium, quod tibi Lugduno decedens aperui, cum mihi decretum eſſe dicerem quiduis potius perpeti, quàm à ſperata ſtudiorum meorum laude ante aliquot annos diſcedere. Poſtremo ea me frui, tum corporis valetudine, tum animi tranquillitate, vt ſi nobis res paulò ſit vberior, beati planè & eſſe & numerari poſſimus. Sed hoc fortuna viderit. Tu

ſi poſthac literas meas Voles, elicere, mitte ipſe aliquid Vnde mihi epiſtolæ argumentum naſcatur & ſententia. Ioanni Zenobio, Verardo, fratribus tuis Viris optimis, plurimam Velim à me ſalutem impertias. Vale. Patauij. VI. Calendas Iulij.

CHRISTOPH. LONG. Bapt. Ant. Francino S. 31

SOlueram iſtinc eo, Vt ſcis, animo atque conſilio, Vt ſimul ac Patauium appuliſſem, exararem literarum aliquid cum ad alios nonnullos, tum Vero ad Philippum Strozam, Alexandrum Paccium, Verardum Bertolinum, de quibus nobis multus tum hic, tum iſtic fuiſſet ſermo. Verum cum nihil in mentem Veniret, quod hoc quidem tempore illis à me recte mitteretur: ſuperſedendum putaui, non Vllo quidem ſcribendi labore, qui mihi Vel omnino nullus, Vel certe fuiſſet ſuauiſſimus, ſed inepta potius & odioſa, & à me profecto aliena inanium literarum oſtentatione: præſertim cum tu is eſſes, qui & mea cauſa Velles, & rationem cõſiliorum rerumq́ue mearum omnium, ad eos aliquanto elegantius deferre poſſes, quàm id ego Vllis exequi literis. Si igitur, Vt ſpero facies, hoc eſt eos meis Verbis diligenter ſalutabis: ſimul & ſi noſtra

noſtra audire cupient, dabis operam, vt ne vlla in re literas meas deſiderent. Noſti enim omnem ſtatus mei conditionem. Literas porrò, quas ad Laurentium Bertolinum, & Ioãnem Petrum Machiauellum do, velim primo quoq; tempore eis reddendas cures, niſi tu forte ipſe Florentiam propediem cogitas: id ſi eſt, malim eas abs te accipiant, vt earum ſermonem ipſe oratione tua ſtatim ſubſequare. Sic enim ad eos ſcribo, quaſi ex te plenius omnia cognituri ſint, quæ literis meis leuiter attingenda exiſtimaui. Sed hoc commodo tuo. Illud te etiam atq; etiam vehementer rogo, vt cum illis veneris, mandata noſtra tibi curæ eſſe velis: ego quidem hic & memoriam tui ſummæ beneuolentiæ tuebor, & literas tuas ea, quam mihi oſtendiſti ſpe expectabo. Vale. Patauij, ad III. Calend. Iun.

CHRISTOPH. LONG. Bernardino Corton. S. 22

CVm nuper Fuluium fratrem tuum vbi eſſes, & quid ageres rogarem, eſſe te quidem ille Foroiulij Carnorum reſpondit: quid vero ageres, id ſe non modo neſcire, ſed nec tuas omnino literas vlla iam pridem ratione elicere potuiſſe. Vereri autem ſe, ne quid ad te delatum eſſet, quo animus tuus ſibi eſſet

offenſior. Tum ego, qui te non ſine cauſa, iſta taciturnitate aduerſus fratrem tuum vti arbitrarer, & ipſum etiam ſibi parum vtilem adhuc fuiſſe ſuſpicarer: vide inquam, ne te hic ita geras, vt merito ille tibi ſuccenſeat. Studium, inquit, in me fortaſſe deſideret, grauius admiſſum nullum reperiet. Quid tu, inquam, an ſceleribus modo putas, & atrocioribus delictis animos bonorum offendi, non etiã ignauia, inertia, luxuria, laſciuia, eorum præſertim qui ſpem aliquam induſtriæ & virtutis nobis aliquando præbuerint? Multa in hãc rationem cum diſputaſſem, ſimul & illud ab eo expreſſiſſem, auerſam eſſe à ſe ciſtellam quandam tuam cum aliquot ſudariolis: etſi rem leuiorem eſſe iudicabam, tamen grauiſſime eum corripui: perfeciq; vt ille lachrymas vix tenens, tum iuſtam aduerſus ſe indignationem tuam eſſe fateretur, tũ mihi gratias etiam magnas ageret, quòd admonendi ſui curam ſuſcepiſſem. Quid multa? pollicitus eſt ſe in poteſtate tua futurum, ac iuri ciuili, aut etiam literis (nam dialecticis quidem & phyſicis non admodum delectatur) ex authoritate mea poſthac operam daturum. Vno ſe tantum angi dixit, quemadmodum tibi ſatisfaceret, quem à ſe mirandum in modum abalienatum eſſe dubitaret. Pœnitentia ſatisfeceris, inquã & reliqui tẽporis diligẽtia. Hic

illo

ille cum perturbato vultu obiurgationis tuæ acerbitatem horrere videretur, nec eo à me adduci, vt ad te proficiſceretur, facile poſſet: recepi me curaturum per literas, vt omnem tu prius offenſionẽ deponeres, quam ipſe in cõſpectũ tuum veniret. Quare ſi quid forte propter infirmitatem ætatis minus ab eo ſtudioſe, vel etiam prudẽter factum eſſe videatur: peto abs te, vt vel humanitatis tuæ vel fraternæ neceſſitudinis, vel mea deniq; cauſa, adoleſcentiæ eius ignotum eſſe velis. Magnum tibi ſit, quod ſe reſpexerit, quod ſuperioris vitæ deteſtatus errata, id conſilij cœperit, quod ipſi fructuoſum fore non dubitem, tibi certe gratum eſſe debeat & iucundum. Confirmauit enim mihi ſe in ſtudio ita euigilaturum, vt paucis menſibus tantum ſis ex ſua induſtria percepturus voluptatis, quantum ex acta vita inertia traxeris doloris. Scio equidem tibi hoc nõ facile perſuaderi poſſe, nec item meum eſſe, alienæ voluntatis ac ſententiæ, præſertim adoleſcentis hominis, ſponſorem fieri: ſed tamen ea ipſius fuit, tum oratio, tum etiam aſſeueratio, vt mihi fidem faceret, & eum talem qualem volumus, futurum conſiderem. Quod cùm ita ſit, velim eum quoq; poſthac omni fraterna pietate complectare, id eſt, in hoc bonæ mentis curſu eum ſic adiuuandum cures, vt in tuendis ſtudijs ſuis, neq; fortunæ

iniquitatem, neque cuiuſquam accuſare queat iniuriam aut illiberalitatem. Hoc vt facias, te non tam mea iam aut ipſius, quàm tua planè cauſa rogo. Tua enim maxime omnium intereſt, fratrem tuum, id ætatis, cui nemo non facile concedat, ea indole, de qua optime ſperare liceat, omni potius officio & lenitate ad optimam ſpem excitari, quàm nimia ſeueritate ad nouiſſima conſilia traduci atque detrudi. Sed hæc tu pro tua prudentia conſiderabis melius. Mihi tamen gratiſſimum feceris, ſi, quod nos te ſcribens fore mihi perſuadebam, ei te facilem & exorabilem prabueris: quod vt velis te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Patauij pridie Cal. Iul.

CHRISTOPH. LONG. Nicolao Draconi S. 23

QVid tu iſtic de Varmiano, aut alio quouis ad ſtudiorum noſtrorum rationes apto & idoneo confeceris, neſcio: nam ex literis quas mihi Paulus Sauornianus nuper à te reddidit, incerta adhuc omnia eſſe cognoui. Ego quidem interim hic Fumium tuum, vel noſtrum potius, in hanc ſententiam perduxi vt ad bonam frugem ſibi iam tandem redeundum putaret, ac ſe vobis ſuis indignum aliquando prabere vellet. Viſus eſt.

mihi adoleſcens, neq; in errore eſſe pertinax, neq; ad ea quæ honeſtiora ſunt percipienda, tardus. Certe enim mihi ſtatim pollicitus eſt ſe curaturum, & omnem ſuperioris vitæ inertiam, à ſe abiectam eſſe intelligeremus, atq; ita abiectam, vt nulli ſuorum æqualium neq; ſtudio, neq; labore, neq; aſſiduitate cedere iudicaretur. Sed quoniam huiuſce inductionis animi atq; recentis voluntatis fidem vobis à ſe fieri poſſe deſperaret contendit à me, vt ſibi ad te & ad Bernardinum fratrem ſuum literas de ſe accurate ſcriptas darē: quod ipſum hoc feci libentius, quod eum hac ratione, quæ ad ocium eius tuendum ſunt neceſſaria, facilius conſecuturum viderem: præſertim te autore, qui quantum apud fratres eius valeas, & mea etiam cauſa velis, non dubitem. Sic igitur hominem tibi commendo, vt magis ex animo, iuſtioréve de cauſa poſſim neminem. Peterem hoc à te pluribus verbis & vehemētius, niſi ea eſſet adoleſcentis ipſius tum cauſa, tum pudor, qui te vel ſua ſponte ad rem ſuſcipiendam complectendámque inuitaret. Quin fratrem apud fratres in gratia facile poſiturus ſis, ambiguum non habeo illud tantum bonus adoleſcens reformidat, ne acerbioribus illi verbis ſecum agere velint, quàm fraternæ pietatis vinculum patiatur. Huic tu malo, mi Draco, accommodato ad

eam

eam rationem ſermonis tui lepore, velim in primis medeare, atque ita occurras, vt prius quam congrediantur, omnem iſti ex animo offenſionem depoſuerint, placatosq́ ſe & æquos venienti fratri præbere parati ſint. Sed de Fuluio hactenus. De me vero ſic habeto: nullius me rei expectatione æque ſuſpenſum eſſe hoc tempore, atq; illius de qua inter nos proxime ſcripſimus. Quare, ſi me amas, vel potius quantum me amas, tantum in eam rem incumbe, facq́ vt abs te propediem aliquid ex animi noſtri ſententia confectum eſſe intelligamus. Ego etſi ad vos ex Idibus aut etiam Cal. Septemb. cogito, tum vt vltimam iſtam Venetiæ oram, & Carnorum regionem perluſtrem, tum verò vt eos quos mihi iſtic comparaſti amicos viſam & complectar: velim tamen interim Camillo Colloretano ſalutem diligenter referas, eáque amplißimis verbis à me polliceare omnia, quæ ſint ab homine amicißimo expectanda. Faciam, vt nihil ei temere de me receperis. Vale. Patauij. prid. Calend. Iul.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 24

CVm Ludouico Stephaniano, qui tibi has literas reddidit, nulla mihi quidem in-

terce

tercedit familiaritas aut conſuetudo: ſed ea eſt neceſsitudine atq; amicitia Nicolao Leonico, cuius me cauſa omnia, tum velle tum etiam debere non ignoras coniunctus, vt ſi amicorum communes ſunt etiam amici, mihi non poſsit eſſe non neceſſarius. De hoc ipſo me cum egit accurate Leonicus, ut eum diligenter commendarem: quod facio, téque vehementer etiam atque etiam rogo, vt ſi quid vnquam honoris mei cauſa factum eſſe voluiſti, in ipſius Stephaniani negocio quanti à te fiam declares. Quibus rebus ei poſsis commodare, nec tibi obſcurum eſſe arbitror, qui rationes eius iampridem conſolidaris: & ſi forte dubitas ab ipſo diligenter edocebere. Librum Rodolphi Agricolæ de Inuentione dialectica, quem, vt ſcis, diu ſum oblitus Egnatio mittere, & ipſe aliquando tandem cùm ad eum pertuliſſem, oblitus quoq; ſum iſtinc diſcedens auferre, velim mihi referendum cures. Videtur enim Egnatius noſter, tam in eo remittendo indormire, quàm ego in eo mittendo immemor fui & obliuioſus. Veruntamen ipſius commodo: hoc eſt, ſi eo, vt conſtituerat, & vt ego opinor, iam ſatis eſt vſus. De Rep. mirum in tanta rerum omnium pertur batione ſilentium: quod tamen diuturnum fore non puto. Sed nihil in his malis tam horreo, quàm Turcarum claſſem: quæ cùm in

curſu eſſe dicatur, quò tamen curſum teneat, adhuc ignoratur. Tu ſi quid de Regum noſtrorum inſania vel furore potius habes exploratum, fac, amabo te ſciam. Vale. Patauij. prid. Cal. Iul.

CHRISTOPH. LONG. Franciſco Bellino S. 25

NEſcio quàm tu hodie mei viſendi cupidus fueris, qui, vt me domi in aduentum continerem tuum, heri non difficulter impetraras. Me quidem longa tui expectatione ſuſpenſum acriter torſiſti: ſed non impune feres, neque vllam ſanè maximi hymbris excuſationem accipiam. Quo enim dies ipſe tempeſtatibus extitit fœdior, hoc ſcilicet fuit ad horas multas, ſuauiſſimo ſermone conſumendas aptior & accommodatior. Nunc autem commiſiſti, non modo vt tua, qua quidem delector plurimum, ſed vt Bembi etiam iucundiſſima conſuetudine hoc ocioſo die carerem. Omnino enim ad eum aditurus fui, niſi vt te domi opperirer heri tam diligenter mecum egiſſes. Hoc te ſcire volui cùm vt ne me poſthac aduentus tui expectatione fruſtrere, tum vt ad querelam meam, ſi quid forte poteſt prater nimbos & tonitrua, mediteere. Nolo enim te imparatum & mutum offenderet.

offendere: quanquam ea tua eſt ratio, vt quid cauſæ afferre poſsis, non deſpiciam: niſi hoc fortaſſe ais, tanti tibi ſermones noſtros nõ eſſe, vt pluuio ad me cœlo, ac lutulenta via accedas, qui ſericatis calceis vtare. Atqui per petuis porticibus tectus venire potuiſti, & fuerunt nonnulla nimborum interualla. Sed hæc ex te malo cognoſcere. Tu, ſi commodo tuo potes, fac ſtatim à cœna congrediamur: eſt enim quod te velim.

CHRISTOPH. LONG. Sadoleto Pontifici S. 26

EGo quidem mi Sadolete (ſine me quæſo, quod nec ſtudijs nec amicitia noſtra indignum, paulò tecum familiarius agere, quàm vel ſumma tua autoritas, vel perpetuum meum, de tua ſingulari virtute iudicium patiatur.) Ego igitur mi Sadolete ſic mihi antea perſuaſeram, eſſe te virum omnino cùm omni literarum genere præſtantiſſimum, tum vero incredibili quadam integritate atq; animi conſtantia admirabilẽ: tãta autem te vel humanitate, vel ſuauitate præditum eſſe, planè neſciebam. Sic enim vitam hominũ eſſe arbitrabar, vt si quiſq; grauitate, temperantia, dignitate, doctrina maxime excelleret, ita ſe ad hæc familiaria quidẽ officia minime

minime demitteret. Nunc vero lectis tuis literis, quas tu ad me codē etiam exemplo plurimas & ſuauiſſimas dediſti, ſanè expectationem meam longè ſuperaſti, perfeciſtiq́; vt ipſe à me ſis poſthac etiam valde amandus, non vt antea, laudandus modo & ſuſpiciendus. Nam quod me turbulentiſſimo illo tempore Melliniano, cum incredibili omnium ordinum inuidia iſtic arderem, tuis ſententijs perſæpe ornaſti: quod cauſam noſtram & in Senatu, magno cum tuo periculo, & apud Pont. Maximum, ſumma mea cum laude egiſti: deniq; quod certorum hominum offenſiones, & multitudinis calumnias fortiter ſubieris, nihilq́; tibi vel ſalute, vel dignitate noſtra antiquius eſſe oſtenderis: multum tibi quidem, imò verò tantum ijs nominibus debeo, vt ſi ſubductis rationibus tabulas conferre libeat, ſoluendo ſim nunquam futurus. Verum iſta, vt neq; tuo erga me amori dediſſe, neq; tuendi iudicij tui conſtantiaq́; tuæ cauſa potius, quàm quod id æquum eſſe putares, feciſſe videare: ſunt tibi quidem certe cum P. Bembo, P. Paccio, ac nonnullis item alijs viris clariſſimis communia: quos in innocentia noſtra tuenda pari tecum ſtudio, induſtria, gratia, autoritate contendiſſe non ignoras. At vero quod tu iſta doctrina, dignitate, amplitudine vir, tot priuatis, tot publicis diſten-

tus

tuis negocijs, ad me, ne literis quidem meis ſubinuitatus, ea quæ diſceſſum meum conſecuta ſunt omnia, tam accurate, nec id vna epiſtola, nec aliena manu perſcripſiſti, præſertim cùm id vt ſcirem, tua nullam in partem referret, mea plurimũ intereſſet: in hoc quidẽ ſocium habes neminẽ. Hæc ſcilicet animi tui probitas, hæc facilitas, hæc in hominem exterum & multitudinis inuidia abiectum humanitas, planè tota, quantacunque eſt, quæ certe apud me maxima eſt, tota eſt inquam tua: itáque adeò me tibi deuinxit, vt nulla iam oratione conſequi poſsim, quãti te faciã, quantum tibi debeam, quantũ mihi omnem in partem enitendũ eſſe videã, vt me gratũ memoremq́; ſemper intelligas. Sed hæc ſuo loco, ſuo tempore commodius: nunc venio ad tuas literas, quas hic quatuòr epiſtolis accepi: quanquam id iam ſuperuacaneum in pleriſq; earum videri poſsit: ſed quãdo ita vis, geretur tibi mos, & ſingulis ordine quemadmodum poſtulas, à me reſcribetur. Ad primam, quã ad VI. Id. Septembr. cùm in Britanniam iter haberẽ, dediſti, tibi hoc reſcribo, me vero ea iam inde ab ineunte adoleſcentia fuiſſe mente atque animo, vt ne cui æqualium meorum ingenuarũ artium cognitione concederem: nunc autem ſummo ſtudio conniti, vt me cùm vobis patronis fuiſſe non

B indig-

indignū, tum inſolenti atque ſcelerata iſtorum inſectatione multo indigniſſimum, æqui & iniqui aliquando intelligant. Nam quòd ſtatim à profectione mea, in celeberrimo ampliſſimi collegij conceſſu, ipſo quoq; audiente Pont. Maximo, ita ſunt in me inuecti, vt parum abfuerit, quin omnium propè ſententijs, hoſtis abſens iudicarer: id equidem multorum literis Genuæ primùm, deinde Lugduni cognoueram, plenius autem apud extremos hominum Morinos, atque adeò apud ipſos toto diuiſos orbe Britannos, eadem omnia intellexeram. Quo non enim gentium contumelioſæ illius & peracerbæ actionis fama peruenit? quas non terras vrbanus ille tumultus peruaſit? ipſis nimirum (opinor, vt ſe exteris nationibus aliquid & eſſe, & feciſſe oſtenderent) tum ſuis, tum amicorum literis hoſce rumores diſſipantibus. Profectò meorū plerique vt primum in conſpectum veni, nec oculis ſuis ſatis credere, nec me ſaluum arbitrari: cæteri verò, quod quidem Gallis in more poſitum non eſt, arctius etiam me amplexari: etenim quibus nihil æque præter ſpem accidiſſet, atque vt me incolumen intuerentur. Vt autem à me reditum in Italiam adornari intellectum eſt, non dici poteſt, quibus precibus, quibus promiſſis animum meum ab eo conſilio ad remanendum traducere ſint

conati

conati. Quod poſtquam ſe fruſtra moliri viderunt, ad minas conuerſi, diris atque execrationibus me defigere, qui ſpem ſuam tam crudeliter fallerem: nullo me non ſupplicio dignum iudicare, qui ſciens ac prudens in ipſam inuidiæ flammam me conÿcerem: qui contumaciter ſpretis neceſſariorum propinquorúmque, & optimè de me meritorum hominum precibus, ad inimicorum meorum carnificinam feſtinarem, quam me ſemel euaſiſſe magni miraculi inſtar eſſe ducerent. Sed extremum iſtuc parum ad literas tuas: in quibus quod ais Pont. Max. accuſatoris noſtri actiones ita laudaſſe, vt cauſam meã ſuperiorem diceret: fuit id mihi quidem pro eo ſanè ac debuit, apprimè gratum: verum illud tibi minime aſſentior, illum nominis noſtri delatorem optimo omnia animo feciſſe, atque ſummis virtutibus ornatiſsimum eſſe. Quibus ille vel naturæ vel fortunæ ornamentis ſit præditus, planè neſcio: eſt quidem peſsime, tum de me, tum etiam de ſeipſo meritus, qui contra bonorum omnium voluntatem, præter ius omne ac fas, auſus ſit me abſentem, imò ne in ius vocatum quidem, in magno conuentu, apud principem ipſum, non tam accuſare, quàm probris omnibus impudẽter perfundere. Quod cuiuſmodi ſit, ipſe æquius tu multo dÿudicares, ſi,

Vt es infamia inſolens, eodem loci impuris conuitijs, non magno tanto ſilentio, ſed mirifica etiam quadam conuitiatorum tuorum laude iactarere. Tu optimum illum mihi, tu ornatiſſimum, qui alieni capitis periculo hiſtrionicæ neſcio cuius geſticulationis famam aucupetur? qui Veræ pietatis oblitus, apud ipſos religionis Chriſtianæ principes, in hominem Chriſtianum immaniter debacchetur? qui fœdam illam ciuium ſuorum ſeditionem ſibi concitandam putarit, Vt per hominis noui innocentisq; contumeliam, Vel apertum potius exitium, nomen illuſtraret ſuum? Tantum abeſt, Vt cauſam eius mihi probaris, Vt ne rationem omnino inire poſſim, quemadmodum mihi Pont. Max. & purpuratos iſtos patres excuſem: quos certe nihil minus decuit, quàm iſti in me declamandi poteſtatem facere. Sed dixit perquam appoſite: hoc perinde eſt mi Sadolete, ac ſi tu eum apud me de eo laudares, quòd conuitium mihi egregie feciſſet. Nolim equidem ipſe quenquam odiſſe, nec ſi iuſtis etiam de cauſis odi, alios Velim in ſentētiam meam trahere. Atqui permagni intereſt, purges ne apud me aduerſarios meos, an ornes: quanquam nebulonem iſtum ne excuſari quidem abs te poſſe reor, qui cùm ſub profectionis meæ tempus per communes amicos, ac etiam Regis

Franc.

Franci legatum mecum egiſſet, faciliméque impetraſſet (quis enim me humanior?) vt in gratiam rediremus: continuò tamen à diſceſſu meo, non contentus ijs ſcilicet, quæ in præſentem tota vrbe euomuiſſe, auſus eſt. Sed non faciam vt vulnera mea ſæpius refricem: vlciſcar. Quid dixi? imò hominem amabo, petulantiam eius & perfidiam ſemper auerſabor. Parum tibi è religione Chriſtianus adhuc videor? Sit igitur ſanè per me quidem, quando ita tu vis, nec ipſe mihi immitior quàm ſibi fuit, vel optimus vel ornatiſſimus, nec tā ipſe accuſandus, quàm ſceleſti illius ſubſcriptores inſectandi, quorum conſilijs actus inſanire cœperit. Quòd autem me mones, vt aliquanto maiorem valetudinis meæ, quàm ſtudiorum noſtrorum rationem habeam, agnoſco humanitatem tuam: ſed mehercule non ſum tam ſtudioſus, quàm tu fortaſſe exiſtimas, nec ſalutis meæ tam ſecurus: quin malim hoc ocio diu perfrui, quàm nihil ſtatim neſcire. Nā quod ais prolata defenſione noſtra, non modo cauſam meam omnibus probatā fuiſſe, ſed magni etiam inde me oratoris nomen retuliſſe: ego vero vtrum moleſtius ferre debuerim, neſcio: inimicorū ne vulnus, an potius amicorum remediū. Illa enim in me totius propè Italiæ odia concitata audio: hoc me vobis ri-

diculum præbuiſſe non dubito. Etenim doctis hominibus eam orationem tantopere probari, vt credam, fieri qui poteſt, quæ ne meum quidem iudicium vnquam promereri potuerit? Solari me ſcilicet in tanta calamitate voluiſti, ὁ μόνοις μᾶλλον ἀγωνίαν φῇ, καὶ μυκτῆρα εἶεν τὴν ἀτιμίαν προσεῖναι τῷ ἐπαίνῳ. Quã tamen in ſententiam adduci non poſſum, qui in te non minus fidei & humanitatis, quàm prudentiæ ſemper & conſilij eſſe indicaui. Verum quoquomodo res ſe habet, dabitur à nobis opera, vt & Italorum voluntates recuperemus, & labefactatã ingenij noſtri fidem aliquando recipiamus. Singularem erga me P. Paccij & fidem & animum, vehementem item Bapt. Caſalij in tuenda dignitate noſtra propugnationem, etſi coram perſpexeram, neque de eorum conſtantia quicquã dubitabam: fuit mihi tamen ex literis tuis cognoſcere periucundum, quàm fideliter, quámque honorifice etiam abſentis cauſam defendiſſent. Iſtius patrocinij ne eos vnquam pœniteat diligenter curabimus. Quod me ad extremum hortaris, vt forti animo inimicorum iniurias ſufferam, ſimul & quantum mihi elaborandum ſit videam, vt incredibili, quæ de me excitata eſt, expectationi ſatisfaciam: Ego vero præclare vtrunque mihi facere videor, qui & illos iampridem deuo-

rani

raui, iamq́ concoquere incipio, & ad eam quam de me concitaſtis, ſuſtinendam opinionem me dudum comparaui. Equidem in hoc ſum vno dies ac noctes totus, vt (quod initio tibi ſum teſtatus) tum me vobis patronis fuiſſe non indignum, tum verò capitali illa & famoſa inſectatione multo indigniſſimum, non ſolum hæc hominũ ætas, verum etiam omnis poſteritas intelligat. Iam venio ad epiſtolam, quam prid. Id. Decemb. cùm Mediolani (opinor) eſſem, dediſti: cui quidem tamen quid reſpondeã non ſanè habeo: tantũ enim mihi de meo in Italiam reditu gratularis: ſed ita mehercule, vt humanitatis amorisq́ erga me tui veſtigia nullis quidẽ literis imprimere potueris illuſtriora. Nã cùm nullum meum extet in te officiũ, tua vero in me toti iam Italiæ nota ſint merita, ſic tamen negas quæ in me contuleris conferasq́ beneficia prætermitti abs te ſine ſcelere & ſumma inhumanitatis nota potuiſſe. Hæc ipſa ſunt mi Sadolete chariſſime, quæ me tibi magis quàm illa ipſa beneficia deuinciunt, quæ mihi ſomnum ſubinde excutiunt: nec me vigilare ſine cura, opinor, patientur, quoad præclarũ aliquod grati erga te animi documentũ protulerim. Ad Pont. Maximum ſcribẽdi ſic mihi autor es, vt interim nec qua ratione, nec quatenus cum illo nos agere velis,

praſcribas: atqui id in primis abs te expecta-bum. Veruntamē ſi quēadmodū tu ſcribis, litera illi mea ſilētio gratiores futura ſunt, nō committā vt in eo officium noſtrum diutius à quoquam deſideretur. Nicolaus Tepolus talem ſe nobis hic prabuit, qualē tu mihi illum fore pradixeras. Studioſus eſt & doctus, & homo apprime temperatus: humanitate vero tanta pralitus, quantam ab eius ordinis nemine expectaram. Hac ad alterā epiſtolam. Nam ex tertia proſpexi, quàm vel in ſcribundis ad me literis eſſes officioſus ac diligens, qui ſimul atque tuas mihi nondum redditas eſſe intellexeris, duas illas ſuperiores cum ea quam ad Gul. Budaum dediſſes, eodem mihi exemplo ſtatim curaris. In quo illud quidem peropportune cecidit, quod hac mihi ratione tuam ad Budaum, legendi poteſtas facta ſit: qua ſanè ex re tanta ſum voluptate affectus, vt hoc equidem tēpore nulla potuerim magis. Sed quoniā idem Budaus ad Bembum quoque noſtrum ſcripſit, literáſque eius elicuit, mitto tibi illarum exempla, ſed ea medius fidius lege, vt tu me item Budai ad te epiſtola participem facias. Nam quod Lalium Maximum in mittendis tuis ad me literis negligentia accuſas: ille autem ſtatim vt me Venetias appuliſſe audiuit, officio functus eſt: poſtridie enim quàm tibi

ſcripſer

ſcripſeram, tuas omnes accepi: Vellem idem Lælius ſe mihi tam facile de taciturnitate ſua purgaret, quàm eum tibi hoc nomine excuſem. Addebas Leonti noſtrum ad Vrbem aduentum in expectatione eſſe maxima, frequentemq́ꝫ & perhonorificã atqꝫ amica voluntatis plenã, ab eo de nobis mentionẽ fieri. Id ſi ita eſt, nondum planè abiecti ſumus, ſperamusq́ꝫ iſtorum iniuriam nobis aliquãdo & honori & emolumento fore. Conſedi autẽ hoc potiſsimum loco, quòd & ab Vrbano iſto tumultu ſit alieniſsimus, & eorum mihi librorũ hic fiat poteſtas, ſine quibus inſtituta à nobis opera recte perfici atqꝫ perpoliri non poſsint. Nã quod ſuſpicaris me Bembi noſtri conſuetudine adductum huc migraſſe: Valuit illa quidem ad id plurimũ, ſed magis (mihi crede) locus ipſe, & Nicenæ bibliothecæ quoties libeat excutiendæ facultas. Iam deinceps epiſtolæ quã ad me proxime, id eſt ante XI. Cal. Febr. dediſti, reſpondeo: atque illud equidem primum: Mihi iam non eſſe nouum, me abs te eorum fieri certiorem omnium, quæ tu ad rationes noſtras pertinere arbitraris: deinde mihi gratiſsimum fuiſſe, quod qui tuus eſſet ea de re tota ſenſus, libere aperueris. Ego enim pari liberalitate animi (quod quidem te non nolle oſtendis) quæcunque mihi in mentem veniunt, diligenter perſcri-

bam. Sic enim te rebus meis conſulere certo ſcio, vt ſalutis atque dignitatis noſtræ rationem in primis haberi velis. Atqui hoc in genere vtraque nobis conſtare vt poßit, non planè diſpicio. Nam vt ſit incredibile totius erga me Florentini populi ſtudium, vt præclarum nobiliſsimæ atq; ſapientiſsimæ ciuitatis iuuentutem optimis tum moribus, tum literis inſtituere: deniq; vt ijs conditionibus & præmijs homo tranſalpinus accerſar, quæ ſuperbum ſit homini Italo, vel quamlibet excellēti doctrina prædito repudiare: vide tamē mi Sadolete, ne mea ſit cauſa, vt ego id muneris vel honeſte ſubire, vel etiam ſuſtinere non poßim, qui ius ciuile iam olim profiteri cœperim, in foro Lutetiæ Pariſiorum ita ſim verſatus, vt in centumuirale illud iudicium allegerer, qui nec Pannoniæ regum, nec Galliæ promißis ceſſerim, nec eos quibus nos Leo Pont. Max. ornatos eſſe voluit, honores abijcere poßim: præſertim cùm is ocium noſtrum perhonorifice copioſiſsimeq; adhuc tueatur. Hic tu mihi, ſcio. Iulium Firmicum, Lucianum Syrum, Lactantium Firmianum narrabis, quos conſtat relicto foro atque iudicijs, ad hanc ſe vitæ partem totos contuliſſe. Ego verò etiam ipſum M. T. Ciceronem poſt felicem illam nunquam ſatis laudati conſulatus ſortem, poſt fortiter & integerrimè

admin

adminiſtratam prouinciam, relatumq́; inde imperatoris nomen, & laureatos faſces, quaſi ludum amicis aperuiſſe ſcio: hac etiam ætate docuiſſe literas Hermolaum Barbarum. & Hyeronymum Donatum patricios Venetos non ignoro. Addo illud: multos hoc ſibi inſtituto viam partim ad conſularia inſignia, partim ad conſulatum ipſum muniuiſſe, Senecas, Quintilianos, Auſonios, Floros, Frontonos. Sed ij illis temporibus docuerunt, cùm ea res multum etiam dignitatis afferret: nunc cùm & hæ iaceant artes, ad quas tu me vocas, & mihi populo ſcenæq́; ſeruiendum ſit, & tuenda in primis grauitas: vereor vt familiæ noſtræ honori ſatis à me conſultum homines iudicent, ſi huc deſcendero. Sed contemnamus ſanè vulgi opinionem, ſtatuamusq́; non poſſe cuiquam eſſe turpe id docere, quod ſit multis glorioſum ſcripſiſſe, omnibus honeſtum didiciſſe: etiam ne me obeundo muneri parem fore putas? Ego ſanè, quod me fateri quidem pudet, ſed hic fatear neceſſe eſt, nondum ad eum doctrinæ gradum perueni, vt quiſquam ea in re optima mea opera vti poßit. Magnum eſt, mihi crede, negociũ, & laboris & deſperationis plenum, acerrimo erudita illius ciuitatis iudicio ſatisfacere, cui haud ſcio an Argyropoli, Chalcondyli, Laſcares, Aretini, Politiani, Landi-

ni, Marcelli omnino ſatisfecerint. Auget hãc meam diffidentiam non tam conſcientia mediocritatis noſtræ, quæ tamen ipſa maxima eſt: quàm quod incredibilem expectationem illic eſſe, vel aduentus vel doctrinæ prædicas. Quis enim tantæ opinioni reſpondeat? Ne tu hic illud modò ſpectes, quid de me aut certi homines, docti quidem illi & graues, ſed nimis amantes mei iudicent, aut etiam ipſe tu ſperes: illud potius tibi fac occurrat, quantulum id ſit quod à nobis nunc præſtari poſſe exiſtimes. Præſenti enim & numerata pecunia opus eſt, nō ea quæ annua, bima, trima die cu retur. Verùm fac à nobis vel ſtudio, vel diligẽtia effici poſſe quæcunq; deſideratis: vacuũne etiam periculo conſilium tuum, & me inuidiæ parem fore mihi præſtabis? Scis quanto capitis mei periculo Romæ certatum ſit. Vicimus nos quidem, & iuſte, deus immortalis, vicimus: ſed tamẽ plus offenſionis apud multitudinẽ ipſa victoria contractum eſſe quàm cauſa, non ignoras. Quàm tu me vel fortem, vel prudentem hic eſſe velis, neſcio: equidem ſæuiſsimas inuidiæ tempeſtates excitari iam proſpicio, & imperitorum in me renouari odia. Hominum certè nobis aperte iratorum illa mihi iam audire videor: Vnde nobis ab vltima barbaria nouus Anacharſis iſte? An non ille Italiæ inimicus? Pop. Rom. hoſtis?

Apageſis

Apageſis longum & infelix iſtud lolium. Eorum vero qui nobis obſcurius ſunt iniqui, aut etiam patriæ ſtudioſi, paulò forte mitior fuerit oratio: ſed haud ita diſpar ad diſturbanda conſilia noſtra ratio: Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes? Non adeò neque effœtam, neq; ægram eſſe Italiam, quin ipſa ſibi dicendi magiſtros ſuppeditare poſſit. Non modo ad Hetruriæ populos ſed vniuerſos Italos hanc pertinere, nec omnino diſſimulandā eſſe contumeliam, vt vſq; trans alpeis accerſatur barbarus aliquis, qui Latinas in ipſo Latio literas conſerat. Præclare nimium mecum actum, quod in Romanam ciuitatem veſtra paucorum factione irrumperim: iam non eſſe tolerandum, vt Romanos ipſos Latinas artes atq; literas tanta vnus gloria in Italia doceam. Quid quæris? eo me certè nomine, quaſi ex iure manum conſertum vocabunt: quæſo, quid tum tu? quid ego? qui cùm inueteratæ illa ardeo inuidia, & ſum iſtiuſmodi hominum iniurijs, neſcio quo meo fato opportunus, tum verò meapte natura litium fugiens nec ad ſubitas eorum velitationes ſatis exercitatus. Age verò, vincantur omnes facilè à nobis, vel iuſtis, vel tumultuarijs prælijs: horreo tamen adhuc τρῶας καὶ τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους: ſed aliter profecto atque Hector ille Homericus. Nemo enim iſtorum eſt, quin

ſe de Italia nomine atque dignitate optime mereri arbitraretur, ſi me inde, quando aliter non poſſet, vel veneno vel ferro exturbaret. Vides iniquum pugnæ genus, in quo turpis infamiæ plaga victo accipienda ſit, victori paratum exitium, mortuo etiam miſericordia defutura. Quis enim vel meorum, vicem meam doleat, ſi ſemel facto naufragio, ipſisq́ue multum & diu reclamantibus, eò me iterum demiſero, vnde exitum nullum videam? Quibuſnam igitur, inquies, rebus adductus in Italiam reuertiſti? Primum, vt fidem quam de meo reditu vobis dederam, liberarem: deinde, vt veſtra doctiſſimorum atque optimorum virorum conſuetudine fruerer. Poſtremo quod ad excitanda fouendaq́ue ſtudioſorum hominũ ingenia plurimum conferre ſum arbitratus cæli veſtri clementiam terræ halitum, maris afflatum: atque vt vno verbo complectar omnia, felicem illum ac planè diuinum Italiæ genium ſum ſecutus: qui etſi nobis, hoc eſt tranſalpinis gentibus, ſua ſponte non admodum fauet, exorari tamen ſe nonnunquam patitur, obſeruantiaq́ue noſtra & aſſiduo cultu delinitum non minore nos interdum indulgentia, quàm indigenas ipſos complectitur. Hæc ferè ſunt mi Sadolete, cur vicenis illis quinis in annos ſingulos ſeſtertiorũ nummûm millibus haud ita moueat,

near, & rem totam ad veſtrorum hominum quempiam deferri malim. Quaſi tibi probabuntur, ocio noſtro & inſtitutis à nobis ſtudijs bene conſultum iudicabo: ſin minus, in poteſtate tua tamen ſum futurus. Nec enim is ego ſum, qui conſilium meum anteponi velim tuo, quem toto de me animo, ac ornamentis commodisq; noſtris prudentiſſime cogitare exploratum habeo. Sed fuit tibi gerendus mos, qui cùm multa ſententia tua conuenientia diſputaſſes, quare munus iſtud à me recuſandum eſſe non putares, ad extremum volueris, vt ſi à te in eo diſſentirem, diligenter & continuo reſcriberem: quod quidem à me factum eſt eo etiam die, quo tuæ mihi ſunt redditæ: facturus id tamen ipſum accuratius & per ocium, niſi mihi tuis literis hanc feſtinandi neceſſitatem impoſuiſſes. Quod ſi tu bona fide, tuæ in ſcribendo incuriæ tibi à me ignoſci poſtulaſti, quid me hic tandem facere par eſt, idque ſubito ſcribam? Sed non committam, vt tu me vel ineptum, vel delicias hic facere exiſtimes, præſertim cùm iamdudum epiſtolæ modum exceſſerim: ſi modo hæc vna epiſtola appellanda eſt, qua ad quatuor tuas vberrimas & elegantiſſimas reſpondi, & quàm multà ſi non quàm paucis, haud ita certe multis explicaui. In eo tantùm te admonitum

velim

velim, vt ſiue propter literarum exilitatem, & πεπυκνωμένως compreſſos verſus, ſiue etiam propter manus noſtræ ruditatem, difficilior tibi videbitur harum lectio, cures eas tibi per librarium tuum luculentius deſcribendas: quod quidem inter ſe Budæum & Eraſmum noſtrum factitare audio, quos tu ſi me audies, hoc in genere autores non aſpernabere. Vale. Venetijs. prid. Calend. Ian.

CHRISTOPH. LONG. Bernardino Cortonæ S. 27

INcredibilem cepi ex literis tuis voluptatem, neque eam tamen ex ea potiſſimum parte, quod & honorifica & amoris erga me tui eſſent plena: quanquam id ſanè ipſum quoque mihi fuit gratiſſimum: ſed quod commendatione mea adductus cum fratre tuo in gratiam ſtatim redieris, atque omnes eius in te ſiue iniurias, ſiue ineptias appellare oportet, mihi condonaris. Qua etiam de cauſa maximas tibi, vt debeo, gratias ago: ſimul & vt de ipſo bene ſperare velis, à te poſtulo. Mihi enim ſubuereri videris, ne is rem ad verba non conferat. Depone (quæſo) hanc ſuſpicionem, quæ quid tibi profutura ſit, non video: mihi certè grauis & moleſta eſt, qui te iſta prudentia virum, eo quod nunquam fortaſſe

taſſe futurum eſt, malo, iam laborare ſentiam. Omnino enim aut, quod ſpero, in officio erat, aut (quod deus auertat) ad priſtinos mores redibit. Si quod mihi pollicitus eſt, exitu præſtiterit, gaudebis tu ỽnus ex omnibus ỽel maximè: ſin indulgentia tua abutetur, ſibi totum, nihil tibi peccarit. Deinde etiam illud tibi erit ſolatio, quod in eo ſanando, quæcunq; potuerint adhiberi remedia, ea ipſe tu adhibueris. Et quando medicinæ facta eſt mentio, tu ỽelim eo ſis in fratrem tuum animo, quo clementes medicos erga ægrotos eſſe non ignoras, etiam eos qui ſua culpa in morbum de integro inciderunt. Neque enim corporis humani magis eſſe arbitror ſæpius ægrotare, quàm animi ipſius perſæpe falli, labi, errare. Atqui morbos curare, ỽt alicuius ſit non contemnendæ induſtriæ & artis, nullius eſt tamen ỽirtutis: concedere autem delinquentibus, & ſe tam lenem deprecantibus præbere, quàm placatum ỽitijs noſtris Deum optamus: hoc ỽerò quiddam planè diuinum eſt, id eſt, tuũ, qui quo minus ỽel ætatis ỽel Dei ipſius beneficio iam delinquis, hoc te magis eos miſerari, non odiſſe decet, quos aliquibus animi perturbationibus ỽexatos & occæcatos huc illuc temerè raptari atque ferri ỽideamus. Quare tecùm de Fuluio tuo ſpem etiam

nunc abijcere nolim, tum verò ita poſthac animatum eſſe velim, vt ſi is iterum atque iterum offendat, ei tamen ſæpius ignoſcendum eſſe putes: ego quidem ipſe iterum atque iterum deprecabor, & ſi bene te noui etiam fortaſſe veniam ei impetrabo. Sed de his nimis multa, præſertim ad te, qui ſi fraternæ pietatis vi & ſenſu nihil tangerere, Franciſci quidem Aſsiſiatis viri ſanctiſſimi, cuius te æmulum profiteris, exemplo commouerere, quem quidem omnium mortalium mitiſſimũ fuiſſe, atque leniſſimum omnes prædicant. Quod autem in extrema tua epiſtola ſtudere te oſtẽdis, vt idem frater tuus apud me viuat: de eo ipſo ille mecum prius egit, quàm me authore iſtuc proficiſceretur. Ac tum quidem eam attuli cauſam, quam ipſe mihi viſus eſt facile accipere: nunc verò nihil verebor me tibi indicare, atque illud ſimpliciter fateri, tam longum mihi fuiſſe cum eo conſuetudinis vſum tantam interceſsiſſe familiaritatem, vt nullum mihi in eum, neq; arbitrij ius relictum eſſe intelligam. Huc accedit, quod ea veſtra eſt fortuna, vt nihil ei mecum viuere ſit neceſſe. Mihi autem huiuſmodi aliquo eſt opus, cui cum omnia adſint fratris tui ornamenta, tamen ea deſit facultas, vt ſe hic ſuo ſumptu commode tueri poſsit. Nec enim vllo æque alio ac neceſsitatis vinculo miniſtros in offi-

cio

cio contineri iudico: hoc eſt, ſi illis exploratum ſit ſe ſuis rationibus ſine eo qui cum viuant, rectè non poſſe conſulere. Habes conſilij mei rationem, quam tibi probatum iri confido, ſpero quidem certè: cæteris autem in rebus quibuſcunque tibi commodare potero, faciam vt mihi tua voluntate nihil eſſe cognoſcas antiquius. Fuluio quidem ipſi neque monendo, neque hortando, neque ſi res coget, meo labore etiam ſublocendo, nullo ſum loco defuturus. Vale. Patauij. Decimoſexto Calend. Auguſt.

CHRSITOPH. LONG. Ful. Cortonæ S. 28

EAdem ferè hora accepi hodie abs te, & à Bernardino fratre tuo literas, vt eodem mihi tempore redditas, ſic in eandem omnino, qua de veſtro in gratiam reditu, qua de draconis noſtri abſentia rationem breuiſſime conſcriptas: quorum quidem altero nihil nobis potuit eſſe gratius atque iucundius, altero nihil facilè moleſtius, vt qui rem noſtram iſtiuſmodi abſentia deſperatam, aut certè neglectam iſtic iacere perſpicerem. Quorum vtrum minus velim, non facile dixerim: ſed tamen malo rem nihil facultatis habuiſſe, quàm hominis amici diligentiam in ea deſiderare. Tu eum, quod

te facere oſtendis, rure velim excites, & cum ipſo mandata mea digeras, atque diligenter perſequare. Nam de Camillo Colloretano quod feciſti, ſcito mihi quidem fuiſſe gratiſſimum: ſed illud non minus fore acceptum, ſi cum de Varamiano aut alio quouis confeceris, ita ad nos confirmatus ipſe reuertare, vt eo mihi gratias aliquando Bernardinus agat modo, quod te in veterem ſuam gratiã reſtituerim, quo ſunt illi hodie à me per literas actæ, quod ſe tibi tam facilem atq; placabilem præbuerit. Draconem noſtrum velim ſaluere iubeas, meisq; verbis roges, vt quod initio ſua ſponte ſuſcepit, ac ſanè diligenter viſus eſt gerere negocium, id mea cauſa ad exitũ aliquando tandem perduci velit. Quod ſi vobis nihil iſtic occurrit, quod ex re mea eſſe videatur, facite me quàm primum de eo ipſo certiorem. Hic enim aut Venetijs facile reperturi ſumus, quod nobis ſit vſui futurũ. Equidem mihi iamdudum ipſe nullo negocio proſpexiſſem, niſi rem totam, te authore, Draconi permiſiſſemus. Qua de re ad ipſum quoque ſcribere cum in animo haberem, ac potius iam inſtituiſſem, impeditus ſum verecundia: metui ſcilicet ne me is parum in ſcribendo pudentem iudicaret, ſi crebras eadem de re literas à me acciperet. Tu ſi nihil dum ad nos cogitas, aut etiam ſi propediem cogi-

tas,

tas, fac tamen antequam venias, literæ mihi à te veniant. Vale. Patauij 16. Calend. Auguſt.

CHRISTOPH. LONG.

Nicolao Draconi S. 29

IAm literas tuas deſiderare incipiebam, cum mihi opportune ad 9. Calend. Sextil. epiſtola eſt à te reddita, in qua illud mihi ſanè iucundum fuit, atque haud ſcio an etiam iucundiſsimum, quod te M. Tullij Ciceronis ſtudioſiorem iam factum eſſe cognoui. Certe enim non modò quædam aſperſiſti, quæ mihi eiuſce rei ſignificationem darent minimè obſcuram, ſed etiam genere toto Ciceronianum quiddam mihi viſa eſt redolere. Laudo conſilium, ac ſimul te pro mutuo inter nos amore, ad eius ſcriptoris lectionem etiam atque etiam vehementer cohortor, vel currentem potius incito. Etenim ſi latina lingua non iam domeſtico aut forenſi vllo vſu, ſed tacita quadam mutorum doctorum conſuetudine percipienda eſt: cui nos tandem potius ad diſcendum demus, quàm illi qui omnium ætatum iudicio habitus ſit omnium eruditorum eloquentiſsimus, eloquẽtium eruditiſsimus? Equidem ſic ipſe ſtatuo, primum fieri non poſſe, vt quis cogitata ſua præclare ſatis & ornate latinis verbis complectatur, qui non Ciceronis ſcripta diligenter & attente perlegerit.

legerit. Deinde eum qui illius libros multum & ſtudioſe voluerit, ſi quidem mediocri aliqua ſit prudentia præditus, ea ipſa multis aliquando fore admirabilem: ſin modica vel etiam exigua tinctus, ſic tamen inuenta ſua literis mandaturum, vt in his nihil neq; putidum, neq; ineptum à quoquam deprehendatur. Nec enim ego Ciceronẽ ex ea ſolum parte ſolitus ſum mirari, quod accurata quadam orationis vbertate & copia omneis, qui vnquam vſquam floruèrunt oratores facile ſuperarit: ſed quod ea ſit, tum in excogitando ingenij ſubtilitate, vt nemo acutior, tum in collocandis & diſtribuendis rebus prudentia atq; iudicio, vt nihil ne fingi quidem poſſit cautius atq; omnino aptius. Huc accedit non iam humana illa, ſed planè diuina quædam orationis forma, quæ cum elegantia & dignitate ſit præſtantiſſima, tum vero ea eſt facilitate atq; venuſtate condita, vt quæ grauiſſima ſunt & ornatiſſima, & certis numeris ſtudioſius aſtricta, illaborata tamen & ſimplicia & ſoluta liberius fluere videantur. Hunc tu igitur, quod facis, & admirabere in primis, & quoad eius fieri poterit, etiam imitabere. Vt enim nulla eius laudem conſequare induſtria, magnum tamen id erit & egregium, quod aſſequère, ſi optimo, quamuis magno interuallo, fueris proximus, aut etiam

in tertijs, atque adeo in quartis conſtiteris. Sed aliò delapſus ſum, qui ad literas modo tuas reſcribere in animo haberem. Non potui ſcilicet facere, quin tibi paulò vberius explicarem, quàm mihi in Cicerone perſequendo conſilium probaretur tuum. Ergo ad literas tuas: in quibus quod ais Fuluio nihil authoritate tua fuiſſe opus, idem ille mihi quoque ſcripſit. Qua ex re duplicem cepi voluptatem, & quod tu ea moleſtia caruiſſes (moleſtum enim tibi ſcio futurum fuiſſe, tum in vrbem venire hoc tempore, tum vero magis ab inſtitutis ſtudijs tuis abduci) & quod affines illi tui, ſeſe fratri ſuo æquos & faciles præſtitiſſent. Veruntamen eſt quod tibi gratias nihilominus agam, qui te mea cauſa omnia fuiſſe facturum, & adhuc eſſe, ſi res coget, oſtendas. Fuluium ipſum velim in hac ſtudioſæ vitæ voluntate oratione tua confirmes, confirmatum & viatico inſtructum ad nos primo quoq; tempore remittas. Nam tu quidem, ſi ſapis, ex iſtis locis migrabis nũquam, qui eam iſtic degas vitam, præ qua meum mihi iam ingratum ſit ocium: de quo tamen vix credas, quàm ipſe me beatum aliquando exiſtimarim. Auium concentu è lectulo ad literas mane excitari: à libris circum florida prata, circum amœniſſimos colles oberrare: ab ambulatione, conuiuis iſtiuſmodi &

ſermonibus perfrui, dum calor ſe frangat, aut in opaca ſuauiter vmbra meridiari, aut altiore in loco, leuioribus baliſtis & ſcorpionibus certioris dexteræ & obtutus periculum facere. Inde admiſſis equis ad venãdum exire: poſtea ſe in bibliothecam abdere, vbi lectioni modum nõ ſatietas, ſed ratio ipſa ſtatuat. Adijcis ad hæc lautas & magnificas neſcio quas cœnas, ab ijs vero ipſis molliores quaſdam alias ambulatiunculas & literatas collocutiones: poſtremo ſuaues & delicatos illos ſomnos. Ne viuam, ni iſta eiuſmodi ſunt, vt ad ea vel ſpectanda mare tranſiturus fuerim, ſi quid vſquam tale exſtere ſuſpicatus eſſem. Quid nunc cenſes cum me iſto, ad tantæ cocundam felicitatis ſocietatem tam liberaliter inuitatum voceris? Noctes, mihi credes, ac dies iſtuc cogito, vel potius euolare cupio. Quare fac me circiter Idus Septembris expectes. Adero enim ad eam diem, Deo iuuante, nec ante ad reliquum peregrinationis obeundum progrediar, quàm omnem vitæ ſtudiorúmque rationem penitus perſpexero, id eſt ipſe me vobiſcum aliquot dies in iſta agrorum amœnitate oblectaro. Vale. Patauij.

CHRISTOPH. LONG.
Iac. Sadol. pont. S. 30

His

HIs literis quas mihi heri M. Antonius Michael Venetijs miſit, magnum cepi cùm officij, tum vero etiam tui de me iudicij fructum. Officij, quod te mihi de literarum tuarum ſilentio tam accurate excuſandum putaris: Iudicij, quod me tecum viuere, & tua omnia mihi volueris patere. Omnino, etſi ea mea eſt fortuna hoc tempore, vt nihil abs te mihi potuerit deferri gratius: ſcito tamen egregiam tuam iſtam erga me voluntatem, promiſſorum tuorum exitu mihi multo eſſe gratiorem: nõ quo ijs quæ oſtendis opinionem viceris meam, (pollicitus enim mihi ſum de te ſemper omnia quæcunq; ab homine amiciſsimo & eodem liberaliſsimo expectanda eſſent) ſed quod literas legens tuas, prolixam iſtam & beneficam tuam naturam mihi cernere atque planè intueri viderer. Itaq; cum gratias tibi, vt debeo, ago maximas, tum vt iſto in me animo in perpetuum eſſe velis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego enim ne quod vnquam memoris à me & grati hominis officium aduerſum te prætermiſſum eſſe intelligas, obſeruantia, ſtudio, aſsiduitate, vti ſpero, perficiam. Nam quod ais nullam tibi videri cauſam, quare Patauium vrbis domicilio anteponam: vt néve quid hic de mea inuidia, néve de iſto vrbis ſtatu afferam, ego vero ſi tam expedi-

tas viuendi rationes haberem, quàm tu, mea non magnopere intereſſe arbitrarer, vtrobiq; ætatem agerem. Nunc cum & tu rem familiarem ita conſtitutam habeas, vt vbiuis gentium copioſiſſime te & honorificentiſſime pro priſtinæ tuæ fortunæ ſplendore, & ampliſſima iſta tua dignitate tueri poſſis: mea vero ea ſit conditio, vt vel in hac rerum omnium vbertate & còpia, tamen ipſe me cum vnico aſſecla vix ſuſtentem, quid me tandem Romæ facturum putas? Verum quando mihi domum tuam patere vis, hoc eſt me iſtò perducere. non committam, vt conuictu & optatiſſima mihi tua conſuetudine diutius caream. Sed quia res meæ hic ita contractæ ſunt, vt neq; facile, neq; ſtatim explicari queant, nōdum habeo quid ad te, de aduentu meo perſcribam: ſimul atq; me expediero, faciam te certiorem. Interim memineris, eo me eſſe animo, vt liberalitate & familiaritate tua aliquādo velim vti: tum etiam idem à te, quod ſuperioribus literis hic peto, vt cum primum facultas erit, aditum mihi ad Pont. Max. tua commendatione pateſieri velis atq; communiri. Hoc te tam rogo, quàm quod vehementiſſime. Vale. Patauij, ad 3. Cal. Sextil.

CHRISTOPH. LONG.
Octauiano Grimoaldo S. 31

Jampridem

IAmpridem nihil ſcribis, opinor, propter inanem lætitiam eorum, qua de recepta à Fulgoſiis Genua proxime miſiſti, aut certe quia quod ſcribas, noui nihil habeas: niſi forte vtraq; de cauſa etiã nũc taceas. Atqui erroris illius culpam vel ego, qui omnia mihi abs te ſignificari volebam, vel eorum qui falſum illum rumorem diſſiparãt, pertinax impudentia ſuſtinuerit. Nam ſi quod mittas, nihil habes noui, hoc vero ipſum mihi erit planè nouum, præſertim in tanto rerum motu, vel potius tumultu, & bello vndique ardentibus Gallia, Britannia, nec ipſa ſatis pacata Hiſpania: in quam tamen Cæſarem noſtrum ex Britannia Non. Quint. tranſmiſiſſe audio. De appulſu eius nildum certi nunciatum. Rhodum vero maximis terra mariq; Turcarum copijs arctiſſime circumſideri, conſtantior hic erat fama, quàm vellem. Quod ſi ita eſt, mirum in tanta rei gerendæ facultate Pannones & Sauromatas domi ocioſos ſedere, aut ſi occaſione vtuntur, nihil de eo illinc ad nos literarum affluere. Tu velim ad omnia ſimul & de re noſtra aliquid, quam nihil adhuc tinniſſe valde miror. Hieronymum Sauornianum, ſi nondum exijt, velim à me ſaluere iubeas: itémque Ant. Marcilium, à quo mirificam aliquam, de Elephanto in Hethruria literas docente, epiſtolam diu expectaui.

pectaui. Memini cum à me Mutianus ille ter Conſul rideretur, quod ſibi elephantum eſſe viſum memoria mãdaſſet, qui literarum ductus Græcarum didiciſſet & ſcriberet. Nunc vereor ne ſi quod videmus ipſi, id à nobis literis mandetur, impudentiſsimi ab omni poſteritate iudicemur. Quis enim tanta futurus eſt animi facilitate, cui tam explorata rerũ natura vis atque potentia, vt tametſi proximum humanis ſenſibus, & terreſtrium animalium eſſe elephantem ſciat maximum, tamen his temporibus, elephantum quendam extitiſſe credat, qui cũ humana vteretur voce ſuauiſsima: tum vero etiam omni literarum genere perpolitus, atq; optimarum artiũ cognitione inſtructus & ornatus, tota Italia longe haberetur, & doctiſsimus, & eloquentiſsimus? Prorſus res noua eſt, & mira, & inaudita, & quæ apud poſteros plus admirationis habitura ſit, quàm fidei: niſi Marcilij noſtri ingenio ita memoriæ tradatur, vt facta non ficta eſſe videatur. Vides vt omnia colligam, quo vel te, vel Marcilium ipſum excitem. Extra iocum, ceſſationem tuam iam ferre non poſſum: ſuperioribus diebus eã quoquo modo tuli, quod teipſum in dies ſingules expectarem: nunc cum ex Theocreni ſermone aduentum tuum deſperarem, hæc tibi qualiacunq; mittẽda exiſtimaui. Literas quas Iac.

Sadoleto

Sadoleto deſcriptas eſſe vides, dabis M. Antonio Michaeli Romam perferendas, idque ſtatim, quod vt facias, à te etiam peto. Vale. Pataurj. ad 3. Cal. Sextil.

CHRISTOPH. LONG. Raynoldo Polo S. 32

ETſi mihi nihil erat optatius, quam Pacaeum noſtram primo quoq; tempore viſere, tamen vtar literarum tuarum conſilio: ſed non ex ea parte, quò minus hac profectione ſtudia interpellentur mea, (nullum enim ego literarum ſtudium officio atq; humanitate duco antiquius) ſed ne ipſe potius collocutiones veſtras aduentu meo interpellem: quæ quidem ſanè cauſa fuit, cur ei tecum obuiam ad foſſam Clodiam non prodierim. Videbam enim eiuſmodi veſtrum fore congreſſum, cui vel intimi cuiuſuis, nedum alieni hominis interuentus, moleſtus eſſe poſſet. Nam quod de illius erga me beneuolētia & amore ſcribis, eſt id mihi omnino gratū, atq; inprimis iucundum, ſed in quo nihil ipſe fal latur. Habet enim me cupidiſſimum ſui, dignitatisq; ſuæ ſtudioſiſſimum: cuius ipſius rei quem ego ei locupletiorē edam teſtem, quàm te? qui, quàm ab eo humaniter in Britannia fuiſſem acceptus, de me perſape audiſti: quā-

quam

quam alia ſunt omnino, quæ mihi hominem à me viſum, mirifice commendarint: eruditio, doctrina, & quod in pleriſq; omnibus ſtudioſis hodie deſideres, ingenium ad gerẽdam Remp. aptiſſimum. Nunc vero cum ipſum me cum in amore certare ex literis eius tuiſq; perſpexerim, dabo operam, vt ne ipſum iſtius inductionis animi, & ad me amandum voluntatis vnquam pœniteat. Sed hæc malo coram ex me cognoſcat, veniat modo, ſed prope diem: nam ſi procraſtinaris, ego vero iſtuc aduolo, neq; iam ſermonum conſuetudiniſq; vestrarationem vllam habeo. Scis in qua tu me ſolitudine reliqueris: abeſt Flaminius, abeſt Bellinus, tu deniq; cum toto comitatu, adeſt vnus Iacobus, cui me curæ eſſe voluiſti: & ſum equidem ei etiam cordi, ſed non item ille mihi: nam poſteaquam rumores aliquos mihi renunciauit, non iam homo, ſed littus & aër: noſti cætera. Fac igitur per Deum, quod te facturum oſtendis, vt mature venias, niſi forte me hoſpitem paucis diebus iſtic habere mauis. Non enim committam, vt cum tã propinquis in locis ſimus, neque ego vobis fruar, & vos me diu careatis. Leonico noſtro decretum erat, cras iſtò ſe ſalutandi Paccæi gratia, conferre. Ego qui hominem minus adhuc belle habere, nihil dum certe ad iter faciendum ſatis confirmatum eſſe iudicarem

author ei magnopere fui, in viam vti ne ſe daret hoc tempore. Metui ſcilicet ne vel incũtis autumni, vel ſuperioris morbi grauitate imbecilior, facile offenderet. Huic meo conſilio cum manus ad extremum ille dediſſet, præſertim cum de aduentu veſtro ex literis tuis certiorem feciſſem, ſalutem hic tibi à ſe aſcriptam eſſe voluit plurimam. Vale. Ex vrbe Pata. ad. I I. Cal. Sept.

CHRISTOPH. LONG. Raynoldo Polo S. 33

ETſi ſummis totius corporis doloribus oppreſſus, dubia ſpe vitæ ſpiritum miſere duco, fecit tamen ſummum meum & perpetuum de te iudicium, vt hos cruciatus neſcio quo modo frangerem, dum ſupremo hoc literarum munere ad te perfungor. Nam poſtridie, quàm ad te ſcripſi, ſæuiſſima me febris arripuit, quæ ita me hoc triduum torſit, vt nihil vnquam acerbius in vita ſim perpeſſus: ſcilicet quaſi diuinarem ita futurum, volui quemadmodum tibi proficiſcenti oſtenderam, vt bibliotheca mea omnis tibi obueniret, ſi quid mihi in ea, quam adornabã, peregrinatione accidiſſet. Verũ vt vides, propius erat, quàm arbitraremur ſummus ille noſter dies. Peto igitur abs te per amicitiam

noſtram,

noſtram, quam ad ſummum perueniſſe exiſtimo, vt mortuo mihi memoriam beneuolentiamq́, quam neceſsitudo noſtra poſtulat, humaniter ac pie praeſtes. Da operã vt valeas: & Paccaeo meis verbis ſalutem impertias plurimam. Vale. Patauij 8. Calend. Sept.

CHRISTOPH. LONG. Iacobo Lucae Decano Aurelianenſi S. D.

NVnquam nobis ſanè non deerit ſcribendi argumentum, niſi (vt te olim monui) mutuis id interrogationibus excitemus: quo nomine ſcripſi ad te haud ita pridem, mihi adeò gratum fore, ſi plenius ex te intelligerem, cur princeps veſter Eraſmum Budaeo pretulerit, Germanum Gallo, exterum ciui, ignotum familiari. Nam quod ad eruditionem pertinet, non video qua in re Budaeus Eraſmo cedat: ſiue humaniores, ſiue Chriſtiano dignas homine literas aeſtimare libeat. Quod vero ad dicendi facultatẽ pertinet, parem, mea ſententia, in tam diuerſo dicẽdi genere laudem merentur. Beatiſsima in ambobus & rerum & verborum copia: ſed ita vt alter latius expatietur, alter anguſtiore quidem alueo, verum altiore ingẽtem aquarum vim trahat: fluit ille plenior, hic fertur rapidior. In Budaeo videor mihi agnoſcere plus neruorum,

neruorũ ſanguinis, ſpiritus: in Eraſmo plus carnis, cutis, coloris: in illo plus diligentiæ: in hoc plus facilitatis. Creber ille ſententijs, hic facetijs: ille omnia Vtilitati, hic plurimum delectationi tribuit: Pugnat Bud. cura, ingenio, grauitate, dignitate: Eraſmus arte, ſubtilitate, lenitate, iucunditate ad Victoriam contendit. Hunc amare poſsis, illũ admirari: Huic fauere, parere illi. Profectò ille me Violenter cogit, hic ſuauiter allicit. Ducit alter blanditijs, alter Viribus trahit, Verborũ delectu religioſus, proprietate perſpicuus: ſi res tralationem expoſtulat, in metaphoris felix, ſententijs grauis figuris Varijs, ſumma orationis ſpecie honeſtus, ſublimis, ſeuerus, grãdiloquus. Contrà Eraſmus Venuſtus, modeſtus, popularis, floridus, Verborum ſupellectile diues, compoſitione ſimul expeditus, ſimul nitidus, frequens exemplis, denſus argumẽtis, gratus ſalibus. Ille in oratione ſua totus quidem ſemper eſt, ſed tum potiſsimũ tonat, tum fulminat, quum materia tẽporum noſtrorũ obiurgationem admittit: hic etiam quum morib. conuitium facit, magis inſtituto ſuo ſeruire atque dolere Videtur, malagmatis, collyrijs, cerotis & cæteris id genus leniorum medicamentorũ remedijs ſanitati cõſulens: Vt ille amarulẽtis quidem illis, ſed hac tempeſtate neceſſarijs potionibus, ſectionibus,

cauterijs alte graſſantē vim morbi inſectatur. Breuiter, ſi hiſtoriam ſcripturi ſint, Budæus Thucydidem, magis quàm Salluſtium: Eraſmus Liuiū, quàm Herodotū retulerit: Si poema pangendū, hic tragicum & Heroicū quiddam verborū ſententiarumq́; pondere altius intonabit: Ille Comœdiam vrbanius, Lyricos ſuauius, elegiam mollius inſpirabit. Aſſurgit tamen & hic quoq; alieno ingenio, ſuo vero tam difficulter, quàm ille nunquā, etiamſi velit, ſeſe demittere queat: alioqui ſuperiores ille virtutes vt neutri deſunt, ſic in altero magis patēt, in altero magis latēt, effectu pares, habitu diſsimiles, vt haud prorſus aberret quiſquis hunc concioni, illū iudicijs natum dixerit: alterū Palladis numine afflatum, alterū Gratiarū choro ſtipatum. Cæterū vt intelligas nihil eſſe, quod ſi ab omni, vt ille ait, parte beatum, aut certe quod omniū ſtomacho ſatis poſsit facere: audi quid in eis deſiderant, qui ſe aliquod operæpreciū in re literaria feciſſe arbitrātur. Budæus hoc illis peccare videtur, quod nihil peccet: Eraſmus quod vitijs ſuis faueat. Illū enim dum ſcrupuloſius omnia ad veterū normam exigit, ſæpe oblitum eorum, quibus ſcribit, ſibi tantum & Muſis canere: hunc dum ingenio ſuo nimis indulget, nihilq́; putat eſſe tam vulgare, quod non aliquando in oratione

ſuum ſibi locum honeſte vindicet: turbidum interim fluere: illum potius nobis ſignificare quid velit quàm dicere: hunc immodica ſermonis vbertate, veluti læto gramine ſata ſtrãgulare: illum oratione nunc obliqua verticoſum, nunc figurata elatum ſæpe intumeſcere: hunc recto nudoq; ductu humiliore, plerunq; humi ſerpere: hunc laſciuia molliorem, illum auſteritate duriorem. Denique alterum doctis mirũ in modum poſſe placere: alterum etiam imperitis, ſi in tum ſecunda (vt illorum verbis vtar) facundia modũ tenerent, & ſuo ſemper freti ingenio, alieno. nonnunquã eſſent diſerti, vel iudicio, vel conſilio, Nam, cùm præſtare poßint quicquid volunt. Par eſt, inquiunt, vt optima queq; velint, nec ſeſe ambitioſius nobis vẽditẽt: cò res noſtras recidiſſe, vt maturè potius iuuandi, quàm intempeſtiue delectandi ſimus: pro ſuſcepto operis inſtituto fideliter docendi non crebris licentioſißimisq; excurſionibus ambagioſe ſuſpendendi: digredi quidẽ Senecam & Plinium ſed alterum parce, alterũ raro, nec ſic quoque quæſito, nec niſi oblato argumento. Hæc critici, quorum ſententiæ quo minus ſtatim ſubſcribam, faciunt cùm alia multa, tum quod non defuere clari oratores, qui non grammaticos, ſed populum eloquentiæ iudicem ſtatuerint. Eſto ſit porrigendus

doctis modo calculus, ſint ſoli literarũ principes de re in conſilium mittendi, quiſnam amabo hac ætate dignus, cui tam ſuperba cenſura iure credatur? Tuebuntur ſe vterq; haud magnis ſolum exemplis, ſed etiam validiſsimis argumentis. Dicent ſe non perperam ſcribere, ſed illos corrupte iudicare: in orationibus ſuis non naſci, ſed ab imperitis ſpinas afferri. Eraſmus ſe omnium rationem habuiſſe, Budæus paucorũ theatro contentum eſſe. itaq; ipſe nihil diſcerno, vel, ne ſutor (vt aiunt) ſupra crepidam: vel quod apud me paria faciant, hoc eſt, virtutibus, ſi qua ſunt vitia penſent, atque adeo ſuperent. Habent enim plus quod laudem quàm quod ignoſcã. Illud tantum miror, quod ab initio dicebam: Cur princeps veſter in tanta Budæi probitate, doctrina, eloquentia, Germanum Gallo, exterum ciui, ignotum familiari prætulerit. Nec hoc dico, quod Eraſmi fortunæ inuideã. Studeo nanque homini, ſi quis mortalium alius, tametſi de facie nunquam mihi viſo, idq; ob communem patriam (ſumus enim eiuſdem, vt noſti, & linguæ & ditionis) colo autem ob eximias illas animi dotes, quas in eo ita ſuſpicio, vt votorum meorum ſumma ſit, hinc ad annum etiam alterum ſupra viceſimum, quo me ætate ſuperat, ſi non illum, quem nunc tenet, ſaltẽ proximũ eloquentiæ

gradum attingere. Improbũ, inquis, votum: improbum ſanè, ſed quod nec ipſe planè improbet. Ego nec exiſtimationi, nec commodis tanti viri inuideo: cuius eloquentia apud me pluris eſt, quàm totius Galliæ opes. Sed in hoc iſta ſcribo, vt ſi quid habes, actutũ me certiorem facias, cur ſemper neglectus Gallorum, nunc primum faſtidiis Italorum ingenijs, Germanica tam ambitioſe aſſectemini. Vale, ex Vrbe Roma. IIII. Cal. Febr.

PETRI BEMBI ET IACOBI SADOLETI EPISTOlarum Liber.

PETRVS BEMBVS Chriſt. Long. S.

C*Vraui mandata tua Florẽtiæ diligẽter: idq́; amplius, quod Protonotario Bartholino, qui mihi viſus eſt mirifice de te & ſentire, & loqui, Defenſionũ tuarum librum dedi. Cum Iulio Cardinale*

dinale multus de te ſermo. Is mihi ſignificauit, quod ad te Iacobus Sadoletus de Florentinorũ erga te voluntate ſcripſerit, ſe autore factum. Romã cùm veniſſem, Cardin. ali Colũnæ defenſiones tuas miſi: Sadoletũ ipſum, Paccium, Adernium, Lalium, reliquosq; de quibus me tuis in literis admones, tuo nomine ſalutaui. Poſtremo etiam Leonis X. Pont. Max. pedibus, cùm is è Manliano rediſſet, dedi oſculũ tuis verbis: nam me in vrbe, propter imbecillitatẽ valetudinis meæ, Apẽnini traiectu, viaq; tædio & laboribus auctam, decem ipſos dies continuerã. Ille verò me, vbi eſſes, quid ageres, quid cogitares, ſatis quidẽ familiariter, atq; (vt mihi viſus eſt) etiam amanter interrogauit. Aderat Paccius, qui & ipſe de te, deq; illo ipſo tuo libro, quẽ iam legerat, multa præclare. Idem cum ego Principi reſpondiſſem, te Patauiũ eſſe profectum eo conſilio, vt conſumãdis iꝫ ſtudijs quibus te totum tradideras, bienniũ, vel certe quãtum ad id temporis ſatis tibi eſſet, impẽderes: habere dixit ſe abs te literas, in quibus erat ſcriptũ, te Florentinorũ conditionem velle accipere. Quæ quidem ad verba nihil omnino Princeps, cùm antea adeuntibus illum Romanis Conſulibus, vt eius ſententiã eliceret, num te donatum eſſe vellet ciuitate, cùm alia multa ſingulari cum tui cõmendatione, tum

illud

illud etiam dixiſſet, fouere ſe tua ſtudia, annuámque ad id pecuniam tibi curari iuſsiſſe: Vt quod ſtatueras Patauium ſecedere, Vt ea in Vrbe doctiſsimorumq; hominum cõuentu, inſtitutis iam abs te cõmẽtationibus aliquot annos dares, eius tibi conficiendi facultas ne deeſſet, totúmque illud conſiliũ profectionis tuæ Vehementer à ſe probari ſignificauiſſet. Quod eò tibi ſcripſi, Vt ſcires quam iam ille opinionem atque ſpem, de te ocióque tuo iſto Patauino conceperit. De rumoribus, qui hic iactabãtur, male te de Romanis ſentire, cùm hos montes nihil ſolidum crepare diceres: planè nihil eſt quod labores. Primum incerto autore, deinde parum adhibetur fidei, poſtremo quicquid eſt, id omne noſtro aduẽtu iam euaneſcit. Amicos quidem habes omnes, Vel doctos, Vel bonos, præter Vnum Sinonẽ illum tuum: quem tamen doctum eſſe nunquam iudicaui, bonum credebam: in quo quàm me fefellerit, Vides. Itaque oderit, diligat, æque habendum, niſi tibi etiam iucundũ eſſe debet, te ab illo non diligi, quem tua cauſa nemo bonus diligit. De Bembini catelli mœrore ſuſcepto ex diſceſſu noſtro quod ſcribis, Vide quid egeris: auxiſti tu quidẽ deſiderium, Vel etiam dolorẽ meum. Valde me pœnitet illum domi reliquiſſe tam fidum, tam nullius oneris comitem: tantæ ſedulitatis, feſtiuitatis,

ioci, ut omnibus delicijs carere mihi videar, qui eius blanditijs careo. Numos principis ſex menſium nomine tibi depēdi curauimus, eos habebis cum his literis. Protonotario Saulio, & Lazaro & Flaminio plurimam ſalutem dicito meis verbis. Vale. Romæ. IIII. Calend. Iun.

PETRVS BEMBVS
Chriſt. Long. S.

REſpondeo ad tres tuas ſuauiſſimas atque amantiſſimas literas, diuerſis temporibus datas, & quidē breuiter: teneor enim ſatietate quadam vel potius tædio ſcribendi, ut nihil omnino difficilius, nihil moroſius faciam quàm cum calamum ſumo, nihil libentius, quàm cum depono. Cur? inquies. Quia quoniam multos iam annos ea cogor ſcribere, quæ ad ſtomachum meum non faciunt, etiam illa quæ mihi grata ſolent eſſe, nunc diſplicent, cùm ſunt ſcribenda: ita ſcriptio ipſa omnis permoleſta, niſi forte diuturnus morbus ſegnem me atque ignauum ad omnia reddidit. Quod ſi eſt, ſpero me ad priſtinam meam in ſcribendo alacritatem breui rediturum. Satis enim belle, ut nunc quidem eſt, me habeo, omneſque iam prope morbi reliquias abieci. Sin altera illa cauſa eſt, hinc nunc oportet, abdamq; me aliquò, in ſtudia

ſcilicet

ſcilicet atque in literulas noſtras, quemadmodum tu quidem feciſti, dum illa dediſco, quæ initio mihi adhæſerunt, & à me pagellam accipias libēti animo ne dicam impigro ſcriptam. Sed uenio ad tuas literas. Bo ducus noſter quod tam in te officioſus fuerit, gaudeo, cóque magis, quod nihil eorum quæ commemoras, meo rogatu: egi tamen illi per literas gratias cùm tuo nomine, tum meo, qui quidem quaſi Pollux omnia, quæ in te honoris cauſa, tanquam in Caſtorem cōferuntur, in me etiam conferri puto. De Naugerio meo quæ ſcribis, mihi grata ſunt: ille uerò nō modo in literarum ſtudijs, ſed etiam in amicis colendis mirificus. Qui quod æſtatem in ſuis Muranianis hortis confecerit, ualde lætor: neque enim uereor, quin illi conſtiterit fructus ocij tam iocundi, ad quem quidem oblectādum, ab æſtúque tuendū ut audio, etiam è Benaco multæ Citriorum arbores ſuas umbras adduxerint. Reſpondi ferè ad tuas priores literas. In ſecundis literis, quod de Ioanne Pino Gallorum regis legato me admones, id erit mihi curæ. Semel illum conueni, cùm eſſet domi ſuæ ea de cauſa, ut conſtitueremus inter nos aliquid, quod tibi eſſe uſui & ornamento poſſet: multus quidem de te ſermo, ſed quoniam erat et cœnæ tempus, ita ab illo diſceſſi, ut inchoata tantummodo eſſet effigies

negoтij tui. Reliqua poſita ſunt non ſolum in diligētia, ſed valde mehercule etiam in caſu. Diligentiam ne adhuc quidem adhiberem, cùm Principis in molem Hadrianam ſeceſſio, quò ventitare propter imbecillitatem corporis minus ſæpe poſſum, ille vero ferè quotidie: tum maximi calores efficerunt. quibus etiam qui valētiſsimi ſunt, à labore defatigationeq́ absterrentur. Caſus cùm venerit, eum quantum potero complectar, neque dimittam niſi depicta omnibus coloribus imagine, atque ita confecta vt nequid deſit. Sed omnino totū hoc ſic habeto, nihil vt mihi antiquius futurum exiſtimes ijs rebus, quæ ad commodum dignitatémque tuā pertinebunt. Itaque ſi erit opus, etiam Collegam meum, vt ſuades, aduocabo, ſed nunc vt videtur, non eſt. De tuis obtrectatoribus, quod ad me, quod ad Marcum Antonium Michaelē tam multis verbis ſcripſiſti, planè non probo: te ne nunc quidem eorum cauſa animo tranquillo eſſe, quorum rumores & maledicta, non ſolum refrixerunt tuis reſponſionibus editis, ſed planè iam omnis illa factio propè obmutuit. Itaque tu, ſi me audies, nullum omnino poſt hac de illis verbum facies, atque etiam ſi fieri poterit, ne cogitabis quidem. Neque enim digni ſunt, qui tuū iſtud tam honeſtū ocium, tam præclara ſtudia, vel momentum

temp

temporis intercellent. Quamobrem magis miror id, quod erat in poſtremis tuis literis, te ſcilicet ab illis in tanta gladiorum licentia tibi interdum timere. Tu vero qui Romæ populum Romanum ſtantem in te, ac prope armatum contempſeris, ſuſtinueris, fregeris, neque interea timoris ſignum vllum edideris, aut vocem emiſeris: ab illo nunc non ſolum fracto, ſed etiam ad tuas partes traducto, in vrbe minime turbulenta. Patauio tibi eſſe timendum duces? Atqui etiam ſcribis Lerinam te propterea cogitare. Quàm vellem iſtud verbum, tuo ex ore ne excidiſſet. Sed nolo tibi moleſtus eſſe. Quemobrem abduc animum ab iſtis cogitationibus quàm longiſsime, téque tuto eſſe poſſe exiſtima, vbicunque erunt vel boni, vel docti viri: quanquam te iam omnes propè homines diligunt: habes autem Italiam maxime cupidiſsimã tui, propterea quod iam eſt tui fama nominis clarius atque illuſtrius peruagata. Dedi tamen Marino Georgio, Patauij Prætori literas hac de re, quemadmodum tibi placere oſtendiſti: quem quidem exiſtimo nulla in re tibi ſalutisq; tuæ defuturum. De eo me velim facias tuis literis certiorẽ. Prior pars earundem literarum, quas ad me nouiſsime dediſti, tuorũ ſtudiorum vitaq; rationẽ cõtinebat: quæ me ſummopere delectauit, cepiq;

ex

ex eo maximam voluptatem, quod te video ita literis, quarum es multo auidiſſimus, incumbere, vt valetudini etiam ſeruias. Pilæ ludus, quo te ante cibum exerces, mihi valde probatur. Deambulatiunculas verò illas veſtras, ſermones, concurſationes, de quibus ſcribis, peream, ſi omnib. Romanis præfecturis magiſtratibusq́; non præfero. Conſuetudinem autem qua vteris, vt ſcilicet antè quàm ſomno te des, reputes tecum ipſe atque recolligas, quicquid dignum ea die memoria ſciẽtiaq́; comprehenderis, quis non magnopere laudandam & complectendam putet? Pythagoreo præcepto illi ferè germanam atq; ſimillimam ποῖ παρέβην? τί δ' ἔρεξα? Noſti reliqua. Sed illa in doctrinis ſtudijs, hæc in rerum actione verſatur. itaque ea tibi perpetuo vtendum cenſeo. Altera fuit epiſtolæ tuæ pars minime quidem neceſſaria, qua mea in te beneficia commemoras: quod quidem in ſecundis etiã literis feciſti multis atq; honorificentiſſimis verbis. Ea ſi naturæ tuæ benignitate, amoriſq́; in me tui abundantia impulſus collegiſti, te eorum eſſe memorem, beneuolentia, comitatis planè gaudeo: nihil enim poteſt eſſe tam ſuaui liberaliq́; natura amabilius atq; præſtãtius. Sin propterea, vt vel te gratum oſtenderes, vel me in te amando confirmares, neutrum eorum te adducere debuit, in eam commemo-

memorationem: nam neque tu eſſe ingratus iam vllo pacto potes, qui ſi nihil aliud agas, tamen ea de nobis dixiſti, ſcripſiſti, nota eſſe omnibus hominibus voluiſti, vt me tibi etiam perpetuo deuinctum putem: neque ego is ſum, qui à te amando reuocare animum atq; men tem poſſim, niſi tu is eſſe deſinas, qui profecto es, moresq; tuos atque doctrinam dediſcas. Itaq; ſi me amas, ne tu poſthac ad me quidẽ quicquam eiuſmodi. Heri cum in ea vrbis parte caſu eſſem, quam tu incolebas, & Mariani Caſtellani hoſpitis tui domus, mihi à meis pueris oſtenderetur: vocari hominem iuſſi, cumq; tuo nomine ſalutaui: quam quidem ille ſalutationem mihi viſus eſt libentiſſime atq; hilariter accepiſſe. Dixi ei de te cupide ſanè atq; amanter quærenti, quæ pro xime habueram. A quo cùm diſcederem petij nunquid vellet ad te literarum dare: dixit ſe daturum: veruntamen non dedit. Sed omnino fui longior, quàm initiò putaram. Collega meus Roma pedẽ non extulit: Princeps enim retinet, & vt puto retinebit exem plum tuarum ad me literarum, quod requiris, erit cum his literis. Saulio, Lazaro, Flami nio multam ſalutem dicito meis verbis. Tu ſi me amas, ad nos crebro, vt facis. omnib. de re bus ſcribe: incredibiliter enim me tuæ literæ delectant. In quibus illud etiam video, quod

mihi

mihi eſt planè iucundiſſimum, addere te quo tidie aliquid ſcriptioni & ſtylo. Itaq; ταύτην τὴν γραμμὴν ſuadeo teneas. Cum hæc ſcriberem, Princeps in Vaticanum ſe referebat. Sed valebis, valetudinique ſeruies. Romæ. XIII. Sept.

PETRVS BEMBVS
Chriſt. Long. S.

ACcepi tuas literas Non. Ian. datas, ad XVI. Calend. Mart. heri, cum exercendi mei cauſa extra vrbem equo vectus, claro & placidiſſimo die, aprica via domum perueſperi rediiſſem, ab adoleſcente illo, quem mihi ipſæ illæ tuæ literæ commendabant, redditas meis pueris: cum eis, ſi quid vellem, ſe ad te poſtridie reuerſurum dixiſſet, atque vbi ſe conuenirent, oſtendiſſet. Itaq; cum ipſum non vidiſſem, has ad te literas dedi ante lucem, qua me quidem ſomnus hora ſinguli prope noctibus deſerit: adhuc enim vigilia nos exercet quæ vna ſi relinqueremur, eſſemus planè reſtituti. Sed venio ad tuas literas. Quod meum de tuorū ſtudiorum ratione iudicium tam diligenter exquiris, in eo & amori erga te meo multum, & autoritati nonnihil ſanè tribuere te oſtendis: quorum in altero, quàm rectè facias, tu videris: cuius planè intereſt, ſi deceptus ſis, ab altero ne te vnquam decep-

ptum poſsis dicere, cumulate ipſe diligentiſſimeq́; præſtabo. Ad eam autem partem, in qua ſcribis, quid tibi cauſæ fuerit, vt aueres ſcire quid ſentirem, vt ſcilicet intelligeres rectène operam poſuiſſes, an ſecus: quo vel pergeres vt cœpiſſes, vel aut aliam ingredereris viam, aut in ea ipſa quā es ingreſſus, curſu corrigeres tarditatem: exiſtimabam ſatis me quidem ſuperioribus literis reſpondiſſe, quibus te literis profeciſſe quidem multum, ſcripſeram, ſupereſſe autem aliquantum etiam quò progrederere. Itaque te hortabar, vt quod reliquum erat conficeres: quod mehercule etiam nunc te hortor, hoc eſt, vt Ciceronem ipſum, quem tibi vnum ſcribendi magiſtrum, me autore propoſuiſti, eundem vniuerſum non ſolùm vores, ſed etiam concoquas, ac in ſuccum & ſanguinem conuertas tuum. Id autem ſpero te aſſequi poſſe, ſi diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis: aſſecutum omnino eſſe, quem admodum tibi antea ſcripſeram, non exiſtimo. Neque hoc ideo dico, quaſi tu parum profeceris, annua prope ad id cogitatione laboréque adhibito, multum eſt enim, adde etiam ſi vis, maximum quidem illud, quod iam actum abs te eſt, vt mihi quidem videri ſolet, cum tuas literas lego, meamq́; de eo expectationem atq; ſpem non æquatam

modo abs te, ſed longe etiam ſuperatam tibi vere atque perſancte affirmo ac denuncio: ſed quia nollem eo te maximo eſſe contentum, & tanquam ad metam perueneris curriculo confecto conquieſcere, propterea dico. Nam quoniam ea eſt ingenij tui vis atque præſtantia, nihil omnino vt ſit tam arduum tam ꝗ difficile, quo ſi animum intenderis, non te id poſſe complecti atque conficere breui & luculenter putem, nulla te quidem in laudis mediocritate conſiſtere facile patior. Itaque quanquam minus fortaſſe via ſupereſt, vt ad excellens illud atque ſummum ſcribendi genus atque formam peruenias, quo te voco quàm eſt id quo perrexiſti: tamen niſi tu etiam quod reſtat confeceris, non tam mihi gratum futurum eſt, præclare ſanè ac ſplendide id te muneris inchoauiſſe, quàm moleſtum, non abſoluiſſe: quod abs te commiſſum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam abſolutionem tute tẽporis ſumpſeris: atq; hoc cum recordor, magis miror quiquam nunc te cum de commutanda ſtudiorum tuorum ratione, qui rectiſſima es ingreſſus, tum verò nũ tibi ſit, quaſi tarde adhuc ambulanti, deinceps feſtinandum, ſciſcitari. Feſtines autem? vt quid? incidas in aliquem morbum? Ego verò te mi Longoli malo tranquilla nauigatione vtentem, aliquanto ſerius eum adipi-

ſci

ſci eloquentiæ quaſi portum, quē petis: quàm propter nimiam ventorum vim iactura facta celerrime nauigare. Quamobrem ſi meũ conſilium ſequi volueris (quanquam eſt hæc quidem mentis potius ſenſusq; noſtri, quam vllius conſilij ſignificatio) neq; hunc tu curſum commutabis. Cur enim? neq; remo vllo plus vtere, σπεύδεις autem temperate ac plane βραδέως, vt dicitur, valetudiniq; in primis ſerues. Sed iam ſatis aut etiam nimis multa de iis. De Ioanne Pino, erit mihi curæ, cum vt omnia mandata tua exhauriam, tũ illud maximè, vt quicunq; percipi ex hominis te amãtis beneuolentia poteſt fructus atque vtilitas percipiatur. Id totum quale ſit, quoniam ſatis exploratum non habeo, non committã vt eius te rei expectatione ſæpius excitem. Extremum eſt, quod erat primum in tuis literis. Eius ad nos epiſtolæ tuæ exemplum, quæ perlata non eſt quod ſcribis mihi te mittere, ſcito nullum fuiſſe cum tuis literis: id velim deſcribi mandes, mihiq; mittas, ne vlla tua lucubratiuncula nobis perierit. Habes ad omnia. Nunc quæ præterea ſcire te non nolle arbitror, hæc ſunt. Apud Sadoletũ reliquosq; amicos recte eſt. Thebaldeus & Beatianus etiam fortunis aucti tibi hilarius ſalutem aſcribũt. Ego domum cogito. Quid eſt aliud? Intellexi de Alexandro Capella,

viro ſanè bono & docto, & (vt mihi viſus eſt) etiam amantiſſimo tui, te cum Nicolao Leonico homine vere philoſopho ſingulari beneuolentia coniunctum, cum eo familiariter ſæpe eſſe, vel propterea quod non longe ab illius ædibus incolis. O præclaram viciniam, teq́ hominem mirificum ad præſtantium & clarorum virorum amicitiam conciliandam. Ne ego horum procerum prenſationes appellationesq́ honorificas omnium, vna cum veſtra deambulatiuncula, & ſermone libenter commutauerim. Nunc ei, quod poſſum, multã ſalutem volo impertias meis verbis. Etiam Marinum Georgium Patauij prætorẽ, quem ſcis à me vnice diligi, ex me ſi ſaluere iuſſeris, mihi gratiſſimum feceris: idq́ vt facias, planè te rogo, tum & Saulium, & Flaminium. Tu valebis, nosq́ diliges. Romæ.

IACOBVS SADOLETVS Chriſtoph. Long. S.

EX eis literis, quas ad Lælium Maximũ das, cognoui te proficiſci Venetias cogitare, aut hoc tempore fortaſſis iam eſſe profectum: quod nec ſum admiratus, & te potius mecum collaudaui, quod more veterum philoſophorum (ſicut de Platone ferunt, & de Pythagora) omnes tibi terras obeundas putaris, vnde ſperes hauſturum te, & doctrinarum aliquid & ſapientiæ: etſi nonnihil

te in eo, Bembo noſtro tribuiſſe arbitror, vt cum eo aliquantum eſſes, fruereréq; & familiaritate illius exopiata, & virtute nunquam ſatis laudata. Sed ego ſenſus tuos ſi bene perſpectos habeo ſtatuo te cùm amicitiæ veſtræ ac illius ſummi viri ſuauitati multũ, tum huic tuæ perpetuæ voluntati plurimum tribuiſſe, vt quoad acerrimi vis ingenij cum incredibili diligentia ſtudioq; coniuncta progredi in re literaria poteſt, in teipſo contendẽdo atq; elaborando experiare. Sed huic virtuti vt laus debitum præmium eſt: ſic nonnunquam inuidia obtrectatrix accedit. Suſpicor enim ad te delatam eſſe concionem, quam hic poſt tuum diſceſſum in magno conuentu, ipſo audiente Principe aduerſarij tui habuerunt, in qua magna laus Celſi Millini optimi atque ornatiſsimi adoleſcentis. Is enim orationem eam dixit ſanè quam appoſitè, & animo (vt facile poſſumus exiſtimare) non malo: ſpecie enim boni quandoque obtenduntur, quæ ſuapte natura vitioſa ſunt: & ea illius ætas, cui concedatur, vt errare aliquando poſsit ſine reprehenſione, certè, quod mentis ingenuæ eſt, idem ipſe Celſus affirmat, hac cauſa excepta, in qua patriæ ſuæ dignitati & famæ (vt ait) non adeſſe non vult: cæteris in rebus honoris tui rationem ſe in primis habiturum. Atque vt

huius (quemadmodum dixi) ingenio laus tribenda eſt, voluntas minus reprehēdenda: ſic qui huic rei ab initio autores fuerunt, non ſatis nec animum ſuum nec conſilium probabant: animum, quod prorſus apparebat praua conciliatrix iniuſti odij obtrectatio: conſilium, quod abſurdum videbatur quas ipſi literas ſibi laudi ſperarent fore, eas damnare atq; oppugnare in altero. Itaq; non modo nō extinxit ſtudia eorum qui cauſæ tuæ fauebant, illiuſmodi concio, verùm etiam ardentius inflammauit. Nam & in circulis ſubito exorti ſunt ſermones plurimi, & fiebat in ijs vt quanquam ille viſus fuiſſet dicere præclare, tamen non minus autoritatis haberent teſtimonia noſtra apud incorruptos: excepta certe principis vox eſt, cum ita diceret, probare ſe ingenium actionemq; Celſi, cauſam verò tuam meliorem iudicare. Quare ſic quoq; inde tum diſceſſum eſt, vt honorificentius tecum actum putaretur eiuſmodi oratione habita, quam ſi omnino nulla fuiſſet habita. Noſtris verò neq; ſic tacitum ferendū viſum eſt: ſed cum extaret defenſio tua, quā pro te ipſe conſcripſeras primo decretum eſt, dandā operam eſſe, ea vti recitaretur: operam ſuam ad hoc pollicente Flaminio, adoleſcente in primis ornato huius ciuitatis. Deinde cum hoc ſpiſſius eſſet viſum, in eam ſententiam potius

diſceſſum

diſceſſum eſt, edendam illam, & in omnium manus diuulgandam eſſe: quod & factum eſt. magna non ſolùm approbatione omnium bonorum, ſed etiam commodatione eloquentiæ tuæ. Sic enim à cunctis iudicatum eſt, incredibile quiddam eſſe, quod de tuo ingenio expectari poſſit, cum quod præſtitiſti, iam ſit admirabile. Mihi quidem qui te amo & gero in oculis, nihil euenire potuit optatius, quàm intelligere, cognoſci ab omnibus, non fruſtra noſtra de te ſuſcepta eſſe iudicia, atque te florere clariſſimorum virorum amicitijs: in quibus ſi quæris, egregius Paccius, nec ſolum fide atque amore te, ſed etiam authoritate & gratia ſingulari: vehemens Caſalius. ac denique, ne infinitum ſit, vniuerſus ille chorus præſtantium ingeniorum, quem tibi amiciſſimum præſens ſenſiſti, is tui abſentis memoriam ſancte diligêterq; conſeruat. Quæ ego ad te idcirco ſcripſi. licet minime inuitatus tuis literis: quod profecto conueniebat, cum magis peregrinantium ſit eos qui domi remanent, de ſuis rebus omnibus reddere certiores: ſed eam ob rem ſcripſi, primum vt forti animo ferres, quod tamen facis, iniquorum hominum iniurias: deinde vt meditarere, quantum tibi in omnem partem connitendum ſit, vt incredibili expectationi, quæ de te concitata eſt, ſatisfacias. Quanquam

ego arbitror te, quod de Theopompo dicere ſolebat Iſocrates, freno egere magis quã calcaribus: quem ego noui in ſtudijs literarũ dies & noctes aßidue inſiſtentem, parum habere valetudinis rationem. Sed ego eam tibi, ſi & te & nos diligis, maximopere tuendam eſſe cenſeo: nam & temporis plus ad hac eadem ſtudia habebis, & prudentiæ tibi laudem ex hoc quoque genere comparabis: quæ profecto non minoris, quàm illa ingenij, à docto viro facienda eſt. Ego pro mea in te ſingulari beneuolẽtia, omnia tibi honeſta & ſalutaria euenire cupio. Tu ſi me mutuo amabis, ad meq; de tuis rebus ſæpe ſcribes, perficiam, vt nec te fruſtra ſcripſiſſe, nec amorem tuum perperam collocaſſe arbitrere. Vale ex Vrbe. VI. Id. Septembr.

IACOBVS SADOLETVS Chriſtoph. Long. S.

DEderam diu ante ad te literas, cum te aut conſtitiſſe iam Venetijs, aut non procul inde abeſſe exiſtimarem: quas ſpero tibi nunc denique fuiſſe redditas. Longior autem itineris tui mora interceßit, quàm putauiſſemus: nam ea noſtra fuerat expectatio, te cum Venetias perueniſſes, hominũmque ibidem ingenia moréſque cognoſſes, celeriter ad Vrbem eſſe rediturum: cum præ-

ſertim

ſertim omni depulſo periculo, placatis animis eorum qui tibi fuerāt infenſiores, abſens virtutis cauſa digniſſimus eſſes ea ciuitate iudicatus, quæ vna propter virtutem omnibus ſemper gentibus præſtitiſſet. Sed etſi nobis deſiderio fuiſti, tamen hæc tua diuturnior commoratio mihi non ingrata accidit, quando te autore & interprete nactus ſum doctiſſimorum & clariſſimorū virorum amicitias, quorum ego mehercule beneuolentiam omnibus fortunis antepono. Itaq; literis tuis ad me Lugduno datis, pleniſſimis illis quidem amoris atq; officij, dupliciter lætatus ſum: quod & te ſaluum nobis atque incolumen tot laboribus exhauſtis, tot periculis, propediem affore nūciabant: & illud ſignificabāt, treis præclariſſimos viros, vel potius lumina tria doctrinæ ac ſapientiæ, mihi tuis teſtimonijs amicitiora eſſe facta: quorum equidem vnius Budæi literas accepi vna cum tuis ſcriptas humaniſſime, reliquorum nondum ad me allatæ erant. His ego omnibus reſponſurus ſum, & quidem ſedulo. Neque propter vim verbi eius, quo tu in ſcribendo vſus es, quaſi fuero dignatus inquis: ſed quod nihil alienius homine ingenuo eſſe exiſtimo, quàm non contendere in omni officio, omnique ſignificatione beneuolentiæ eſſe ſuperiorem. Sanè talium virorum literis ſcriptis nullas

reſcribere, cuius tandem eſſet ſuperbiæ? qui cum ſuis ſummis excellentibus ingenijs illam doctiſſimæ antiquitatis gloriam in noſtrum æuum retulerint: ſunt quoq; omnium opinione ac iudicio, non inferiorem ſua virtute laudem cõſecuti. Habes itaq; ſtatim ad Budæum perſcriptas: ad cæteros pendeo animi, quo pacto me geram, ne forte me illi ſuas accepiſſe, quas non accepi arbitrentur, accuſentq; tarditatem in reſcribendo meam, meumq; officium & mea fides reprehẽdatur. Cui tu meæ ſolicitudini vt ſubuenias peto: ſubuenies autem, ſi illos quam primum certiores feceris, eorum literas adhuc in expectatione eſſe: aut ego prior ſi tibi videbitur ſcribam, hoc fundamento nixus, quod te teſte cognouerim quæ ſint erga me voluntate, id mihi eſſe gratiſſimum. Verum nihil horum prius quam tuas accepero, quibus me de re tota quid ſentias, admonebis. Sed in his ad me Budæi: ille enim uero luculento teſtimonio confirmat, quod me amare cœperit tua prædicatione eſſe factum, & commemoratione meorum in te officiorum, quæ ſanè commemoratio tuæ priſtinæ eximiæ probitatis index eſt. Nam ego ea in re vſurpaui officia, quæ prætermitti ſine ſcelere, & ſine ſummæ inhumanitatis nota non potuerunt. Tu in eis quæ mihi honori cenſuiſti fore ita es verſatus, vt (quod facile appareret) ſtudium

dium amoris, oratio vero tua honorifica de me effuſa cuiuſdam bonitatis fuerit. Quod ſi liceret in vera & conſtanti amicitia ſubducere rationes, dicerem quantum tibi hoc nomine deberem: ſed omnia ad officium referenda ſunt: quod vnum bonis ſemper eſt propoſitum, cuius vnius conſcientia contenti ſumus. Quamobrem ne illud quidem verendum tibi eſt, vt ad me parum Latine aut ineleganter ſcribas: es tu omnino quidem latiniſſimus: ſed aliud etiam eſt familiariter, aliud accurate & prope anxie ſcribere: quod genus ſcribendi mereſius à noſtris familiaribus epiſtolis reijciendum eſt. Quod me conſulis, num tibi ad Pontificem ſcribendum eſſe cenſeam: ego vero cenſeo. Quo autem modo? quocunque tibi libeat. In quam enim cumque partem te dederis, literæ illi erunt ſilentio gratiores. Is porrò vt ad bene tui ſimilibus faciendum promptus eſt, ita bonorum de ſe memoria teſtimonióque lætatur. Nec vero vllum ſcribendi ceperis argumentum, quin ad vnam aliquam ex eius præſtantiſſimis virtutibus aptum & accommodatum ſit: ſi familiariter & domeſtice ſcripſeris, ad illius ſummam humanitatem: ſi cum honore & grauiter, ad eminentiſſimam dignitatem reſpectum habuiſſe videbere: vtro autem ille magis gaudeat, difficile

ficile dictu eſt. Hoc quidem haud vtique dubium, literas illi tuas cuiuſmodicunque, futuras gratiſſimas. Ego quas tuas ad amicos mihi miſiſti, ad Lælium Maximum ambas curaui perferendas, eique iuſsi nunciari ſuas vt continuo redderet Mariano. Camillum Portium tua ſalute impertiui, qui te ab ſe amari mirifice confirmat, multámque tibi renunciat ſalutem. Vbaldinus aberat Florentiæ, matris primo morbo euocatus, dein funere retentus: quoad rem ſuam explicet familiarem, dies aliquot abſumpturus eſt. Nos leui ægritudine aliquandiu tentati, damus operam, vt valeamus, tibique item faciundum ducimus. Bembo noſtro, & Nicolao Tepulo, quem cognoſces hominem, vt opinor, tua beneuolentia digniſſimum, plurimam meis verbis ſalutem dicito. Vale. Ex Vrbe 7. Id. Decemb.

IACOBVS SADOLETVS, Chriſtoph. Long. S.

Binas tuas accepi: quarum ad priores, meas reddidi nullas, non mehercule negligentia, nec quod amoris in te mei (quod tu neſcio quo pacto ſuſpicari viſus es) facta fuerit imminutio: quod nec fieri vllo modo poteſt, neque vero ſuſpicari ſanè decet. Sed

quia

quia mihi in ſtudijs literarum vehementer occupato animus aliò verſum diſtractus, hãc curam & cogitationem reſpondendi tibi, vel tanquam minus neceſſariam omiſit, vel in aliud tempus commodius reſeruauit. At nunc quod tuæ me recentiores admonuerunt literæ, non patiar à te deſiderari officium meum. Ac primũ tibi illud prædico: me re tota prius bene conſulta ac diligenter conſiderata, tandem poſthabitis ſermonibus hominum, & eorum opinionibus, qui me ad ambitionem & vitam negocioſam reuocabant, contentum ea fortuna quæcunq; mea eſt, ex his fluctibus in quibus nimium diu ſum verſatus, in portum me contuliſſe, rediſſeq; cum libris noſtris in gratiam: à quibus liberalius acceptus etiã, quàm putaram, cogito poſthac meam omnem cum illis ducere rationem, nec tantum, vt veterum legendis monumentis eam delectationem capiam, quæ maxime liberalis & digna homine ingenuo eſt: ſed etiam vt promam ex me aliquid, quod ſi minus eruditis ingenijs propter doctrinam, at propter conatum egregiæ in me voluntatis ſaltem probatum eſſe poſſit. Quamobrem quod ad me ſcribis, fore aliquando, vt conſtet apud me ratio ſtudiorum tuorum, eius mihi rei expectatio ita iucunda eſt, vt viciſſim tibi denunciem, accipiendam tibi quoque eſſe rationem meorum:

meorum: contendamus modo acri animo, & quam inter nos conciliauit ſtudiorum ſimilitudo, eorundem nunc exercitatio augeat beneuolentiam. Aut ſi nihil addi ad bene conſtitutam amicitiam poteſt: erit tamē inter nos conſuetudo iucundior, cum de eiſdem & tractabimus, & cogitabimus literis. Nam quin ad optimas Vterq; noſtrum ſtudium omne direxerit, alteri de altero haud dubium eſt: idq; ita eſſe tu exiſtimare de me, ego de te polliceri poſſumus. Sed quod ad me quidē attinet, huius rei atq; ocij maiorem facultatem Videbar habiturus ſi mihi egredi ex hac Vrbe, & in meam eccleſiaſticam prouinciam proficiſci contigiſſet: Vna enim atq; eadem opera, & deo ipſi ſatisfeciſſem, cuius iam Vnius ſeruus ſum, & mihi ac tranquillitati meæ rectius conſuluiſſem. Sed quando id mihi de principis Voluntate non licitum eſt, eſtq; hæc ciuitas in primis ad fallendum & diſturbandum animos idonea, robore animi & Virtute adnitendum eſt, Vt in medijs ipſis fluctibus portum, & in tanta morum ac iudiciorum Varietate, conſilij noſtri conſtantiam teneamus. Sed hæc hactenus. Ego te toto pectore Vacare incumbereq; literis, & gaudeo amicitiæ noſtræ cauſa, & tibi gratulor, authorq; ſum, Vt nihil potius neque præſtabilius ducas. Illud cenſeo, habere te oportere Valetudinis rationem,

nem, qua ſine omnia corruant neceſſe eſt, etiam quæ præclare Videantur poſita. Legi Budæi noſtri literas, ſcriptas ſanè quàm beneuole. Velim Leonicum, hominem literis & probitate inſignem, meis Verbis ſalutes. Nauagerio autem, ſi erit commodum, etiam gratias agas: quod de me honorifice ſit in ſcriptis ſuis locutus: etſi me non minus beneuolentia eius, quàm teſtimonium delectat. Vale. Ex Vrbe. III. Calend. Ian.

IACOBVS SADOLETVS, Chriſt. Long. S.

M. Caballus noſter cum ad me ſuperiores tuas literas attuliſſet, quod mandatorum exponendorum tempus præteriiſſe dicebat, ea ipſe quidem narratione ſuperſedit: ſed me ipſæ ſatis commonebant literæ, quo tibi gratia & ſedulitate noſtra eſſet opus: quæ certe non defuiſſet, ſi aut ille tum Viueret, Vnde opem expectabas, aut ſi is tum non iam omnino omnium bonarum artium, Vel ornandarum, Vel etiam tuendarum curam omiſiſſet. Ergo occaſione omiſſa [illegible] illis cur reſponderem cauſa nec eſt Vlla. alteras porrò tuas nullas accepi, quin & has recentes ſerius: datæ enim ante diem XVI. Cal. Iun. V. Cal. Quintiles mihi ſunt redditæ. In quibus

quod

quod ſpem magnam tui ocij honeſte traducendi in me ipſo ponere videris, gratum id mihi admodum, nec te opinio ea fallet, quod ad ſtudium quidem attinet, quod & ad beneuolentiam, quæ mea te aduerſum mirifica ſemper fuit: verũ quæ fortunæ ſunt, ab ipſa illa ſunt præſtanda. Atq; vtinam nunc tibi de meis facultatibus prolixe polliceri poſſem: quod vix ego audeo, ita ſum in re mea domeſtica ac familiari prorſus perturbatus. Sed quod proximum illi eſt, id mehercule libenter & ex animo facio, vt contubernium offeram, eamq; amicitiæ fidem, quæ omnia amicorum cõmunia eſſe vult. Neq; ego tamen conſilium tuum capere adhuc potui, quid eſſet cur tu aut Patauium Romæ, aut deniq; locum in terris vllum huic vrbi, ad tuorum ſtudiorum rationem anteponeres. Quod vero in eiſdem adiungis literis ſperare te atq; exiſtimare, fore tibi aditum ad ſummi Põtificis familiaritatem, potiſſimum operam nauante me, hancq; de te vt ſuſcipiam cogitationem me vehementer rogas: alterum mihi ſubmoleſtum, me à te rogari, alterum etiamdum incertum, quid me ſim facturus. Quanquam enim in alterius manu videatur ſitum, qui meæ vitæ ſtatus, & quod actionum mearum curriculum futurum ſit: tamen non tam id vereor, vt mihi ſit ad fortunas vberiores & ſplendidiores

aditus, quàm illud fixum in animo & ſtatutum gero, nullam auram honoris, nullam ſpem eſſe vel ampliſsimæ dignitatis, qui cum putem hanc ocij obleɛtationem, qua in re literaria iucundiſsime perfruor, debere commutari. Quare, aut hæc quoque mihi ſalua erunt, aut illa omnia etiam repudiabuntur. Sed de his ſatis. Ego, quod & noſtræ amicitiæ proprium, & mea erga te voluntatis perpetuum ſemper fuit, quæcunque ab amiciſsimo & coniunɛtiſsimo homine ſperanda ſunt, iubeo ea te à me non ſperare ſolum, verum pro tuo iure etiam expeɛtare. Vale. Ex Vrbe ſexto Nonas Iulias.

IACOBVS SADOLETVS, Chriſt. Long. S.

ACcepi tuas quaternis, vt ais ipſe, meis literis reſcriptas, in quibus omnia me deleɛtarunt, ac præſertim illud, iamdudum te cognoſſe, te à me diligi: quod equidem tribuo iure cum virtuti tuæ atque doɛtrinæ, qua, vt ego mehercule ſentio, ita nunc præſtas, vt ſpem quoq; nobis præbeas te ad ſummum huius laudis peruenturum: tum vero probitas mihi tua viſa eſt ſemper amabilis, ac ea in primis animi altitudo, qua reie-

ctis patriis nationibus in Latium te atq; ad Italiam, commune ea fruendæ humanitatis cauſa remigraſſe, ſed hæc ſatis iam nota omnib. eſſe & teſtata deberet. Quod de Celſo durius ferre viſus es, agnoſco equidem nec reprehendo iuſtam iracundiam. Verum ille præclariſſimæ indolis adoleſcens, ſubita morte ereptus patriæ atq; ſuis, multorum ſpem, quæ de eius futura dignitate præcepta fuerat, ciuiumq; ſuorum amorem repente orbum & deſolatū reliquit. Liceat ergo eius manes non ſolū pacatos, verum etiam laudatos ab omnibus nobis quieſcere, cuius ego vinctis inimicitias cōtra te ſuſceptas non accuſare, ingenium vero & reliquam probitatem non amare non potui. Cuius funus incredibile eſt quantus mœror bonorum omnium, & qua publica lamentatio fuerit proſecuta. Principis erga te volūtas propenſa eſt: ac vellem in tuis literis adſcripſiſſes, ecquid de tuo aduentu in vrbem, quod ve ad tempus nobis ſperandum eſſet. Libentius enim cum eo cōmunicaſſem. Nunc ſuadeo tibi, vt omnino & celeriter ad eum ſcribas: nec ſanè apparatu opus eſt, nihil illo facilius, communius: gratam in primis habet obſeruantiam eorum, quorum apud animos viuere intelligit memoriam nominis & liberalitatis ſuæ. Quod ad illud munus attinet, quo ego te vocari omnium expectatione antea

tea ad te ſcripſi, diſputas tu quidẽ in vtranque partem, ſed in eam pronius, quaſi vile hoc aliquid & parũ homine ingenuo dignũ conſtituas, in quo ego iudicium non interponam meum: ſatis enim in te ſtatuo eſſe conſilij: in eo vtique patieris te obiurgari, ſi iure nimium mihi aſperas & duriores, quã natura fert, res tuas fingere videris mi Lõgoli. Habet omnino omnis præclara virtus æmulationem quandam, & afflatu inuidiæ attingitur: non vſque eò tamen, vt de vita in diſcrimen veniendũ ſit: ciuiles accidunt diſſenſiones, & comes gloriæ obtrectatio, oratio etiam quandoque aſperior: verum ea citra facinus. Quanquam ego te ſi ad eam prouinciam dedidiſſes, ſpem maximam obtinebam, ſopitum iri facile omnes illas inuidiæ tempeſtates prudentia tua: nihil enim æque atque facilitate & patientia frangitur cõtumacia, & ea demum in magnam gloriam vertit, ſi qui vti ſciunt: quod qui ignorãt, ij non fortunæ culpam accuſent, ſed reprehendant ſuam. Te quidẽ optimis literis, honeſtiſſimis artibus præditũ, ciuitatis eius ciuem ob honorem virtutis factum, è qua in omnem terrarum orbem, totius humanitatis & ſapientiæ non magis præcepta, quàm exempla redundarũt, attollere animum decet ſupra huiuſmodi iniurias, & omnem leuitatem virtuti obtre-

ſtantium, animi tui conſtantia inferiorem ducere. Quare ſi in eam ſententiam te contuleris, vt tibi illuc adeundum, oblatúmque negocium ſuſcipiendum videatur eſſe, quid dignitatis tuæ ſit, ſtatues ipſe: nõ enim audeo monere te in hoc, vel hortari, aut ſi id quoq; noſtra amicitiæ ratio poſtulat, ſatis à me ſuperioribus literis factum eſſe arbitror: capiti quidẽ & ſaluti tuæ nullum inde periculum impendere, & ego certũ habeo, & tibi fidendi autor ſum. Nam de emolumẽto quod quæris, ſpero confici poſſe in annuum ſtipendium, aureum numûm ad quadringenties: quod mehercule rarum auditu eſt, vel mirabile potius, in hoc genere dicendi: ſed tanta eſt opinio tui, noſtris quoque & aliorum teſtimonijs corroborata, vt videantur qui te expetunt, quò volemus adduci poſſe. In quo amplius etiam cõtendemus, quam diximus, vbi certum ſcierimus, quod tibi deniq; de ea re fuerit conſtitutum. Nam vt conſtituas primo quoque tẽpore, ne diutius illi à me expectatione ſuſpenſi teneantur, te vehementer rogo: quodcunque certe conſtitueris, id indicabo rectum. De oratione tua, quòd ægre vulgatã fers, agnoſco vim iudicij tui: ſperas enim te melius ſcribere & accommodatius poſſe. Res quidem ipſa pleniſſima laudis fuit, nec à me ſcriptum quicquam quod aſſentationi ſit, quàm

BIBLIO SEVILLA

quàm veritati propius. Neque eò nunc dico, quin in ea nonnulla inſint, quæ diligentius perpoliri poſſe videãtur: ſed totum illud præclarum eſt, & ingenio, & copia, & quod maxime mouendis affectibus, tua omnium celebrationem & laudem meruit oratio. Quocirca bono te animo eſſe volo, itáque exiſtimare, ſi quid in me veri & recti eſſe putas, fuiſſe eam rem tibi gloriæ. Cætera, ſi qua reſtant, cum ociũ erit, ſcribemus ad te vberius: nam vt nunc ſe res habet, ſcito nullum mihi diem à publicis vacare curis, vt ne ſuccisiuis quidem, quod aiunt, horis ad mea exoptata ſtudia mihi detur reditus: ſed hoc Deus viderit. Bembo meo, quem auide expecto, plurimam meis verbis ſalutem dic: itemque Nicol. Teupolo. Vale. VI. Cal. Mart. die biſſextili.

IACOB. SADOLETVS Chriſtoph. Longolio S.

Tantum literas tuas acceperam Venetijs datas, cùm has ad te exaraui tertio loco. Nam binas antea ſcripſeram: vnas, te prouocans, & de ijs quæ poſt tuum diſceſſum acciderant certiorem te faciens: alteras ad illas Lugdunenſes tuas, quarum exempla tibi miſi, poſtea quàm non mediocri mea cum moleſtia ad te non fuerãt allatæ: ſed & ad Budæum ſuas, eodem item exemplo: quæ

accipe in bonam partem, néue tabellariorum negligentiam mea culpa adſcribito. Lælius enim receperat curaturum ſe, vt recte redderentur. Quæ de Bembi noſtri humanitate erga te & liberalitate ſcribis, mihi noua non ſunt: eſt enim ille vir omnibus numeris abſolutus, princeps optimarum artium: cui te conturbernalem factum & mehercule lætor, & ſubinuideo vobis tamen ſuauitatem congreſſus, ſermonumq́ veſtrorum. Pontifex te ad vrbem expectabat, ex meq́ de reditu tuo percontatus eſt: incidit enim ſæpe, vt de te habeatur mentio ab illo ſanè perhonorifica, & plena amicæ voluntatis: quare ad eundē ſcribas plane conſulo. Orationem tuam ſi huc miſeris, legetur ea & à me, & ab ipſo ſommo Principe perlibenter. Ego ex plurimis occupationibus quibus hoc tempore vrgeor, hoc tempus eripui reſpondendi tibi, idq́ raptim: tu ignoſces literis perperam ſcriptis, méque amabis, & iſtis omnibus ſalutē à me dices. Ex vrbe. IIII. Non. Ian.

ERAS. ROTERODAM.
Chriſtoph. Long. S.

CVm multis nominibus mihi iucūda fuit, eruditiſſime Longoli, epiſtola tua, non illa quidem ad me ſcripta, ſed de me: tum

hoc

hoc præcipue, quod mihi renouauit Veterem ingenij tui notitiam, ac ſpem eloquentiæ nequaquam Vulgaris, quam ante complures annos conceperā ex oratione panegyrica, qua laudes diui Ludouici, ni fallor, Galliarum regis admodū adhuc iuuenis es proſequutus. Epiſtolam exhibuit Ruzæus Vrbis Lutetiæ ſuppræfectus, homo tum eruditus ipſe, tum eruditionis alienæ mire candidus æſtimator. Tantum autem abeſt, Vt ægre feram mihi præferri Budæum, Vt in illum penè parcus, in me prodigus laudator fuiſſe Videaris. Abunde multum illi tribuit tuus candor, ſed quoties hominis dotes prope diuinas contemplor, Videor mihi Videre quiddam maius omni facundia. Mihi Verò tantum tribuis, quantum nec agnoſco, nec poſtulo: cui abunde palmarium eſt ac triumphale, cum Viro modis omnibus incomparabili comparari: neque poteras mea quidem ſententia, plenius honeſtare famam Eraſmi, quàm ſi illum faceres ita poſteriorem Budæo, Vt eum non longo interuallo ſequeretur. Maiore tamen cum Voluptate Budæi laudes legi quàm meas, Vel quod illius gloriæ ſic faueā, Vt nullius æque, Vel quod quicquid illi poſſeſſionis eſt honeſtæ, id meum etiam eſſe ducā: non tantū publica illa Pythagoricorū lege, quæ Vult inter amicos eſſe cōmunia omnia, Verumetiam peculiari

 liari

liari fœdere, quod verbis rite conceptis & ſyngraphis obſignatis inter nos iampridem pepigimus, ne alter vtri fas ſit inficiari. Belle tu quidem me mihi depingis, ſed haud ſcio an omnino meis coloribus. Et tamen ad hanc tabulam ipſe mihi nonnihil blandior, non quod illi prorſus credam, ſed quod iuuet Appellis manu depingi. Porrò cùm indicas, quid in me deſiderent Critici, non minus cepi vtilitatis, quàm voluptatis: quanquam ad quædam vtcunque tergiuerſari poteram, niſi tuo indicio tam impenſe fauerem. Nam quod ſcribis me fauere meis vitiis, credi mihi non tam fauor eſt, quàm vel inſcitia, vel potius pigritia. Sic ſum, nec poſſum naturã vincere. Effundo verius quàm ſcribo omnia, ac moleſtior eſt recognoſcendi quàm cudẽdi labor. Iam vt in delectu verborum nolim omnino videri indiligens, ita non arbitror congruere ei, qui res ſerias perſuadere cupiat, in affectandis dictionis emblematis eſſe meroſum aut anxium. Neque vero mirabitur eloquentiæ noſtræ riuum alicubi turbidum fluere ac lutulentum, qui cogitarit, per quos autores decurrat, nimirum ſordidos, & impuri ſermonis, vt non poſſit hinc non aliquid limi ducere. Vſu venit hoc non raro ſummis illis eloquentiæ proceribus, vt in Græcorum voluminibus verſantes, frequenter imprudentes

Græcè

Græcè loquerentur. Illud haud ſcio an ſcribæ debeat imputari, quod mihi tribuis immodicam ſermonis vbertatem, quæ dos nimirum Budæo peculiaris eſt. Nam rectus ac nudus orationis ductus, ſimplici naturæ congruit: nec mirum eſt humilem eſſe ſermonem, cuius humilia ſunt omnia, corpus, animus, fortuna. Porrò nimis crebras & immodicas digreſſiones, quas nobis communiter aſſcribunt Critici (nam ſub horum, ni fallor, perſona maluiſti tuam indicare ſententiam) iam mutuis literis vterq; alteri obiecerat. Cùm primis autem demiror, qui tibi ſuccurrerit demirari cur Galliarum princeps Frãciſcus Germanũ Gallo, exterum ciui, ignotum familiari prætulerit. Neutrum alteri prætulit rex, ſed vtrunque alteri ſtuduit coniungere. Neq; enim cuiquam ſuo loco cedendũ erat, ſi me in Galliam contuliſſem: tantum abeſt vt Budæo fuerim officcturus. Quod ſcribis & ditionẽ, & patriam, & linguã mihi tecum eſſe cõmunem, non tam mihi gratulor, quàm huic regioni, quã vehemẽter gaudeo talibus, hoc eſt veris ſemperq; duratis ornamẽtis indies magis ac magis illuſtrari. Proinde nihil optatius mihi poſſit accidere, quàm multos exoriri tui ſimiles, qui nobis in hoc laudis ſtadio, nõ modo accedãt, ſed etiã antenertãt: & quicquid eſt hoc nominis, quod mihi mea

peperere ſtudia, ſuo ſplendore obſcurent. Sed tamen agnoſcet opinor poſteritas, nobiſque nonnihil debere ſe fatebitur, quod parũ felici ſeculo, quod his regionibus, in quibus prorſus extinctæ fuerant & inuiſa bonæ literæ, longum & inuidioſum certamen ſuſtinuimus aduerſus pertinaciſſimos meliorum ſtudiorum hoſtes. Sed vtcunq; de nobis cẽſebit ætas ſecutura, volupe eſt interim optimas literas paſſim feliciter efflorescere. Bene vale Longoli doctiſſime, & in hac ſtudia, vt cœpiſti conſtanter ac feliciter incumbe. Louanij. Cal. April. Anno M.D. XIX.

GVLIEL. BVDAEVS Chriſtoph. Long. S.

Hilaribus ad veſperam literas tuas accepi, cum Iacobi Sadoleti literas ac Petri Bembi, hominum tibi amiciſſimorum, vt eorum teſtantur elogia. Hominem verò te felicem, ac beneuolentibus Gratijs literarum iſtarum ſtudium auſpicatum: cui in vrbe incola id contigerit, quod ciuibus in ſuis oppidis vſu venire non ſæpe ſolet, tantorum vt virorum ad vnguem abſolutorum amorem, ſuffragationem, patrocinium, tam propenſa emerere. Ita autem mihi propitiã detur eſſe Mineruam, vt cauſam hanc vnam ſatis eſſe

credo

credo, quamobrem domo ſeſe exterrem homo literarum cupientiſſimus faciat: conſuetudine Vt Vti poſſit, officiorúmque Viciſſitudine huiuſcemodi Virorum rei literariæ principũ. Tametſi doctrinæ & eloquentiæ ſplendorem, humanitatis, comitatis, ac modeſtiæ peringenua dignitas & ſpecies obſcurat ac præradiat, in Vtriuſque literis elucens mirifice. Ipſe dum in Aula Verſabar, eorum nomen celebrari magnopere intellexi, Principis etiã opinione, Pontificisq́; epiſtolam Vnam Vidi à Sadoleto ſubſcriptam, in qua ſtylum admiratus ſum, ad decorem attemperatum grauitatis ac dignationis Pontificiæ, purum atq; latinum. At nunc in ea epiſtola, quam ad me ſcripſit, in qua ſuus ipſe totus eſt Sadoletus, Tullianã phraſin animaduerti, parũ hac ætate Vſitatam, Characteris priſci, non adulterati exemplũ. Certe ad Vtrunque religioſius poſthac, atq; etiam cunctantius conſultiusq́; ſcribam, qui mihi eruditionis ſuæ documentum luculentũ paruo ſpecimine dederunt, ſcilicet (quod aiunt) leonẽ ab Vnguibus. Ad quos tu ipſos (ſi dijs placet) Viã iamiam initurus, equumq́; prope admiſſurus, epiſtolas me expedire, ac Velut è penu literaria atq; etiam promptuari quodã facundiæ promere cẽſuiſti, & tandem extrudiſti: cùm etiã tum ipſe ſarcinas componerẽ, tumultua-

rie in villam migraturus. Prædiceres igitur, vt lectißimũ quodq; belliſſimumq́; huiuſcemodi viris apponerem accurate & religioſe. Id quod cùm nõ feceris (vt ſatis meminiſti) illud ſaltem mihi cauere ab ipſis non grauabere. quib. tu adeò commẽdatus es, ne fraudi ſit nobis viros eloquentiæ primores laceßiſſe, cùm autoritati tuæ tribuere me id volueris, periculũq; receperis, nec ipſe negare tibi amicitiæ munus ſuſtinuerim. Id tu ſi bona fide mihi accuraueris, Suppræfectum Ruzæum placatiorem tibi ipſa placabilitate præſtabo, epiſtola priuatim elaborata, aut mihi infenſum reddam, litemq́; meam veſtræ cõtrouerſiæ faciam. Iam de te hominem caram non ſemel aggreſſus ſum, inopinatoq́; adortus: ſed in vrbem non niſi negocij cauſa ventito, & hac hyeme morbo mihi iniuſto, quem iam annum hunc quartumdecimum circumfero, nec excutio, conflictatus ſum grauiter, & ad inertem vſque animi deiectionem. Quare ſolitudinem captare inſtitui, quantum per officia vitæ iniuncta licebit, & rei œconomicæ procuratione. quam detrectare nequeo. Quod de annotationibus ſcribis, fruſtra eſt, & iocari te ſuſpicor, qui ſatis noſti (vt opinor) quid mihi ſit ea de re animi. Iã id mihi nomen expunctum ſatis eſſe confido Alziati fide, qui expromiſſorem ſe obtulit, vltro ille

quidem

quidem & conſtituto obſtrinxit, me tacente, quo ſcilicet fidem meam ſolueret. Is cùm ſit longe me locupletior, præſertim in ære ſuo meóque ſimul, (neque enim planè facultates eius noſſe licet ex eo genere, quod in manu mihi fuit) cautum ſanè mihi pulchre eſſe sõ-fido, neminem eo nomine poſtea potiturum, eorum quidem certe qui animaduerterint, non modo felicem eius fuiſſe in contrectandis Pandectis Florentinis, & penes ſe habendis: ſed etiam qui induſtriam eius & ſolertiam in ſarciendis locis, bona fide æſtimarint. Nam populo cautum eſt egregie prædibus ac prædijs, vt dicitur. Prædes appello Paradoxa & Diſpunctiones, & alia quæ ille velut conductor ac redemptor ſartorum ac tectorum iuris tuendorum edidit. Hanc ipſe redemptu ram operis cùm vicerit, nihil vtique iam ad me pertinet eiuſce rei, cuius ipſe manceps factus eſt omnibus (vt opinor) approbantibus, duntaxat qui digni ſunt & idonei, quorum nomina ſint in albo. Itaque hanc tibi atque omnibus renuncio pollicitationem, quam feceram. Digitum ille ſuſtulit, & conducenti ceſſiſſe me teſtatus ſum. Quid eſt igitur iam, quod hac de re appelles? abunde eſt mihi ſi bona fide mecum egerit, de ijs quidem certe quæ a me inchoata vtcunque erãt, ſi tamen illa quadrare poſſunt operi ab eo inſtit

inſtituto: id quod mihi videtur ipſe exiſtimaſſe. Quòd ſi quibus in locis in ſpeciem opus ipſe ex rediuiuo, quaſi nouum extruxit: bona fides hoc poſcit, vt mea rediuiua ſint. In his igitur vtrum fidem ipſe bonam agnouerit, ſecum ipſe aut cum amicis ſtatuat, ego rem deducere in iudicium hominum non ſtatui. Librum eius Diſpunctionum legi, lectione tumultuaria & interrupta: cùm nuper in vrbe noſtra eſſem ob negocium accitus. Multa præclare ab eo animaduerſa & conſtituta reſtitutaq́; mihi viſa ſunt: idq́; ipſe affirmaui inter homines, qui non ſatis mentem eius ſententiamq́; capiebant, & ille nonnulla acrius ac felicius deprehendit, quàm explicauit ad captum plurimorum. Librum cùm venalem diu non inueniſſem, vtendum ab amico ad paucos dies, atq; etiam horas rogaui. Eſt tamen locus vnus in quem incidi lectione ſubſultante: neq; enim ſeriem ducere vacabat in chartarum euolutione. Locus eſt (vt memini ſſe videor) in titulo, Si certum petatur, libro 12. Pandectarum. Quo in loco cùm quindecim mutua vulgo legatur: ipſe quindecies ſeſtertium legendum affirmãs, ait me (vt verum eſt) hanc locutionem, centies centena millia ſeſtertium eſſe interpretatũ: ſeq́; mecum ſentire. Sed ea ab antiqua lectione argumenta in libro meo collegiſſe: quæ ſi cui calum-

calumniari collibuiſſet, diſſolui facile atq; refelli poſſent: me ſcilicet ille quidem aut inſcitiæ pudendæ nota, aut certe negligentiæ aſpergens, aut inuenti autoritatẽ eleuans. Et ipſe tamen locum vnum Liuij citans, quem non memini, ait ſe firmiſsimam columnam operi meo ſubieciſſe, qua me hominem (vt ipſe inquit) quamlibet oculatum fugerat. Quo fit, ſi homini docto credimus, vt inuenta illa mea de Aſſe, & rei numerariæ ratione conſtituenda, quæ ego magno labore atq; animaduerſione non oſcitante, in eum operis titulum haud ipſum paradoxum, conſtruxiſſe gloriabar interdum, & nunc etiam dicere non vereor, leui momento ruitura, & primo quoq; impulſu collapſura fuerint, niſi columnam illam adamantinam operi meo homo ſanè doctus & ingenioſus obiter affirmauiſſet. Me miſerum ſi ita eſt, nec venia certe dignum, nec miſericordia, qui tantam operis fiduciam præ me toto in opere tulerim: quod tibicinibus multis atq; impeditis tam leuiter fultũ ſit, vt vnica columella ab Alziato aut alio forte reperta, omnibusq; obuia, inſtar eius fultura non modo præſtare, ſed etiam luculenter ſuperare videatur. Vnde fit, vt argumentoſi mihi operis laus ſuſcepti, quaſiq; inchoati, Alziato probati perfectiq; debeatur: quippe qui rei cō perta argumenta tantùm adumbrauerim,

cùm

cùm ille veritatis demõſtrationem poſtea expreſſerit, nutantem rei opinionem confirmarit, operi columen addiderit, deniq; (vt dicitur) colophonem commentationi impoſuerit: cum interim ineptus ego tanto errore ducerer, vt decẽ plureis q; huiuſcemodi columnas, nec deterioris marmoris, nonnullas etiã eiuſdem ſtatuiſſe ac confirmaſſe operi iam ſolido exiſtimarẽ, nec labefactabiles. Quas omneis ſanè vereor, vt ipſi Alziato ſatis ocioſe percenſere arbitrariq; vacauerit oculis quidem proprijs, non vicarijs. Nam primum vix ei licuit id facere rebus in grauioribus occupato, vt ex ijs quæ ſcripſit, coniectu promptum eſſe videtur: multiplici enim multaq; lectione vidimus, & accurata eum occupatum fuiſſe. At libri de Aſſe plena iuſtaq; lectio atq; animaduerſio, acrem & multam intentionem poſcit. Deinde in ſuperiore loco explicando, in quo operis ipſe particulam architectonico oculo menſus eſt, diligentiam ſuam animaduerſionemq; nec mihi vnquam probauerit, nec tibi, vt opinor. Sacramento enim iuſto contendere cum eo non dubitarim, indicemq; ipſi ex numero acrium hominum & peritorum ferre, vt ille eo ipſo in loco, quo me modeſte quidem & docte, ſed tamen vtcunque compellauit, & in tranſitu perſtrinxit, tota decempeda lapſus ſit: luculento etiam

errore

errore decumanoq́ (quod dicitur) prouectus, in loco Pandectarum reſtituendo, quantúmque centenarius à millenario diſtat, tantùm ipſe abfuerit Alziatus à veritatis inueſtigatione, homo alioquin egregie doctus, ſtyliq́ facultate & intelligentia rerum præditus, dignusq́ mea ſententia, quam hic conſignatam volui, cui publico conſenſu emendatio Pandectarum, eiusq́ diſciplinæ conſtitutio mandetur, & in integrum reſtitutio, vt quidem fieri poteſt: vſque adeo doctrinam mihi induſtriamq́ probauit: non etiam magnopere æquitatem in pauculis locis à me ante animaduerſis & explicatis. Hominem Auenione vidi eximia ſanè comitate gratioſum & amandum, quantum indicare licuit ex congreſſu breuiſſimo. Ad me enim adijt officioſe ſtatim atq; in vrbē veni, contrà quàm decuit omnino, niſi mihi ipſe anteuertiſſet exhibitione officij ſuper cœnam fabulanti cum homine mihi noto, nec ſatis tum valenti: & poſtridie matutino proficiſcendum mihi fuit: obiter enim illuc veneram digreſſus à comitatu. Neq; vero exiſtimo eum cupiditate maleuola prouectū, incidiſſe in mei mentionem (poterat enim ſi hoc quæſiuiſſet, Annotationum loca non pauca, vt opinor, ad reprehenſionem arripere ſpecioſius) Sed cùm in Liuij authoritatem incidiſſet à me intactam: & laudem

laudem eam maiorem nomine & Franci hominis & Budæi eſſe duceret, huius quoque partem vendicare in tranſcurſu voluiſſe. Vſque adeo rara ſunt exempla candoris atque æquitatis inter homines gloriæ amatiſſimos: paucoſq; reperias innocenteis & integros in aliena laude contrectanda. Hac ratio cum alioqui ipſe animo fatiſcerem & languerem, me impulit vt his atque huiuſcemodi ſcriptis superſedere ſtatuerem, quæ ſine Herculis vxore (vt ita dicam) tueri ipſa ſeſe nequeunt. Mihi iam exceſſit ætas ab iſta concertandi contentione: ſine qua iacere multis videtur ſcriptorum opinio, operumq; elucubratorum iudicatura. In alio verò genere nauare operam malim (niſi mihi humanitus quid acciderit) in quo totus ipſe meus ſim, & cum plenius animo meo vberiusq; obſequar, tum etiam minus metuam ab oculis faſcinantibus: non quod inaudito priuilegio ſacroſanctam exiſtimationem librorum meorum eſſe poſtulem: (neque enim tam aut hebes, aut inſolens ſum:) ſed ſeptum me magis puto fore, ſi ab inuidioſis argumentis ſtylum abſtinuero. Proinde libera fidem meam, ſi potes, vtcunque ſe tibi occaſio obtulerit, quam teme re obſtrinxi, non ſatis explorata magnitudine rei, perpenſiſq; facultatibus meis. Sin pergis ipſe quoque pro more tuo apparare me

duriuſcule quid ni poſſim ſi velim, ſummoue re te longi temporis præſcriptione? Quanquã quis tibi alioquin actionem daturus eſt aduerſus hominẽ qui ſolùm vertit, ac foro iam vrbéque ceſsit? Vidiſti enim me ruris incolam cum cœnobiarcha Aſpromontano, qui vt valeat ipſé etiam atque etiam opto: vnus ſanè optimæ notæ iuuenum, quos hæc edidit ætas ad honeſtatis doctrinæq; præſidium, cuiuſmodi homines ſingularis quædam ſors geniture tibi conciliare ſolet. Scribam (vt opinor) Sadoleto & Bembo, viris ad vnguem conſummatis & perpolitis, quorum tantam iſtam beneuolentiam prope eſt vt tibi inuideam. Vale, & accingere primo quoque tempore ad eam contentionem, vt nomen tuum Gallicumq; illuſtres: nec ſinas me iam quinquagenario maiuſculum, in ea expectatione tui conſeneſcere, in qua hactenus acquieui. Beaſſes me de iſta bibliotheca Alexandrina æmula: niſi ſemifracto animo eſſem ob hanc flagitioſam valetudinem, quæ multas æquat ærumnas. Nam de hoſpitio beatus mihi videre: propter quod vadimonium deſeri vel ad tribunal Caſsiani iudicis poſsit, vt fuit in prouerbio. E Marliano noſtro. Cineralium die. Sed Rex longiſsime hinc abeſt, & literæ ad Legatum Venetorum mittiendæ, quare metuebam ne intercciderent. Salutabis mihi

Egnatium, quem miror literis meis non reſcripſiſſe, quas ei redditas eſſe ex theſaurario Inſubriæ Grolierio cognoui, homine Egnatij amiciſſimo, omniumq́; doctiſſimorum. Vale.
καὶ ἕνεκα τῶν φιλιῶν τῶνδε τῶν ζήλου ἀξιωτάτων. *e Martiano noſtro,*
5. Calendas
Martij.

BARTH

BARTHOLOMAEI RICCII DE IMITATIONE, AD Alfonſum Ateſtium Principem, ſuum in literis alumnum, Herculis II. Ferrarienſium Principis filium.

LIBER PRIMVS.

CVM de me ſæpius audires, Alfonſe Princeps, in omni facultate imitandi rationẽ plurimum conducere, eamq; vnã eſſe artem, qua quicquid ageret quis, illi quaſi & rectã, & facilem agendi viã præmuniret, atq; conficeret, cõtra verò qui ea careret, illũ laborioſe omnia, et fruſtra conaturũ. ac maiores noſtros cũ illa, atq; adeo cũ poſteris iniquius egiſſe, qui cũ de cæteris omnibus ingenuis artib. abſolutiſſime ſcripſiſſent hanc vnã tam nobilẽ tamq; neceſſariam potius indicaſſent, quàm quod ad eã intelligendã, atq; percipiendã ſatis eſt omnino præſtitiſſent. de me eodẽ audires: mecũ ſæpius egiſti, vt quid ego de imitatione ſentirẽ, ac quæ

de ea præcepta tradi poſſent, ad te copioſe perſcriberē. quæ tua honeſtiſsima petitio me diu, multumq́; torſit: ſciebā enim me tua cauſa & debere, & cupere omnia. contra verò ſum vis rei difficultate, quo minus & animo meo obſequi, & morē tibi gerere poſſem vehementer impediebar. Nam ſi ulla mea eſt dignitas, quæ haud fortaſſe exigua eſt, eā totam à te eſſe mecum omnes ſciunt, cum hoc loco, quo me Hercules pater tuus apud te eſſe voluit, tum quod ipſe eius iſtis ſtudijs maiorē mihi in dies gloriam cōparare contendis. In re autem tanta ſuſcipienda qui deterreri nō poteram, cum ſcirem primum maximam eſſe controuerſiam, utrum imitatio daretur nec ne? deinde ſi daretur omnino, quibus in præceptis ea deliteſceret, mihi penè diuinandū eſſet, cum de ea multi multa diſputent, pauci antē hanc ipſam aut ſequātur, aut etiā norint. ac quod unum in tanta rei difficultate mihi certiſsimū præſidiū eſſe potuit, ut aut te ad parentem tuū reijcerem, qui quàm paucißimis rem tantā tam abſolute, quàm etiā amanter explicaret, aut ſalçē ego eius conſilio uterer, ac ad eius ſententiam meam ſcriptionem accommodarem, utrunq; multiplices eius fœliciter gerēda reip. cogitationes mihi prorſus auferebant. Illud etiam accedebat quòd cum duo ſcriptorum genera ſint, unum,

quod

quod ab imitatione prorſus abhorret, alterũ, quod & eam optime callet, & in ſuis ſcriptis fideliſsime complectitur, ab vtroq; mihi magnopere pertimeſcendum erat: ne ſi hoc quod illa optime vtitur, me quicquam in eius præceptis tradendis aut negligenter omiſiſſe, aut parum prudenter vidiſſe (quando & ego in tanta rei difficultate non poſſem non aliquid admittere, & ea plerunq; ſint hominum ingenia, quæ longe vitia, quàm virtutes attendant acutius) ſua diligentia animaduertiſſet meum hoc omne ſtudium iniquius accuſaret, atq; inſectaretur ardentius. Cum neque id quoq; prorſus contemnendum videri debuit, ne quòd iſti ipſi tritiſſimam viam quaſi communire voluiſſem, quodam modo ſubindè gnaretur, ac minime æquo perferret animo. Ab altero verò, quod in ſua loquẽdi licentia libertatem communis orationis tueri profitetur, cuius numerus tanto eſt maior, quanto etiam nequior, magnum periculum erat, ne id me in iudiciũ vocaret, ac iniquiſsime proditionis reum faceret, qui non patriã, ſed germanæ locutionis libertatẽ prodidiſſem, quãdo ego vnus tandem exorſus eſſem, qui eos ad aliorum rationem loqui vellem. Quæ me duæ res grauiſsimæ ad hunc vſq; diem à ſcribendo retardarunt, ac penè etiam prorſus deterruerũt. Sed cum is meus ſemper animus fue-

 rit,

rit, atque ea ſententia, vt exiſtimarem nullum maius vitium eſſe, quàm officio non reſpondere, neque culpam vllam maiorem contrahi poſſe, quàm de nobis optime meritis nullam memoris animi facere ſignificationem, malui à cæteris omnibus prudentiam meam accuſari, quàm à te officium meum deſiderari. ſim ergo qui primus audeam de ea facultate abſolutius ſcribere, quæ tam difficilis eſt, quàm etiam præclara, quæ præclariſsima eſt. me huius amici etiam oderint, accuſent inimici, aque imperiti. Tu vero me eundem aliqua ex parte gratum habe, quique, in quo poſsim, gratiam tibi aliquam retuliſſe videar, tibi affirmo hoc vnum mihi multo plus voluptatis, quàm moleſtiæ illa omnia, eſſe allaturum, meq; præ hac animi mei benigna ſatisfactione nihil aduerſariorum meorum calumniam, multo vero minoris inanem accuſationem prorſus eſſe facturum. En igitur, Alfonſe Princeps, quæ mea ſit de imitatione ſentētia, ſimulq́; eius præcepta, quæ à me tantopere expetebas, in hiſce tribus libris tibi fideliter perſcripta, cui vniuerſa ſita, vt locutioni adhuc feciſti atq; adeo quotidie perbelle facis, æque ſtudebis, non dubito, quin breui, quicquid tibi ſcribēdum accidat, id & facile, & certa cum ratione facere poſſis, ſed iam imitationē ipſam aggrediamur.

CVM

Cvm igitur de imitatione, de qua hæc à nobis eſt omnis ſuſcepta diſputatio, variæ ſint autorum ſententiæ, percommode hoc loco me facturum arbitror, ſi prius, quàm ego quid de ea ſentiam, ac eius præcepta tradere aggrediar, aliorum opiniones accurata diſputatione refellam, vt quaſi totius ædificij fundamentis præclare iactis, reliqua inſtituti operis ſubſtructio facilius ad faſtigium ſuum perducatur. Duæ ſunt igitur opiniones, de imitatione inter ſe non leuiter diſſentientes: vna, quæ in ſua tantum natura, quantumcunq; nacta ſit, imitanda mirifice ſeſe oblectet, extrinſecus, quo melior fiat, nihil quærens omnino: altera, quæ contra ad alterius imaginem ſe totam conformare, atq; confingere prorſus ſtudeat, quam vnam imitandi rationem ita ſuſpicit, itaq; admiratur, vt in quo opere cuiuſque generis optimi authoris impreſſa, in quibus apte poſſit conſiſtere, veſtigia non agnouerit, quanquam id tale ſit, vt ex cæteris ornamentis nihil ei ad omnem commendationem deſit, nihil deſideretur amplius, illud ſe tamẽ poſſe cumulate laudare perneget. Neq; enim ego quenquam eſſe arbitror, qui, cum res, atq; artes ferè omnes naturam ducem ſequi atq; imitari magiſtram videat, tam à rerum omnium, atque artium inſtituto, atque conſuetudine abhorreat, vt nullum huic facultati in

rebus agendis vſum, per quam cæterarū rerū vſus maxime cōprobatur, attribuat omnino. Quid enim quæſo aliud eſt tota agri colendi cura, atque ſtudium, quàm naturæ ipſius non adumbrata, ſed expreſſa quædam imitatio? Illa agrorum ſiccitatem cœleſti humore tollit, homines vero, quod poſſunt, id ipſum irrigationibus efficere conantur. Quod ſolum naturæ eſt pinguius, id etiam multo eſt feracius, itaque in eo quod vt illa naturali careat, hominum ſolertia ſtercorationem excogitauit. ſtudiorum omnium moderata ceſſatione adhibita, ad ſuſceptum munus promptius cōficiendum, multo alacriores, atq; ardentiores redduntur homines, id quod in nouali agro prudens ſeruauit agricola. Quoniam vero naturæ nihil ſempiternum, nihil perpetuum habetur, omniaq́; quæ in has auras ſemel producta ſunt, ad interitum ſuum vt aliquando perueniant neceſſe eſt, aliud illa deficienti ſufficit ad lōgioris temporis propagationem, quo modo arbores tum inſitione, tum plantatione ab agricolis quotidie reparari videmus. Sed vt ab agro ad ciuitates, atq; ad nobiliores hominum artes me referam: Continuo philoſophia quæ eſt rerum diuinarum, atq; humanarum cognoſcendarum amor, & cupiditas, non ne in ſuis ſtudijs natura deſiderium ſecuta eſt? ſi quidem omnes homines nihil tam

natura

natura cupiant, atq; appetant, quàm ſcire, quàm intelligere? leges vero, quibus hominum ſocietas incolumis, atq; integra conſeruatur, non ne & ipſa quoq; in vetando, atq; imperando ad naturæ rationem ſua iuſſa cōſtituuntur? illa enim, quod honeſtum eſt maxime tuetur, atque amplectitur, ab eo vero, quod turpe ſentit, longe abhorret. hæ vero bonos præmiis, ſupplicio ſontes affici iubent. In vniuerſa vero dicendi arte quid aliud Rhetores attendunt, quàm vt eius præcepta omnia ad naturam ipſam accommodentur? Continuo enim oratori aut ab exordio, aut etiam ſine, incipiendum eſſe præcipiunt. quorum vtrunque cum natura maxime facit. nam qui incitato, ac grauiter cōmoto animo agit, irati naturam ſequens, ſubito in aduerſariū irruit, ac quaſi, antequam gladium ſtringat, ad manus venit. Qui vero ſedatius, ac tranquillius agunt, eorum eſt proprium exordiri, in quo aut auditorum animi ſtatim conciliantur, aut etiam reuocantur, ſi aliquo modo fuerint abalienati, quod totum item à natura eſt, quæ hominem docet, vt in eo, quod petat obtinendo, continuo, atque in ipſo actionis ingreſſu petitioni ſuæ ſtuaere incipiat, ac auditorum cum ad reliquam dictionem, tum ad rem concedendam faciliores ſibi comparet. Narrãdum eſt breuiter, quin in re nota ne

narrandum eſt quidem, propterea quod natura veritatem paucis contineri perno uit, ac ea, quæ optime nouerit, faſtidit, ſi ſæpius doceatur. Partitur item cauſam ſuam orator in pauciora capita, quaſi vero natura totam fabricam ſuam in pauca rerum omnium primordia diſpertiens, non illud facile commonſtrarit. Confirmare ſua, aduerſarij contra argumenta infirmare, atque debilitare debet orator, quod natura ipſa ad vincendum potiſſimum oſtendit, ſuas adaugere quenque debere vires, aduerſarij vero, quantum poſsit, infringere, atque comminuere Commode autem digredi a re, aut dicto aliquo auditoris animum defeſſum recreare, non poſtremum oratoris eſt officium, quia videlicet naturæ ſatietas in ijſdem, ac perpetuis rebus excitatur, atque commouetur maxime, defeſſa autem natura aliqua recreatione reficienda eſt, ſi eam integram ad rei ſuſceptæ finem feliciter perducere velimus. Poſtrema vero orationis pars ea eſt, qua auditorum animi maxime commouentur, cum eos aut ad odium, aut ad miſericordiam perorando traducimus, quæ duo cum natura maxime conſentiunt. Probe enim natura comparatum eſt, vt quiſque pro errati, ac ſceleris genere in ipſum reum aut leuius ad miſericordiam commoueatur, aut acerbius ad iram inflammetur.

quorum

quorum vtrunque eius orationis partis maxime proprium eſſe ſolet, vt aut ea ex aliqua æquitate miſericordiam reo comparet nō minimam, aut criminis atrocitate illum in eam inuidiam adducat, qua longe copioſius condemnetur, vniuerſa autem oratio ad Traſimachi ætatem nuda, ac rudis, quæq; tantum animorum ſenſa exprimeret, imperite, atq; negligenter eſt perducta, nulla enim in verborum collocatione iucunditas, quæ de induſtria conquiſita eſſet, nulla concinnitas ad aures quoq; oblectandas prorſus ſentiebatur. Traſimachus ad delectandum auditoru animū, numerum ſolutæ quoq; orationi primus admiſcuit, quem poſtea Socrates ſecutus longe hanc numerorum rationem moderatiorem effecit, quia ſciebant naturam hominū, quæ numeris cōſtet, è cœlo ductam, quaſi vnde facta erat, numererū dulcedine maxime delectari, id quod in poëtis, ac muſicis longe facilius cōprobatur. Medendi vero ars, cui vitæ recuperatio debetur, nónne & ipſa à certiſsimis naturæ experimentis profecta eſt? nam quemadmodum à canibus vomitionē, atq; à ciconia excrementi prouocatā deiectionē ex inferioribus partibus, ſic ab hirudinis ſuctu ſanguinis miſsionē mutuata eſſe facile videri poteſt. Quid autem pictor, quid ſtatuarius, cum ille pingit, hic format aliquam imaginem? nonne

ne quo propius ad naturam, aut hic celo, aut penicillo ille acceſſerit, eo etiam laudem feret illuſtriorem? Neq; vero viliores artificij facultates hac quoque imitandi ratione carue re. Veteres nauem fabricati ſunt. ſi queras vnde formam eam ſint mutuati, ab auibus ſumpſiſſe ſe reſpondebunt. nam remi alarum loco perbelle, perq; apte diſpoſiti, totum corpus ad curſum, quaſi auem ad volatum impellere videntur: vnde e iam ſcriptores dixere nauem volare. contra vero de auibus, iidem remigium alarum vſurpare non dubitarunt. Quin etiã vt in auibus, ſic in nauibus roſtra ſunt dicta, ac vtriuſq; nomen (ne quid ſimilitudinis omittam) quàm penè idem ſit, quis non intelligit? nam ſi primam tantum alterius literam tollas, alterius integram vocem remanere videbis. Sed hæc hominũ ſunt, quæ ſubſequuntur animalium, Coruus ita articulatam vocem in ſalutando Cæſare aliquando protuliſſe fertur, vt illum penè fefellerit, ac pro homine acceptus ſit, & noſti quam rauce, quàm aſpere incrocitet, ad quam item vocem effingendam (vt nunc complures in hoc genere auiculas omittam) Coruo Pſyttacus nullo articulo obſcurior habetur, ita enim apte, & explicate vtrique literas omnes exprimunt, vt, ſi non videantur, eam vocem prorſus hominem ſonare credas. Vnam ſimiam in

hac

hoc genere præterire non poſſum, quod animal quàm natura, & facie, & geſtu ridiculum effinxit, tam ei mirum ad omnia imitatione effingenda artificium adiunxit. Omnis autem adminiſtrandi imperij ratio duplex eſt. Vna, cum ſolus Princeps, altera, cum ciues ipſi Rempub. communiter gerunt: hæc in formicis, illa in apibus conſtantiſſime cernitur. Quid vero quòd ne arbores quidem artis huiuſce expertes remanſere, quæ tantum abeſt vt alienam naturam refugiant, vt eam etiã prorſus induentes, ſuam quaſi dediſcant, ac (vt inquit Maro) mirentúrque nouas frondes, & non ſua poma. Omnia ſi denique diligenter animo perluſtrabimus, nihil tam humile, nihil tam abiectum in naturæ opere vniuerſo reperiemus, cui natura ipſa non aliquid attribuerit, ad cuius quaſi regulam aut viuendi, aut agendi rationem dirigat, atque contendat. Quæ cum ita ſint, vt quicquid agatur, id ad alicuius naturæ, aut ſuæ, aut alienæ rationem omnino agendum ſit: iam videamus vtrum alienam tantum, an noſtram propriam naturam (quemadmodum à nobis initio eſt propoſitum) ſequi debeamus imitando. Ac quod ad eos, qui in ſua tantum cuique manendum eſſe cenſent natura, quibus id argumentis conuincere conentur, primum videamus. Id igitur iſti

duabus

duabus rationibus obtinere magnopere contendunt, Vna, quòd imitando nulla ſpes ſit Vincendi: altera, quòd naturæ Vis nulla Vnquam ſit afferenda, nam quod ad Vincēdum attinet, ſic argumentantur, cum omnis laus, ad quam quiſque ſuapte natura ducitur, in Vna Victoria ſit poſita, in Victo autem nihil honeſti, nihil non contempti eſſe Videatur, ea autem imitationis ſit ratio, quæ à Victoria longiſſime ſit, ſiquidem imitandi ſtudium nunquam ſe ſic acuet, ſicq́ incitabit, Vt quod imitetur aſſequi, nedum ſuperare poſſit, ſe affirmant, Vt qui hanc Vnam Victoriam aſſectant, quam omnes naturæ Vi, atque impulſu Vehementer affectant, ad nullam aliorum imitationem eos agere debere magis, quàm ad ſuam propriam, nam imitatorem perinde agere dicunt, atque ille pictor, qui ſuis coloribus alicuius rei imaginem exprimere conatur, qui nunquam tantum artificium, nunquam tantam cum manu diligentiam adhibebit, Vt ad id imitando tam propè accedat, quin ei ſemper ad Veritatem multo ſuperſit amplius, qui ſi contra libere, atque ex ſua mente, & Voluntate, Vt ei magis Videbitur, aliquid à ſe effingat, longe facilius contingere poſſe, Vt eam laudem aſſequatur, quam alium ſequendo nunquam attigiſſet. Pari item ratione in co-

eque-

equo faciunt, qui liberior ex carceribus ſeſe in curſum agens, quique nullis habenis obſtrictus, ſed ſuopte & curſu, & ſtudio ad vincendi gloriam impulſus, eam multo facilius aſſequetur, quàm qui dorſo hominem ferat, ac quaſi ad eius rationem pedem ponere cogatur. nam qui in ſcribendo ſtylum ſuum, ſuum ingenium ſequatur tantum, qui naturæ ſuæ quaſi veſtigiis currat, non ad alterius rationem ſeſe agat, aut quicquam attendat alienum, longe eam laudem, quam omnes mire principatus affectant, facilius aſſecuturum eſſe affirmant, quare etiam ad ſuam ſe quiſque magis naturam propriam imitandi ſtudium omne vt reuocet, atque in ſe vno totam illam, quam ad alterius exprimendi imaginem adhibeat diligentem rationem, vt conſtituat, præcipiendum eſſe ſtatuunt. Naturæ autem repugnare, atque eam in contrarium flectere, tam eſſe impium clamitant, quàm ſi more gigantum, cum diis bellum geratur, cuius quanta vis ſit, nihil inquiunt attinet diſputare, cum plane ſciatur, ſi qui maximo ſtudio ab ea vel longiſſime aliquando abductus ſit, atque per multum temporis ſpatium in alieno permanſerit, vt ei primum ad eam recurrendi facultas oblata ſit, eam tam auide arripere, quàm quod auidiſſime

diſsime, nam, ut inquit Horatius, Naturam expellas furca, tamen uſque recurret. Quaſi vero Cicero & Cæſarem L. F. & C. Cottam non magnopere commendet, qui ſuo utrique dicendi genere delectati, alienũ contempſère. cum neq; item Curionem improbet maxime, qui quenquam non magnopere ſtuduerit imitari, quibus ſuis rationibus quid efficiant, videamus, ac etiam ad eorum imitationẽ, quoniã in eius præceptis verſamur, id quàm paucißimis fieri poßit, videamus. Ac quod ad victoriam attinet, quam nullam ex hoc imitandi ſtudio reportari poſſe contendunt, continuo id iſtis demus, quod tamen paulo infra ſecus accidere, ut ipſi quoque nobis cõcedant, facile conuincemus: Sit inquã ita, ut qui imitetur, eo ſemper, quem ſequatur, longe ſit inferior, nunquam eum æquet, nunquam ſuperet. Certe ipſi mihi hoc dent neceſſe eſt, ut inter ſe ipſi quoque imitatores ſuam laudem habeant, quam, qui cæteros anteibit, aſſequatur, fiet enim quaſi cum qui in curſu contendunt, in quo cum plus vno primus eſſe non poſſit, qui tamen à primo reliquos, aut qui ſaltem aliquos poſt ſe reliquerit, ea, qua poteſt, gloriæ parte contentus diſcedat. nam quanto iſti longius imitatorem mihi relinquunt ab eo, quem ſibi propoſuerunt ad imitandum, tanto mihi in eo ſpatio occupando, ac pro-

pius

pius ad verum accedendo maior cum cæteris imitatoribus gloria oſtentatur, vt ſi, quem primum locum cum multis conor, aſſequi non poſſum, comites certe in eo imitandi ſtudio complures poßim longe ſuperare, quando primus locus non tam à nobis auide eſt expectandus, vt ſecundum, & tertium prorſus aſpernemur. Ac iam illũ quoque, quem imitemur, & facile æquari, & ſuperari etiam poſſe interdum, comprobemus. Certe vt iſti dicunt, in naturæ rebus effingendis tardißima eſt hominum ars, atque ingenium minime impigrum. Sanè tamen horum vtrunque vſque eo vires ſuas intendit, vt cum naturæ opere horum opus interdum recte conferri poßit. Siquidem memoriæ proditum eſſe à doctißimis viris legimus ſæpius, Zeuſim Eracleotem pictorem eius ætatis excellentißimum, vuæ racemum ita ſuo artificio ad naturam expreßiſſe, vt ad eum aues, tanquam ad verum cupide aduolitarent, ac roſtro etiam ſæpius appeterent. Hoc loco iſtos frontem video contraxiſſe, atque grauiter eſſe perculſos, quando qui hiſtoriam accuſent, nihil habeant, habent tamen adhuc quò confugiant, neſcio quid anguli, facile enim inquient, fuit tam belle auiculas fallere, in ea præſertim re, quã mirum appeterent in modum, quod non ita

illi ipſi in puero acciderat effingendo, qui manu altera Vuam geſtaret, altera baculum teneret, nam ſi id quoque illi eueniſſet, potuit pari ratione puer baculo auiculas ab Vuis absterrere. Age auiculas omittamus, & oſtēdamus non iam animantem Vllum rationis expertem, ſed ipſum hominem, atque eum etiam hominem, qui omnium minime debuit, in eundem errorem eſſe inductum. Ferunt ijdem auctores iſtum ipſum Zeuſim, cum in eo certamine Vua racemum à ſe eo artificio, quo eſt à nobis ſupra dictum, factum protuliſſet, ac ab aduerſario Velum in tabula mirifice depictum afferri Vidiſſet, aliquantulum moratum, Velo illo id tegi ratum, quod Vua ſua opponeretur, tandem dixiſſe. Ecquando Velum iſtud tollis? ad quam Vocem, cum Parrhaſius (cum eo enim in id certamen Venerat) arriſiſſet, tum plane ſenſit ſe in Veli imagine maxime eſſe deluſum, atque ita illi Victoriam ſua ſponte facile ceſſit. Vt iam ei, quem ſequendum ſumpſerit, bis parem habeamus imitatorē. Quid Vero ſi hunc ipſum etiam ſuperiorē, atque adeo lōge ſuperiorem eo, quem ſit imitatus, probatiſſimo iſtos conuincam exemplo? at hoc quoque quàm facile praſtē Vide. Omnia Catulli ea, cuiuſque generis, ſcripta ſunt, quæ à bonis omnibus maxime probentur, quæ Vero in Pelida

lida, & Thetidis nuptijs cecinit, longe probatiora habentur, atque laudabiliora. in ijs Ariadnæ deſtitutionem, ac luctum querimonijs plenum inducit. ea eſt eius poëtæ pars, ſi qua alia, abſolute perfecta, atque expolita, omnia adſunt ad iniquiſsimæ iniuriæ querimoniā, atque lamentationem in perſidum, atque ingratum & hoſpitē. & virum, ex ijs inquam, quæ in eiuſmodi hominem excogitari, quæq; dici poſſunt, nihil non viſum, nihil non dictum, atque obiectum eſt, at ea etiā dictione omnia ſunt expoſita, atque dicta, vt nihil ornatius, nihil purius aut exponi, aut dici poſſe videatur. Hanc tamē partem integram cum Maro in ſuam Didonē imitando transferret, tantū abeſt, vt longiſsime ab illo relinqueretur hic poſterior, vt eum ipſe longiſsimo poſt ſe reliquerit interuallo, vtriuſq; carmina ſuo loco cōmodius cōferentur, cū de inuentionis imitatione agetur, ex quorū collatione id ita eſſe, tum ſpero fore, vt facile probem. Nūc ad iſtos redeo. Cicero gloriari ſolebat latinos homines ſapiētius, quàm Græcos inuenire, quæ vero ab ijs accipiſſent, neque ea dè nugatorijs, aut inanibus, ſed quæ digna iudicaſſet, in quibus ingenium ſuum exercerēt, lōge illis ea facere meliora. quare ego de iſtis, quid tum vir tantus aut agebat, aut volebat aliud, niſi & hoc ipſum, quod in Marone

cum latino homine planiſsime eſt comprobatum? & quæ ab alijs egregie eſſent tractata, poſſe iterum, & ſæpius fieri meliora imitando, qua tota de ratione longe ſumus infra copioſius diſputaturi, vt iam iſti clamare deſinant, atque obijcere ceſſent, qui alium imitando ſequatur, nunquam eum eſſe anteceſſurum, nunquam primum locum occupaturum. Qui vero pictorem præſtantiorem fieri poſſe eum, qui ad ſuam mentem tantum & artem, & manum dirigat, quàm qui ad alterius abſolutiſsimã pingat imaginem, conſtantiſsime affirment, non ego ſatis quid efficiant intelligo, neque fortaſſe iſti ipſi prorſus vident: nam ſi pingendi libertatem eam appellant, qua in chimera pictores vti ſolent effingenda, is per me quidem licet, vt etiam, quam auis in volatu, iſte in pingẽdo ſit liberior. Sin (quod omnes faciunt) eam ideam, quam iam conceptã ad aliquam rectam rationem habeat, penicillo, & coloribus ſuis ſequi malit, atque ad eam exprimendam omnem artem conuertat, is ab imitatione non diſcedet, recte ſanè, ac ea eius erit propria incitatio, in qua etiam ſi ſe non æquet, alijs tamen in eo facile præſtare poterit, haud inepte quidem, & prudenter. Sed quæro ego vnde eam ideam ſibi hunc effinxiſſe velint, nam ſi aliunde ſum-

ptam

ptam affirment, victos ſe fatentur: ſin à ſe ipſis deſumptam, atque depromptam, magis tueantur, quæro item vnde eā ſatis habeant probatam, quáq; bonorum iudicio, quo vno, non autem noſtro proprio ſtandum eſt, minime improbetur, præſertim cum illud peruetum ſit, vt coruo ſui pulli. Quare etiam pictorū facile princeps Apelles, cùm quid tale coloribus ſuis à ſe expreßiſſet, propalàm id proponere ſolebat, atque in oculto angulo ipſe deliteſcens, prætereuntium ſententiam, ac iudicium aucupabatur, cui ſic obtemperabat, vt eum ad ſutoris correctionem crepidæ fibulam corrigere non puduerit. Quid quòd Cicero, & Vergilius, duo latinæ linguæ ſplendidißima lumina, cum ea eſſent & natura & oratione, qua abſolutius fieri nihil potuit, quamq; poſteri ad imitādum ſibi omnes boni facile proponunt, alter tamen nihil egit, quod ſua imitatione careret, alter non ſolum id quoque præſtitit optime, ſed præcipere non ceſſat, ad optimorū rationem, quicquid agatur, diligenter eſſe agendum. Neque poſtremo equus, qui ſeſſore vacuus, atque habenis ad metam liberior per ſe ſtadium currat, eò aut citius, aut etiā celerius perueniet, quàm qui leuem, ac prudentē habeat rectorē, ille enim paßim, quò appetitus rapiet, præceps vagabitur: hic, quo hominis, ac via, breuioris ra-

tione ducetur, ſecurior peruolabit, facietque potius, quēadmodū ille ait, Acer, & ad palma per ſe curſurus honores, ſi tamen horteris fortius ibit equus, & re vera qui ab optimo duce iter ſuum agat, is id nunquā niſi rectiſſime cōficiet, neq; in eo quicquam temere admittet, quo ei aut in caput redeundum, aut quoquam declinandum, aut etiam in medio conſiſtendum ſit. Quod vero dicunt, natura vim nullā eſſe afferendā, ac ab ea ne latum quidē vnguem eſſe diſcedendū, na ſua nimis iſti indulgēt natura, cōtra autē permultū detrahūt de artificio, nā ſi ita ſit, Iſocrates doctor ſingularis minime recte Ephoro, et Theopōpo diſcipulis ſuis conſuluiſſe videtur, quorū vtrūq; à natura ſua, quātū potuit, abduxit, nam cū alterius orationē quaſi abūde luxuriantē videret, alterius quaſi verecunde ceſſantem, illi calcar, huic frenū adhibens, quātum de alterius luxuria detraxit, tantū audacia ad alterius cunctationē addidiſſe creditur. Neq; Demoſthenes tantū ſtudij, tantū induſtria, tantū laboris in vna tantū litera apte proferēda poſuiſſet, ſi à natura nunquā diſcedēdum eſſe iudicaſſet, nam cum hic natura vitio, r, literā niſi bleſe ac inepte proferret, tātum ab artificio cōſecutus eſt, vt nullā aliā facilius, nullā aptius, nullā decētius exprimeret, atq; proferret. At ab vna litera ad

magnam

magnã huius eloquentiæ partẽ tranſeamus, omnes iſti ipſi Demoſtheni vim in dicẽdo à natura tributã eſſe dicunt, hic ſi in eo tantũ naturæ bono ſeſe continuiſſet, neque ad artẽ in cæteris partibus oratorijs trãſijſſet, atque ſe confinxiſſet, nunquam eum locum, quem primum habuit inter oratores, tam facile obtinuiſſet, nam niſi à naturali illa ſua dicendi vi, atq; vehementia ad lenius, ac remiſſius genus, quoties res poſtularet, æque deſcẽdere, ac dicẽdi faces illas remittere didiciſſet, eámque ſemper audire voluiſſet, neque vnquam ad lenitatem imitando ſeſe excoluiſſet, profectò grauiſſimus orator extitiſſet. verum nunquam primus, ac perfectus. Contrà vero Aeſchines, ſi quam habuit à natura dicendi ſuauitatẽ, in ea ſe tantũ continuiſſet, neque fortius illud Demoſtheni cum dicendi genus interdum eſſet imitatus, & ipſe altera oratoris optimi parte caruiſſet, neq; tam fortaſſe ſuauis, quàm etiam elumbis, ac frigida eius oratio ſentiri potuiſſet. Verbis efferueſcebat Sulpitius adoleſcẽs, ac paulo etiã nimirũ redũdabat, ſi in ea verborũ luxuria perſeueraſſet in reliqua etiã ætate, id ei maximo vitio datum eſſet, hic Antonij cõſilio ad Craſſum ſe cõtulit, eumq; ſic animo, & mẽte cõplexus eſt, vt breui eo ſtudio, atq; imitatione id dicendi genus, quod ei naturale erat, laxum, atque

redundans, amplũ, ac magnificũ perfecerit, quod nunquã ſolus effeciſſet. Nam quod ad Cæſarem attinet, res quidem ſe ſic habet: ſed hunc ipſum, cũ à naturali illa feſtiuitate ſua nuſquam diſcederet, quippe qui in tragœdia quoque lenis eſſe cogeretur, vt oratorem ſine neruis ac parũ grauẽ idem Cicero notare non dubitauit. Cotta vero iam natu grandior ad Antonij imitationem ſe contulit. de Curione autẽ quid amplius dicam? quàm eum præter vnũ verborũ ſplendorẽ, nihil oratoris habuiſſe? quiq; penè infinitis vitijs laborauit? cum neque tamẽ eo in loco is ſit Cicero, qui Curionem non improbat, quòd parũ quenquã imitaretur, ſed Antonius, qui ex ſua id ageret natura diſsimulatione. Quod autẽ ad Antonium ipſum, nihil aliud dicam, niſi quòd doctiſsimorũ hominũ ſententijs ac ſcriptis maxime eſt cõprobatum, non tam eum artis contemptorẽ, quàm diſsimulatorẽ fuiſſe optimũ. Hactenus eorũ rationibus, qui à natura propria toti pendent imitando, ſatisfactum eſſe arbitror, atque fortaſſe ita, vt ne iſti quidem ipſi quæ à nobis ſunt in eorũ ſententiã diſputata, non omnia probent, ac vera fateantur. Sed paulo tamen, quam ſuam iſti naturam admirãtur, atque vnã eam ſequuntur amãter, eam ſi placet fortius excutiamus. Primũ igitur iſti, qui ad ſuam quenq; naturã ſcri-

bẽdo reuocãt, quiq; à ſeſe eam nihil diſcedere volũt, nimis ſtulte ac pueriliter facere videri poſſunt. Qui imitãdi rationẽ vniuerſam cuius termini lõge, lateq; pateãt, intra vnius homunculi naturæ anguſtiſſimos fines cõcludant, atque conſtringant arctius. Qui mihi perinde facere vidẽtur, atq; imprudens agricola, qui ex vna tantũ arborum ſpecie omnia fructuũ genera ſuapte natura creari velit: id quod ſua ſtultitia exoptare facile poterit, re autem nunquam aſſequetur. Certe vero id magna ex parte optinebit, ſi artificiũ, ſi naturarũ communio fiat, quemadmodũ vbique vnam arborem inſitione complures fructus, eóſque omnes probatiſſimos ferre videmus. deinde vero in magnum periculum ſuum iudicium adducunt, qui enim iſti planè perſpectũ habere poſſunt, an natura ex omnibus illis partibus conſtet, quæ ad perfectã dicendi rationem pertinent? præſertim cum minime ſibi quiſque notus ſit, neque impeditius quicquam iudicemus, quàm cum de nobis id facimus, ipſi. Naturã habuit Apuleius ad eam ſcriptionem, quam continenter eſt perſecutus, at hic rei rationem, quam agebat, aliquam habuerit, conuenit id dictionis genus ad aſini rugitus. Politianus (quando hunc imitatio grauiſſimum habuit aduerſarium) & de rebus grauiſſimis, & ad familiares

cõplura volumina ſcripſit, vbiq; eam naturã dicendo eſt perſecutus quam cum alijs etiam ſequendam eſſe, aliquando præcipere non puduit, horum duorum locutio tantum abeſt vt vlla ex parte probata ſit, vt ab ijs, qui elegantius ſcribi volunt, ne legi quidem, aut audiri poßit diutius. Sed fac non imperite ſit factum, non pueriliter, fac, recte iſtos ſenſiſſe de ſeſe, addo etiam conatum ſuum omni ex parte facillime eſſe cõſecutos, dixerint apte omnes ad ſuam naturam, non impolite ſcripſerint, neceſſe tamẽ erit, illud eueniat, quod Cicero Græciæ eueniſſe querebatur, vt dum in ſua ſe quiſque natura admiretur ſcribẽdo, neque ad eum, quem optimum exiſtimet, orationem ſuam conformare ſtudeat, plura, atq; maxime diuerſa dicẽdi exiſtãt genera. At dicendi artem, ad quam penè imitandi præcepta omnia conſtituuntur, à natura ipſa profectã eſſe, nemo vnquã inficiabitur, neque id ipſi vnquam inficiabimur. Verũ illud conſtanter nobis tenere licebit, non continuo eam ex cuiuſuis hominis ingenio eſſe cõprobatam, ſed vix etiam multorũ ſeculorum prudẽtia, & iudicio in id auctoritatis perueniſſe, quo eſt maxime conſtituta. Vt fortaſſe primi illi homines, cum beſtiarũ more in agris palãtes agerent, qui vnam naturam magiſtrã tantum habebãt, eam recte ſequerẽtur in agendo

do, neque aliquid extrinſecus ſumerent aut ad agendũ, aut ad dicendum. Cum vero longius ætas adoleuiſſet, ac gens coiſſet in ſocietatem, quin ignari prudẽtiores imitarentur rectiſſime, nulli dubium videri poteſt, id quod nobis, qui iam pridem cum perfectiſſimis agimus, ſine dubio faciendum eſſe cenſemus. Alterũ verò genus erat quod tantùm imitationi tribuebat, vt niſi in illo opere, quod in manus incidiſſet, optimi in eo genere auctoris imaginẽ expreſſam videret, etſi id ab omnibus alijs partibus optime conſtaret ſibi tamẽ non ſatis probatum iri affirmare non dubitaret, vt mihi rem cum ijs eſſe videas, qui nullum mediũ adhibeant, in extremis inhæreãt obſtinate. illi omnia à ſua quenq; natura, nihil extrinſecus petere iubent ad ſcribẽdum. hi contra niſi quod ad aliorum rationem probatiſſimum in tua oratione ſenſerint, nõ ſint admodũ comprobaturi. Sed ij, qui ſuam quẽque naturam ſequi volunt agendo, ſatis ſupra (quemadmodum arbitror) à nobis ſunt confutati, atq; conuicti. nunc autem illi, qui ita cenſent, omnia nobis ad alienum inſtitutum eſſe conformanda, nihil ad noſtrum, pari ſunt ratione confutandi, atque conuincendi. Ego neq; tã inhumanus ſum, qui natura bono hominẽ priuare audeam, neq; tam fatuus qui non videã naturæ vim in omnibus rebus

maxi-

maxime dominari. neq; ego vnquam C. Cæſarem, nec Cottam, nec Curionem minus probatos habebo oratores, quoniam ſua natura maxime ſint delectati, ſed quòd, in quo ij potuerunt bonos imitari, neglexerunt, non poſſum plane probatos habere. nã ſi hoc ſit, quod iſti volunt. à ſeipſo nihil vt ſit expetendum, næ cum illis iniq; actum eſt, qui primi homines, quos imitarentur, aut in ædibus ædificandis, aut in ſuis ſenſis viciſſim promendis nullos habuerunt. quod minime eſt dicendum, ne naturam omnibus in rebus optimam magiſtram, ac matrem omnium benigniſſimã aut in hac parte mancam atq; imperfectam aut impiam nouercã inſimulare videamur, neque hæc ipſa ſatis cum homine liberaliter ageret, cum quem liberum procreaſſet, in loquendo tamen eum in ſeruitutem redigeret, ſi, niſi ad quaſi præſcriptam alterius rationem, vel verbum vllum ei proferre minime liceret. Præterea verò quid in eo omnes auctores tam conuenienter conſenſiſſent, cum naturam in omnibus rebus ſuam cuique optimam ducem eſſe prædicant ſequendam? quid inquam illud, quod in ore eſt omnium cum creberrimum, tum celeberrimum, Ne quid inuita facias, dicas ve Minerua? ſi à noſtra deficiendo ad alienam, atque adeo noſtra maxime contrariam nobis eſſet confugiendum?

giendum? Sentio hoc loco iſtos indignari grauiter, ac me ſumma inconſtantia, atq; etiam præuaricationis accuſare, qui modo contra naturam cauſam meam egerim tam acriter, nunc verò tota ea diſsimulata ſic in eius caſtra transfugerim, ſicq; eius defenſionem ſuſceperim, ac omnibus eam præſidijs communire cœperim, vt qui totus ab ea ſtet, quiq; fortiſsime vnam eam tueatur. hos autem ne multis morer, ac quaſi ſecum oratio mea, non autem cum illis contendere videatur, quid ego tandem de imitando ſentiam, ac quam huic facultati ſummam faciam, iam explicabo liberius. Ego igitur ſic ſentio, & naturæ artificium, & artificio naturam, vt in cæteris rebus, ſic in imitatione plurimum prodeſſe, atq; alterum alterius auxilio omnino indigere, nam qui naturam ſuam, in quo minime mala ſit, ſequatur, eum valde eſſe probandum, nec quæ ſibi deeſſe ſenſerit, ſi ea aliunde imitando aſſequi ſtudeat, quicquam contra improbandum exiſtimo, ita enim fiet, vt neq; naturæ aduerſetur, & aliena, quæ aut ſibi erunt neceſſaria, aut ſuis etiam meliora, minime contemnere videatur. quæ mea ſententia cum Horatij ſententia maxime cõſentit, qui ſic & naturam, & artem in pangendis verſibus coniungit, vt alterius alterã ope indigere planiſsime teſtetur, cum ait:

Natura

Naturæ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitū eſt. Ego nec ſtudiū ſine diuite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

Naturam & ſtudium deſiderat Horatius in poëtis, qui magis naſci quàm fieri ſolent: quanto autem verius id in ſoluta erit tenendum oratione? Quaſi verò ipſe quoq; Cicero, atque adeo in ijs ipſis, quos iam ſæpe adduco, non idem planius ſenſerit, ſi quidem hic C. Cæſarem, C. Cottam, ac Curionem commendabat, qui naturam ſuam ſecuti eſſent non peſſimam, in eo verò quod aliunde ſumere poterant, ad orationem ſuam perfectius abſoluendam, cum neglexerint, eos ipſos tum minime leuiter improbabat, id quod ille, quiſquis is fuit (quando ſunt, qui Horatium fuiſſe negant) in Lucilio ad hunc modū damnabat.

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. quis tam Lucili fautor inepte eſt,
Vt nō hoc fateatur? ad idem, quod ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.

Laudat ille Lucilij ſales, non ita verſus cōpoſitionem. at id eius ætati condonetur, ſic enim tum incōpoſite ſcribebant, atq; incondite. Ouidius natura verſus effudiſſe fertur facillime, id quod ipſe quoq; teſtatus eſt aliquando.

quando. Hic ſi eos ad aliquod diligētioris artis, aut attentioris naturæ ſtudium ſcripſiſſet, ac ſibi in ſua natura tantùm non eſſet obſecutus certè ſuos amores verſu elegantiore perſequi, ſua autem tempora non tam molliter, tamq; effœminate deflere potuiſſet. Rectius autem P. Sulpitius, de quo paulò antè ſupra dicebā qui cum natura ipſa ad magnificum, atq; præclarū dicendi genus inſtructus eſſet, videns tamen ſe eò ſolo naturæ ſuæ bono peruenire non poſſe, ſe ad Craſſum cōtulit, à quo vnius anni ſpatiū plurimū adiumenti ad naturalē illam dicendi dignitatem attuliſſe teſtatum reliquit Cicero. Sanè verò cum in omnibus hominibus vix omnia eſſe poſſint, quæ cumulate laudentur, næ is audacter, niſi etiā temere, facere videtur, qui in ſe vno ea poſita eſſe omnia inſolenter confidat, atq; arroget impudenter. Hic à natura factus erit ad docendum, ille magis vt delectet, alius vt grauiter cōmoueat, accuſationi alius, alius defenſioni, alius ad populum in ſenatu, alius à natura dictionem ſuam fœlicius habebit accommodatam. Siquidem natura naſci factum ad omnia, Dijs ſolis contingere ſolet. itaq; rectè ea, in quibus natura defuerit, nobis noſtro ſtudio, atq; induſtria erunt comparanda. Imitetur autem filium meus imitator. qui cum proceritate, colore, vultu, ore facie deniq; to-

ta

ta parentem optimũ referat, eius quoq; animi virtutes, ad quas fortaſſe natura minus apte ſe factum ſentiat, ſuo ſtudio, ſua diligentia in ſeipſum exprimere conetur. quemadmodũ in bonis patrijs facere ſolet idem filius, qui non ſolùm ea, quæ ſibi à patre relicta ſunt bona, conſeruare, ſed ijs etiã extrinſecus ſuo ſtudio, ſuaq; induſtria plurimum adiungere ſolet. Ita meus faciat imitator, cui natura bonũ plurimum affuerit, id diligenter conſeruabit. ſi qua verò deſiderabũtur, aut quaſi ad locupletiorem familiam alendam, aut filiabus dotem cõparandam longe compluribus, ea ſuo ſtudio aliunde bonorum imitatione cõparare debebit. Quod igitur quiſq; natura bonum poſſideat, is in eo ita ſe exerceat, is id ita tueatur, ita foueat, ita amplexetur, vt in eo cætera aliquando ſe præbeãt ad imitandũ. in eo verò, quod deſiderabitur, (neq; enim nobis ſemper cupreſſus erit pingenda) id arte, atq; meliorum imitatione vt corrigat, accurate ſtudebit. Qui verò natura peſſime imparatus erit (quando omnibus aliquid conſulere volumus, etſi cum bonis admodũ ſentimus non, vt aiunt, ex omni ligno apte Mercuriũ fieri ſolere) cui inquã penè tota aliena ſit natura induenda, ſua cõtra exuenda, eum ne ſe quoq; vitium ſuũ aliqua ex parte corrigere poſſe deſperet, fideliter admonemus, ſi ſtudiũ, dili-

diligentiam, amorem in eo adhibebit corrigẽdo. Quin etiam accidere poſſe, vt probatiſſimus, atq; maxime perfectus euadat polliceri poſſumus fortaſſe non inepte, qui quaſi agreſtis arbor faciat, quæ cum nullius tolerabilis ſaporis fructus ferret prius, per ſurculũ vnũ alienũ in ſe immiſſum, veterem illam omnẽ acrimoniam exuens, nouos, ac minime inſuaues ſuccos recipit: ſic ille totus à ſeſe diſcedens, ac in eum locum probatiorem naturam admittens, atq; interſerens, aliquando etiã ſe ſentiet è ſtipite hominem euaſiſſe perelegãtem. conetur modo, audeat, contẽdat, habeatq; in primis, qui viam monſtret, qui fideliter edoceat, vel ſi omnino cum primis minime excelluerit, certe eò perueniet, vt ſui loci haud quaquam pœniteat, neq; in poſtremis, atque contemptis habeatur. Equidem imitationi (vt quid de ea ſentiam tandem planius explicem) id accidiſſe arbitror, quod cæteris omnibus artibus accidiſſe conſtat, vt ea, quæ à ſapientibus viris probarentur, ſtudioſius ſequeremur, quàm quæ non ſatis tuto à nobis eſſent excogitata, cum periculo experiremur. Quemadmodũ in frugibus planiſſime videri poteſt, quæ poſtquam ſunt in vſum hominum adinuẽta, nulla gens tam effera, nulla tam elegans fuit, quæ ab ijs ſerendis atq; colendis ad nouã victus rationem indagandã animum

ſuum conuerteret. Sic in ædibus ædificandis eueniſſe affirmare non dubitarim, in quibus homines primum, ut cuiq; factum accidebat, ex quaque materia ad frigus imbres, niues, atq; ardentioris ſolis æſtus depellendos, atq; defendendos tectum aliquod ſibi conſtituebant. Vt verò ij reperti ſunt, qui ad neceſsitatem illam ædium quoque dignitatem, atque magnificentiam addidere, primam illam ſimplicem ædificandi rationem auibus, atq; feris relinquentes, hanc artis magiſtra ſolam poſteri ſibi vendicauerunt. Simili ratione in pictura factum eſſe facile conijci poteſt, eam videlicet initio aut ex carbone, aut ex ebuli baceis extremis lineis, iiſq; craſsioribus rei tantùm, quæ effingeretur, imaginem circunduxiſſe, poſtea verò rem feliciter ad diſtinctiores colores perueniſſe, ac non modo ut formæ veritatem ipſam referret, ſed animi etiam affectus, ac ætatem in vultu proponeret ex-explicatam, fidelius obtinuiſſe. Qua vna perfectè percepta, illa rudioris ætatis lineamenta quaſi ſpongia ſunt ex hominum animis, nedum ex gentium vſu prorſus deleta, atque extincta. Vt in hac quoque noſtra pari ratione faciendum eſſe facile videri poſſit. nam quouſque primi rerum omnium auctores non ſatis probarentur, ſuum tum cuiq; ingenium ut experiretur, ac ſe vnum ſequeretur,

retur, recte fortaſſe permitti potuit, ut verò paulatim cum hominum ingenia, tum ſtudia uſque eo ſe expoliendo peruenere, ut penè omnia haberent abſolutiſſima, atq; perfectiſſima, ac cuiuſq; rei quaſi certiſſimam imaginem ſibi effinxiſſent, plerunq; ad eorum regulam certiſſimam agendi rationē dirigendam eſſe, boni omnes comprobaſſe videntur. Quin etiam in ipſo naturæ noſtræ bono excolendo nihil prorſus obfuerit habere ad cuius imaginem id expoliamus, atq; perfectius abſoluamus, ut omnino hæc imitandi ratio cum hominum ſtudijs, tum etiam naturæ beneficio plurimum profutura ſit. Illud autem in primis, etſi poſtremo in loco poſitum ſit, diligenter etiam, atq; etiam erit videndum, ut qui ſiue naturam ſuam tantùm ſequatur, ſiue qui alienæ ſe quoq; commiſerit, rei in primis, quæ de agetur, naturam attentius obſeruet, atq; cuſtodiat diligentiſſime, quemadmodū Maro qui alio numero, atq; verborum granditate tubam inflauit, cum Aeneæ errores, atque res eius præclare geſtas cecinit, alio cum rei ruſtica (ut bucolicum carmen longe hoc quoque inferius nunc omittam) præcepta tradebat, cum eodem tamen genere verſus omnia perſequeretur. quod de vno ſcribendi genere dictum, de omnibus dictum volo. Sed iam qui nobis imitandi ſint auctores, quóſque duces

ſequi debeamus, explicate aggrediamur. Optimi igitur in quaque facultate, quorum ſimiles ſimus, nobis proponendi ſunt autores, ne ſi quem ſibi quiſque ad imitandum ſuſceperit, eum ſuperare, aut etiam æquare, quorum vtrunque eſt difficile, ac perrarum, non poſſit omnino, ſaltem eo in loco conſiſtat, quo prorſus iacere non videatur, ac in eo quoq; commendationem aliquam ferat, quo non humilia ſectatus, in deligẽdo rectè ſenſiſſe iudicetur, Quos autem optimos intelligam, ij planè ſunt, qui nobis vſu, ac bonorum teſtimonio maxime comprobantur. Cæſarem in hiſtoria Cicero plurimum commendat. Saluſtium vſque eo quidam in Romana extulerunt, vt illi in ea principatum deferre non dubitarint, cum Liuio lacteum eloquentiæ (vt ipſi dicunt) iam plerique tribuant candorem. Catoni, Varroni, Columellæ (his etiam Palladius aliquo modo, ſi quis velit, per me quidem licet, accedat) Aſcanio, Celſo, Vitruuio, in ſuo cuique ſcribendi genere atque ordine certiſſimo non minima laus tribuitur. in vno verò Cicerone (vt Cæſaris nunc teſtimonium omittam, qui illum non tam de patria, de qua optime, quam de nomine Romano meritum eſſe teſtatus eſt,) omnia, quæ eloquentiæ propria ſunt, vna omnium hominum, & ſeculorum ſententia cumulatiſſime

tiſsime ſunt abſolutæ. In poëtis autem Terentium ea commendatio proſequitur, quæ eius fabulas ob earum elegantiam à Lelio, atque Scipione conſcriptas eſſe ſuſpicatur. Plauto nullum maius dari potuit teſtimonium, quàm cum maiores dixere, muſas, ſi latine loqui voluiſſent, Plautino ſermone fuiſſe loquuturas. Seneca autem mea quidem ſententia non tam accuſandus eſt, quòd non perpetuo planè ac ſplendide latine locutus ſit, quàm etiam laudandus, atque recipiendus, quod tragœdiæ formam, neque eam admodum contemnendam, qui nobis commonſtret, ſolus remanſerit. Catullum, Tibullum, Lucretium, Horatium, Maronem, tantum abeſt vt boni omnes non magnopere laudent, vt eos etiam nullo fine ſuſpiciant, mirentur, colant. Sed rem hanc totam, ſi placet, paulo copioſius, atque diligentius pertractemus. Ex ijs itaque, qui ad ſcribendam hiſtoriam (quando hos prius ſupra nominanimus) ſeſe applicuerunt, tres eſſe dicebamus, qui in ea facile præſtarent, Cr. Saluſtium, C. Iulium Cæſarem, T. Liuium Patauinum, qui omnes cum maxime diuerſum ſcribendi genus ſecuti ſint, in ſuo quiſque tamen aſſecutus eſt, vt admodum probaretur, nam in duobus primo, & poſtremo ſanè quædam virtutes extant, quæ ſummam illis,

quam poſsident in ſcribendo, laudem omnem confecerunt. Sed his tamen luminibus vitia quadam ipſorum propria nonnullas tenebras offuderunt, vt in Saluſtio, qui cum Thucididio more creberrimis, ac locupletiſſimis ſententijs hiſtoriam ſuam exornet, atque illuſtret, ac in ea dicendi breuitate, quæ hiſtoriæ maxime propria eſt, ſine controuerſia ſolus dominetur, nec non locorum atque perſonarum mirus ſit deſcriptor, non caruit tamẽ ſuis quibuſdam vitiis, quæ hiſce virtutibus aliquid officerent, non enim deſunt, qui elaboratæ orationis hunc accuſent, certe vero per multa hic verba, quæ prorſus ab illa excultiore, atque adeo ſua ætate exciderant, retinere conatur: nõ enim abduci poteſt, quin latinam orationem nimis vetuſtis, atq; horridioribus verbis abſurde infuſcet, obtenebret, exaſperet, atq; inculcet. Liuium autem (vt eius candorem nunc miſſum faciam) magis in concionibus ſuis ſummos ſibi clamores excitare boni pleriq; exiſtimant, ac eum illa in parte omnem laudem exhauſiſſe facile cõſentiunt. Sed hic quoq; in eo in quo maximam laudem aſſequi videtur, ne interdum extra ſuos cancellos (vt Patauinitatis illud neſcio quid ei condonem) dicendo efferatur, magnũ eſt periculũ cum eo orationis genere in concionibus vti nõ liceat, quod acre, atq; cõtortum appellatur, ac

ſæpius

ſæpius vſu veniat, vt milites hortãdi ſint acri ter in rem prõptius ac vehementius gerendã. Iam vero vt de Cæſare agamus, hũc ego mihi ex noſtris, in quo omnes hiſtoriæ virtutes eluceſcant, nihil vitij contractum ſit, ſine vlla ex ceptione propono. Nã ſi in hiſtoria plana breuitas maxima in laude ponitur, quis vno Cæſare pura atq; illuſtri breuitate dulcior, atq; planior? in quo ne verbum quidem, quod aut ad rei planiorem deſcriptionem deſideres, aut ad nimiam luxuriam diffluens redundet poſitum eſſe offendes. Sincerus hic rerum eſt geſtarum pronuntiator, nudus, rectus, ac nullo oblitus fuco, ſed ſuo quaſi ſanguine coloratus, qui in eo ipſo, quòd omni orationis ornatu careret, nulliſq; ad venuſtatem calamiſtris eius dictio eſt inuſta, multo ornatior, atq; venuſtior videtur, vt mulier, quæ ſuopte bono ſatis habens ad pulchritudinẽ, quo minus ad eam cultus adhibeat, eo multo venuſtior, multoq́; comptior ſit. Verba in omni oratione ea maxime eſſe debent, quæ vſu probẽtur. ſi vero ad id horum delectus acceſſerit, nihil tum poſtea relinquitur, quod orationi deſideremus. Quæ duæ res in vno Cæſare maxime enitent, nihil enim verborũ eſt vſu & cõſuetudine non probatiſſimum, nihil humile, nihil abiectũ, nihil indignum in eius oratione ſentitur. Hiſtoriæ item oratio vt leni, atque æquabili tractu

profluat non poſtrema eſt commendatio. At in Cæſare quæ verborum lenitas? quàm apta collocatio? quæ vero huius æquabilis concinnitas? nihil in eo aſperum, nihil incompoſitum, nihil abſurdum offenditur, omnia item ſic cohærent, ſicq; apte coagmentata ſunt, vt emblema vermiculatum imitari eius oratio videatur. Hæc denique ita cum iuſto, ac tolerabili ſpiritu terminantur, vt ne verbo quidem productior, quàm par eſt, trahi, aut anguſtior, quàm deceat, premi ſentiatur: cum in ſuperiorum altero tribus interdum verbis conſtricta fortaſſe nimis arcte comprehendatur, in altero vix tribus verſibus luxurians ſententia longius dilaxetur. Qui autem hunc accuſant, quaſi omnem hiſtoriæ legem in ſua hiſtoria minime complexum, ij quàm id recte viderint ipſi. Equidem cum vno Cicerone errare malo, quàm cum illis ſapere, qui cum de hoc ipſo agit, ſic inquit: Sed dum voluit alios habere parata vnde ſumerent, qui vellēt ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere, ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit, vt ineptos eos appellet Cicero, qui velint manus addere, ac quaſi pigmentis circunlinere ſanos, qui ab eo munere ſuſcipiendo ſunt deterriti, id quod nulla alia ratione factū eſt, niſi quia diutius ſcriptor omnem hiſtoriæ vim in

ſua hiſtoria conſumpſerit, nihilque quod ad eam partem ſcribendi pertineret, aut omiſerit, aut non ſit omnino egregie perſecutus. Hunc igitur mihi, ſi hiſtoriam ſcribam, ſine ulla dubitatione proponam, ad cuius ſcribendi rationem meam ipſe omnem conformem, atque conſtituam hiſtoriæ imaginem. Quæ mea ſententia eo quoque nomine meo animo longe probatior accidit, quòd idem And. Nauagerium ſenſiſſe memoria teneo, poſtea vero Petr. Bembum hoc ipſum in ſua hiſtoria feciſſe video, quorum duorum præſtantiſſimorum hominum auctoritas tanti apud me eſt, ut cum ab illa maiorum noſtrorum ætate diſcedo, quæ elegantioris latinæ dictionis copiam omnem ſecum extulit, his & recte iudicandi, & perquam ornate loquendi primas facile concedam. Hiſtoricis uno plures ſunt, qui de agricultura cum ſumma laude ſcripſerunt, verum in Catone multa inania, præter verborum vſum abſoletum, ſunt qui grauiter reprehendant. In Varrone autem aliquanto latinus ſermo cultior eſt factus, ſed ipſe quoque paulo preſſior videri poteſt, quàm tanta rei magnitudo poſtularet. Viam tamen ſi quis vtriuſuis inſiſtat, non admodum eum improbem, modo eam quibuſdam in locis laxiorem, ac paulo patentiorem efficiat eundo. Hos Columella ſequitur,

quitur, ſed qui ab vtriuſque anguſta (vt dicebamus) nimis præcipiendi ratione in patentiora præcepta diſceſſit, & ea ipſa cultiori ſtilo dicendi genere, quod magis probatur, elocutus eſt. Ad hos Palladius acceſſit, non totus hic quidem fortaſſe contemnendus, qui non ſolum veterum inſtituta non neglexit, ſed ſuam etiam quandam præcipiendi viam abinuenit nouam, qui ſingulis ſeparatim menſibus ſuum quoque ſtudium conſtituit, ac certo quoque tempore quid faciendum, quid non, planiſſime demonſtrauit, in quo rem ruſticam non tam edocere, quàm etiam componere eſt viſus. Vereor ne meum iudicium in certiſſimum periculum adduxerim, qui tam libere de præſtantiſſimis viris, quid ego ſenſerim, poſteris etiam ſcriptum relinquere ſim auſus, hoc enim qui facit, non tam videtur de aliorum ſcriptis iudicium facere, quàm ſua ipſe ſcripta, de quibus alij iudicent, in medium proferre. Sed in hoc quoque Ciceronem, quem imitemur, locupletiſſimum habemus auctorem, qui idem præclariſſime fecit in eo libro, qui Brutus inſcribitur. Atque haud ſcio, an hoc quoque meo periculo ſtudioſis, quod vnum attendo, ſtudeóque maxime, aliquid profecerim omnino, vt poſt hoc meum iudicium non deſint, qui ſuum quoque, fortaſſe rectius,

interpo

interponant, ac quod à me ſtudioſi habere nequiuerint, id mea ſaltem cauſa planè ſint conſecuti. Redeo igitur ad inſtitutum, ac ad eos, qui interpretem agunt, quique magis in alieno ſtudio ſuum ſtudium exercent, quàm aliquid, quod alij interpretentur, eius generis ipſi conſcribant. Si mihi igitur interpres ſit aliquando agendus, nihil mihi aut Donati prudentia, aut Seruij Honorati diligentia, (vt reliquos minorum gentium interpretes omittam) quicquam obſtiterit, quo minus Aſconium Pedianum mihi deligam, cuius ad rationem interpretandi totum me conferam, atque adiungam, quod à meo Manutio in epiſtolis ad Atticum exponendis video fieri ſane quàm praeclare. agant alij per me quod lubet, non ſeſe oſtentent, non ab re aberrent, non omnia conturbent, non etiam perperam ſæpius exponant, videant interdum quid dicant, hic vero meus ita recte omnia pertractat, ita planè docet, vt neque in re facili faſtidium creet, neque in difficili non facillime ſatisfaciat, quin id vtrunque ea oratione perſequitur, vt vix ſcias interdum an is ſit, an Cicero, qui loquatur, vnum in eo tantum deſiderari poteſt, vt aliquando integer alicunde in lucem emergat, id quod à meo Manutio magna ex parte videtur expectari. In iis autem diſciplinis, quibus ſingulis

lis ſinguli tantum ſcriptores memorantur, fa cillima in deligendo accidit deliberatio, quem enim fugit, ſi cui in re medica ſcribenda verſandum ſit, ab vno Celſo, viro mea quidem ſententia diuiniſsimo, nunquam eſſe diſcedendum? ſin autem in ea facultate, quæ villas, quæ ædes, quæ templa, quæ vrbes ipſas, quales futuræ ſint, effingendo præmonſtrat, atque repræſentat, operam ſuam collocarit, quàm ille imaginem ſequetur, niſi quam illi Vitruuius conſtituerit, atque confinxerit? Sed præter eas, quas pauciores commemorauimus, longe etiam plures ſcribendi for mæ ſuperſunt aliæ, quæ ſuam & ipſæ, cui ſe adiungant, à nobis imaginem deſiderant. nam & agimus cum abſente per literas, idq; non vno modo. Artium deinde præcepta traduntur. Poſtremo incidunt accuſationes, vituperationes, ſuaſiones, totidem, quæ his apponantur, defenſiones, laudationes, diſſuaſiones, horum omnium generum imagines, mea quidem ſententia aut ab vno Cicerone, aut à nemine alio ſunt petendæ, ſiquidem hic ita eas omnibus ſuis lineamentis, atq; coloribus deſcribendo expreſſit, itáque expreſſas omni orationis ornatu illuſtrauit, vt in vtro ſit ma iorem laudem aſſecutus, non facile dixeris, nam quod ad epiſtolas, planè ſcis earum mul ta eſſe genera, aut hic vnus omnia fœliciſſime

me executus eſt, aut quæ non attigit, aut id facere ei minime vſus venit, aut contempſit omnino. Certe ſi quis, quæ Cicero tractauit, perfecte nouerit, nihil vereor, quin cætera quoque à ſe ipſo poßit egregie pertractare. quod Bembus in ſuis (vt dicunt) breuibus optime comprobauit: qui ſic ea in epiſtolæ formam redegit, vt, cum illa legas, vere latinas epiſtolas legere videaris: cum vero præcipit, non tam id agit facile, quod agit, quàm facilime, quàm fideliter, atque diſtincte. nam ſi de re multiplici præcepta ſunt tradenda, ſtatim ea in ſua diuidit capita, partes deinde cuiuſque capitis recto ordine, atque ratione abſolutiſsime, ac minutiſsime conficit. Sin autem oratio altius tollenda eſt, atque aut ad iudices cauſa eſt peroranda, aut aliquem ad populum ornandum, aut in Senatu grauiter ſententia dicenda eſt: aut hic vnus omnia egregie præſtitit, aut alius nemo. quis enim hoc videt acutius? quis inuenta ſuo quæq; loco certius diſponit? quis ornatius? quis copioſius? quis grauius loquitur? quis item cum cauſa exorditur aptius? quis breuius, ſuauius, magiſque dilucide rem totam narrando complectitur? quis ſuas vires auget fortius? quis aduerſarij validius debilitat? quis item commodius à propoſito digreditur? quis commodius ad propoſitum redit?

redit? quis hoc poſtremo, & quibus animi acerbius impellantur ad iram, & quibus impulſi lenius ad miſericordiam traducantur, aut miſerabilius, aut acrius pertractat? in qua quoque poſtrema dicendi virtute maxima quia ſolus dominabatur, in iis cauſis, in quibus plures patroni adhiberentur, eam omnes illi coniunctiſſimis ſententiis deferebant. Res vna eſt varia, & multiplex oratoria facultas, in cuius aliqua parte qui excelluerint, multi ſanè quidem numerantur oratores, qui vero vniuerſam eius pertractanda rationem egregie, ac perfecte tenuerit, cuique primas, & ſecundas, & tertias omnes vno conſenſu facile conceſſerint, ſolus eſt Cicero. nam ſi in re humili verſetur, eâmque aut demiſſius, vt par eſt, ſequatur, aut ſi ad cauſa amplificationem illam ipſam altius tollat, dici non poſſet, quàm vtrunque faciat commode. In magna vero ſi idem vſus accidat, aut hic omnem ad eam extollendam orationis vim, atque illam ipſam luminibus omnibus illuſtrandam ſplendidiſſime adhibebit, aut præterea nemo. Sin autem contra hæc eadem extenuanda ſit, nihil hoc humilius, nihil abiectius demitti poteſt, cum in temperata nihil extrinſecus attingat, quo quidem magis ad hanc, quàm ad alteram partem

inclina-

inclinare videatur. Duæ ſunt res in Oratore, quæ illi maximam laudem afferre ſolent, dicendi vis, ac ſuauitas, vtra quarum vis in quo extiterit, is certe magnus habebitur orator, vtram vero Cicero certius poſſederit, in dubio relinquitur, nam cum vult, ita auditorum animos ſuauitate perfundit, vt eos omni liquefaciat dulcedine. Contra, ſi libet, ſic altius eos ipſos defigit, vt in iis grauitatis aculeos ad diuturnum tempus relinquat, ac ne ſingula (vt cœpi) pergam ſuis laudibus tollere, quæ in hoc vno omnia floruerunt, id tantum addam, hoc vno in quouis dicendi genere nihil perfectius, nihil cumulatius, nihil abſolutius nec factum eſſe, nec fieri potuiſſe, huncque eum fuiſſe oratorem tenere poſſumus, quem Antonius ſe nunquam vidiſſe dicebat, quemq; Cicero ipſe in ſuis oratoriis libris optime informat, tametſi is probe, & modeſtiſsime diſsimulet. Hunc igitur vnum in hiſce dicendi generibus ad cuius imaginem ſcripta ſua conformet, atq; ad cætera dicendi genera locutionem transferat, quiſque ſibi proponere, ac diligere maxime debebit. Sed quoniam mihi iam integrum nõ eſt, vt poëtas ab oratoribus ſegregem, quos ſupra coniunxerim, pergo, vt eos quoque abſoluam, tametſi quam difficili, ſcopuleóque in loco mihi verſandum ſit, planè video.

cum de iis hominibus, qui animi vigore ad deos propius, quàm genere ad homines accedunt, ego homuncio iudicium facturus ſim. Sed hoc quoque loco pluris ſit, apud me animum erga ſtudioſos meum ſingulari officio extitiſſe, quàm vel tantum meum periculum diſsimulando deuitaſſe. Ego igitur ex tanto eorum numero (eſt enim penè infinitus) qui in pangendis verſibus ſeſe oblectarunt, paucos admodum reperio, qui ita ingenio floruerint: ita eloquentia præſtiterint, ita denique diuino illo ſpiritu afflati verſus eius generis ediderint, vt digni habeantur, quorum nobis imaginem proponamus ad imitandum. Atque vt ab illis exordiar qui numeris huic, qua vulgo latini loquebantur. orationi coniunctiores ſunt: Duo tantum nobis ex comicorum numero ſuperſunt, M. Plautus, & P. Terentius, ex quorum vtroque ſatis habebis, quod in tuam fabulam transferre poſsis ad imitandum, nam ſiue riſum quæras creberrimum, quod populo maxime placere intelligo, id ex Plauto ſumas licebit. Sed ne riſum tamen excedat, erit tibi magnopere videndum. Sales enim & facetiæ vſque eò ſales ſunt, quoad intra legem ſuam continentur, cum vero ad ſcurrilitatem luxuriantur, tum plebeio tantum digna ſunt theatro. Sin grauitatem

in ſce

in ſcenam inducere mauis, ac cum ſumma etiã dignitate delectare, qua via id efficias, Terentius tibi facile demonſtrabit; de quorũ vtroq; plura nihil attinet dicere, quàm quæ ab Andrea Nauagerio in ſua in Terentium epiſtola prudentiſſime ſunt diſputata. Latinam quidem orationem paucis quibuſdam vetuſtis vocibus (ſic enim ipſi tum loquebantur) declinatis, ex vtroque tibi mutuari licebit, longe tamen eam vberiorem Plautus ſuppeditabit. ſterilis enim quodammodo, vel (vt modeſtius agam de tanto viro) parcior eſt Terentius, qui, quæ res illi ſe offert ſæpius dicendam, eodem ferè ſemper modo, aut paucis admodum mutatis, an pronunciet nihil laborat, cum Plautus in eo nunquam ſit ſui ſimilis, nouusq; in noua oratione ſemper appareat. Politior, ac caſtior tamen, quodam etiam modo nobilior Terentij locutio omnibus ſemper eſt viſa, quæ res vna fortaſſe in eam opinionem homines induxit, vt eius fabulas magna ex parte à Lelio, atque Africano expolitas, vel etiam confectas eſſe ſuſpicarentur. Comœdiam ſubſequitur Tragœdia, etſi ſcio alio ordine hanc natam eſſe, in hac autem ſi meum iudicium libere proferam, vereor magnopere, ne contra multorũ ſententiam ſatis id poſſim ſuſtinere, atque probare, nam ſecus, quàm ego ſentio, multis

iam pridem perſuaſum eſſe intelligo. Sed ne ab hoc quoque deterrear, Nauagerius efficit, qui Terentio hoc modo poſt multa ſecula aduerſus multorum ſententiã in comicis locum ſuum praclare reſtituit. Secum igitur in hoc genere fabula plerique peßime actum eſſe grauiter queruntur, neque id tantum tragicorum paucitate, qui ad vnum ex frequenti numero ſunt redacti (id enim incõmodi cum multis alijs artibus illi commune accidiſſe, aliquam cõſolationẽ habere poſſet) ſed quia, qui reliquus eſt, ita eius ſcripta improbãtur, vt ne digna quidem ſint, qua perlegantur, nedum in vllum eum tragicorum numerum perduxerint, vtrum autem id ita ſit, iam videamus. Tria ſunt, qua tragœdia maxime conueniunt, expectatio, geſtio, exitus. horum nihil in tot huius tragœdijs deſiderari videtur, ſummam enim hic auditori cum magnarum rerum excitat expectationem, tum illum vſque eò ſuſpenſum ſuſtinet, vt quorſum tantus apparatus prius, quàm ad rem ipſam ſit peruentũ minime ſentiatur. Quod autem ad rei geſtionem, aut ea verbis tantum explicatur, aut etiam re ipſa oſtenditur, & vt vera ante oculos geritur. dictionis id quidem genus eſt, quod ſatis tolerabile eſſe videatur, certe quicquid habet minus purgata locutionis, & illi atatis, & eius fortaſſe

taſſe nationi potuit condonari, aut tanti omnino eſſe non debuit, & quæ eius cætera multa ſunt optima, tam inique ex hominum lectione quaſi delerentur, præſertim cum locutionis rationem pene totam aliunde petendam eſſe præcipiamus. Alterum erat, cum res ante oculos, & eſt prius vere geſta, iterum quaſi vera geritur. in quo neque hic exlex, aut temerarius eſt actor. nam etſi Medeam coram populo necantem filios inducit, item Herculis à patre furentis ſagittis confoſſos, licere hoc quoque per fabulæ legem, ſunt qui grauiſſime teſtentur auctores, & qui Græcam ſcripſere fabulam, hoc ſuo arbitratu factitaſſe conſtat. At Horatius in latinis aliter ſenſit. at etiam rectius ſenſerit, & naturam ſuam, & fortaſſe etiam ſua tempora ſecutus, ab horum ſpectaculorum immanitate abhorruerit. ſubſecuta eſt alia ætas, atque aliis ſcriptoribus animus eſt datus. certe neque Horatio iniuriam, neque mihi nouam legem facio, ſi ad duarum legum alteram ſubſcriptionem meam accommodo, eius non ſequor. quaſi vero & Terentius à comicorum lege non interdum recedat, & non in fabulam bonam meretricem, ſocrum nurus cupidã, ac prorſus alienas perſonas ad quoddam certum tempus minime inepte introducat. Exitus autem is eſt, qui

maxime tragœdiæ conuenit, luctuoſus, quin etiam ſi paulo lætior adhibeatur, non is tamẽ eſt, quo minus fabula probari poſſit. Tragœdiæ vna grauitas maxime propria eſt, hæc autem aut perſonis, aut re, aut verbis ipſis contineri, atque præſtari ſolet. Quod autem ad perſonas, eæ quidem in hunc ſunt inductæ, quæ tragœdijs conueniunt, regiæ, magnæ. Res autem niſi ea quoque, quæ tragœdias excitet. Poſtremo vero ſic grauiter agit, vt neque rei verba, neque verbis res perampla deeſſe videatur, in re enim horribili vbi eius oratio non grauis? vbi non triſtis? vbi non atrox? vbi autem remiſſa? vbi læta? vbi placida? vbi denique cum re tota non conſentit, atque cõuenit optime? Tragœdiæ vero grauitatem, de qua nunc agitur, adiuuari inprimis grauitate ſententiarum nemo non intelligit. Quis autem vno Seneca in ſententijs eſt crebrior? quis etiam grauior? cum in eo quot verſus, tot penè grauiſſimæ ſententiæ numerentur, eæq; omnes & ſuo loco, & cum dignitate poſitæ, atque dictæ ſint? Quanto tragœdiæ ſcriptor magis miſericordiam auditori commouebit, quanto rem crudeliorem, ac magis atrocem faciet, tanto ab hoc maiorem ſibi plauſum excitabit, tanto eius gratiam inibit æquiorem. ac Seneca cum id exequitur, vſque eò partem illam

integer

integerrime praſtat, ut miras inter queſtus acclamationes auditori ſuo cõmoueat. Chori in tragœdia niſi cum re ipſa conſentiant, niſi pleni ſint ſententijs, niſi æque ſcelus atque dignum eſt lamententur, aut contra, virtutem laudibus efferant paribus, ij vitio aliquo carere non poſſunt, vbi autem hic noſter legem eam non diligenter cuſtodiuerit, ac religioſe conſeruarit, vbi non ea omnia cumulate præſtiterit. vbi aliquid admiſerit, expecto, qui me doceant, quod tantum abeſt vt facile poßint, vt (ſi cum hoc aliquando æquiore agant animo) in ijs ipſis choris ſcribendis noſtrum græcos omnes, qui extant, ſuperaſſe fateantur, neceſſe ſit, id vero mihi in hoc viro permirum videtur, quòd cum tot fabulas, eáſque tam copioſe omnes perſcripſerit, nouus tamen ſemper appareat, nunquam ſui ſimilis, neque qui, quod à ſe antea ſit dictum alias, in alium item mutuetur locum, vt quaſi amnem imitetur, cuius idem perpetuus ſit curſus, qua tamen aqua ſemel præterlapſa eſt, nunquã relabatur. Vt iniq. atque haud ſcio an impie iſti facere videantur, qui tam ob paruam cauſam vnicum poëtam ne legendum quidem eſſe contendãt, ſiquidem totum hominem leuißima de cauſa prorſus tollere, belluarum magis, quàm hominis eſt omnino. Equidem cum in hoc ge-

nere plures ſcripſerint, cæteríque omnes prorſus interierint, reſque tragica ad vnum hũc redacta ſit, huic, cui melior fortuna pepercerit, ab hominibus quoque parcendum, atque in quem eum locum ea ipſa poſuerit fortuna, in eo ab ijs quoque retinendum eſſe, facile cenſeo. Iam vero Catullo in eo genere carminis, cui ex ſyllabarum numero hendecaſyllab. nomen eſt inditum, ne primas facile concedam, ij efficiunt, qui in obſcœnũ Deum tam laſciue, támque vrbane iocantur. Sed poſt eos, vel vnà etiam cum ijs primum locum per me quidem licet vt teneat. perſalſe enim, & facete genus illud omne pertractat. Dij facerẽt vt eius opus tam integrum haberetur, quàm ipſe in dicendo penè nihil omiſit, quod eſſet deſiderandum. At aliter ſenſit Ioan. Pontanus, & quidẽ mihi grauiſſimus auctor opponitur, cuiúſque in eodem numero verſiculi mihi maxime arrident. belliſſime enim etiam ipſe iocatur, & vrbaniſſime ſed vereor, ne ad nimiam mollitiem ſeſe demittat. Venuſtatem quidem magis laſciuiẽtẽ, quàm ex aliqua parte grauitatis dignitate temperatam non diſſimulat. Primum autem locum in elegia Tibullum ſcribendi ſuauitate ſibi vendicare putamus. neque ſit nunc, qui illi aut Ouidium, aut Propertium conferat; quorum vterque omnino

quaſdam

quaſdam elegias conſcripſit, quæ admodum non contemnantur. in cæteris vero, quorum longe maior eſt numerus, alter aut ſe iuſto demiſsius agit, aut ita cum numeri, tum verborum nullo prorſus delectu habito verſus pangit, vt ſæpius quicquid in buccam in carmen coniiciat. Alter vero, aut rei difficultate, aut numero quodã aſperiore paulo horridior habetur. cum in Tibullo penè lectiſſima omnia, & propterea etiam facillima legantur, cadántque ita eius numeri leniter, vt magis concinne cadere non poſſent: ac, in quo primam laudem acquirit elegia, hic ita apte vagetur, itáque compoſite diuerſa connectat, vt in re multiplici, ac peruaria integrum tamen ac perpetuum, quàm longum eſt, filum exiſtat. Quod Franciſcus Molſa planiſsime ſenſit, qui ad huius imaginem optime omnium verſus faciebat. Horatius in duobus carminum generibus egregie verſatus eſt, Lyrico, & hexametro: ſed non illo quidẽ grauiore heroico, quo diuinus Maro: ſed quo vtimur commodius, aut cum ad abſentes amicos ſcribimus familiariter, aut cum præſentes modeſtiſsime corrigimus, longe eſt, cum ad amicos abſentes ſcribendum, tum inter præſentes colloquendum, familiarior: in quorum vtroque qui illi ſimilier eſſe ſtudebit, recte probabitur vt in

Lyrico meus Flaminnius tametſi nimis cito artem illam deſiuit, in illo vero altero, in quo ita laxis numeris aſtrictam orationem incedere dicebam, vt penè libere ingredi videretur, Bonamicus, Lampridius, Priulus, qui tamen & ipſe aliò hæc ſtudia conuertit ad ſanctiores literas, necnon etiam Manutius noſter, qui egregrie eo quoque numero ad amicos ſcribere conſueuit. ſed quoniam in hac quoque parte dupliciter verſari dictum eſt Horatium, & cum ad abſentes ſcribit, & cum agit coràm, nolim in hoc, quò præſens oratio refertur, quiſpiam mihi Iuuenalem audeat obijcere. Nam Perſium nihil vereor, nam cum ad caſtigandum, quod in eo ſit maxime verſuum genere, duæ viæ ſint omnino, is aut iudicio non ſano, aut natura praua ductus odioſiorem ſibi delegit, quæ eſt, vt perpetuis iurgijs, ac pœna metu propoſito peccantem ad ſanitatem traducere conetur, in qua accuſandi ratione ita ſæpius acrem caſtigatorē, atque aſperum agit commonitorem, vt magis ad grauius delinquendum, ac etiam ad deſperationem reum impellat, quàm vt ſuorum ſcelerum quicquam aut pudeat, aut pœniteat, ac ne te multis teneam, cui non id elatum nimis, vel dicam inſolens videri potuit, vnde exorditur? Semper ego auditor tātum? nunquam ne reponam? at noſter vſque

eo

eo leniter ſuum caſtigando adigit, Ʋt is lachrimas præ pudore non teneat, ſeq́ꝫ eo, in quo admonetur, oderit plurimum, quod quidem patris eſt, illud magis domini intereſſe Ʋidetur. Ad hæc illud accedit, quòd in latina locutione ille recentior huic Romano concedat, oportet. Quonam tandem, inquit ille, Ouidium mihi reponis? num hic ex tot Ʋoluminum aliquo inter tuos recenſeri commeruit? an prorſus, Ʋt qui ad imitandum nihil conferat, reÿcitur? hunc equidem, quod Ʋideam, ex heroidum epiſtolis (ita enim inſcribitur illud opus) atque ex transformationibus poſſum in aliquem locum recipere, quo dignus ſit, quem imitemur. Sed huius ipſius Medeam audeo à ſummis Ʋiris omnibus in cælum tolli, ea ſi Ʋnquam in lucem prodierit, fortaſſe locum illi alium impetrabit. Iam Ʋero à Lucretio ſi qui aut de anima, aut de rebus cæleſtibus, ac naturalibus aliquid Ʋerſibus agendum eſſe conſtituit, imaginem eam ſumere licebit, Ʋt nuper Aonius tribus de anima libris optime perfeciſſe iudicatur, qui totum eius numerum ita effinxit, Ʋt mihi penè Lucretium alterum, cum eum lego, legere Ʋidear. Ac quoniam ferè nemo eſt, qui modo primas ſyllabas attigerit, non audeat aliquid in epigrammate iocari, ac perpauci mea quidem ſententia ita ſcribant, Ʋt iterũ

legi poſſint, his quoque maxime prouidendũ eſt, ut habeant quo recte imitando ſeſe recipiant, hanc autem palmam ſunt qui Catullo conſtanter deferant, ſed is quodam ſuo numero nimis delectari uidetur, qui ne mihi quoque probatur, ſi ſua ſponte ueniat, ſed uereor ne ui ſæpius coactus trahatur in compoſitionem, certe conquiritur diligentius, & propterea etiam laborioſius connectitur, atque non facilius comparatur, longe uerò maior eorum eſt numerus, quanto etiam ignarior, qui in hoc genere Martialem ſequantur, de quibus nihil aliud dicam, quàm id eis facere ſine riuali, per me quidem maxime licere. Equidem illos ſoleo, quicunque ij fuere, qui cum Virgilio in obſcœnum Deum tam erudite, tam elegãter luſere, cæteris eius generis ſcriptoribus facile anteferre, idque iure optimo facere uideor, quippe qui & inuentione minime uulgari, & dictione, quæ germane latina ſit, æque reliquis antecellũt. Quod unus Nauagerius & uidit primus, & omnium imitatus eſt optime. Tria mihi adhuc reſtant, quibus ſimilitudinis imaginem in poëtis attribuam, Bucolicum carmen, grandius illud heroicum, ac quaſi bellicum, & quod inter horum utrunque interiectum eſt, mediocre, quam trifariam imitandi rationem Maro nobis unus cum abundantiſſ

dantiſsime, tum luculentiſsime ſuppeditabit. hic etenim in vno quoque ſic verſatus eſt, vt in ſingulis omnibus egregie præſtiterit. nam cum videret quantam vniuerſa Græcia ex tribus præclaris ſcriptoribus, Theocrito, Heſiodo, atque Homero gloriam conſequeretur, minime contentus, ſi eorum quemuis in ſuo genere tantum æquaſſet, omnia vnus in ſe experiri eſt auſus: quod quidem ingens onus ita validis humeris ſuſtinuit, vt quo Græci ſuum ſinguli, ac per ſe quiſque, hic ſolus tria illa ſcribẽdi genera fortiter, ac ſumma cum omnium laude in Latium prouexerit, ſi quidem in paſtoritia carmine humili, atque demiſſo calamo omnium optime eſt vſus, quas manſuetiores muſas ſuo loco, atque ordine res ruſtica temperatius excepit, à qua diſcedens diuina illa diuini hominis tuba altius carmen intonuit, cum heroicas virtutes, atque arma inuicta iiſdem perpetuis verſibus grauiſsime eſt perſecutus. Sed de poëtis hactenus, iámque ad inſtitutum noſtrum redeamus. Hi ſunt igitur ſcriptores, qui ſuo quiſque genere maxime probentur, quóſque ipſi ex bonorum omnium ſententia ſequendos eſſe ſtatuimus, qua vero id ratione fieri debeat, deinceps altero, & tertio libro planiſsime (quemadmodum arbitror) demonſtrabitur.

BARTHOLOMAEI RICCII DE IMITATIONE, AD Alfonſum Ateſtium ſuum in literis alumnum, Herculis Ferrariæ Principis filium.

LIBER SECVNDVS.

PROPERANTI *mihi, Alfonſe Princeps, ea, quæ ſcribere inſtitueră de imitatione, hoc ſecũdo libro abſolutius explicare, in mentẽ venit vereri, ne mea hæc omnis opera fruſtra ſumeretur, néve cultius dicendi genus ante, quàm ad ſuum ſummũ perueniret, aut meo, aut quouis etiam maiore ſtudio contineri poſſet, quin retro præceps collaberetur. nam cum paucos admodum viderem, qui illi ſtuderent, multos autẽ qui obſiſterent acerrime, ac non parum etiã aſcenſus ad eius perfectionem reſtare perſpicerem, facile in hanc ſuſpicionem adducebar, vt magnopere vererer, ne magis inde, vbi nunc ſita eſt, eloquentia, iterum ad imum deijceretur, quàm quod reliquũ erat aſcenſus, ſuperaret omnino.*

omnino. cuius quidem mei iuſtiſſimi metus rationem omnem ut planius explicem, paulò mihi altius eſt repetendũ. Eloquentia igitur, quemadmodum memoria proditum eſt, cum primum eſt nata, de rerum omniũ more paulatim, ac longiſſimo temporis ſpatio ad ſuum ſummum peruenit. nam à regibus (de latina enim nunc agimus eloquentia) ad Ciceronis ætatem, in quo uno ſanè conſtitit ac quicquid habuit & decoris, & uis, id omne in illo explicauit ſeptingenti, plus minus, intercedunt anni. ſi quidẽ tantæ difficultatis eſt, ad perfectionem unumquodq; ſuum peruenire. floruit illa quidẽ L. Craſſi, & M. Antonij oratorum ætate, ſed in uno Cicerone maturitatem ſuam conſecuta, eam poſtea tam diu retinuit quoad diuina illa diui hominis uox per ſummum flagitium erepta, atq; interclusa eſt. uno uerò Cicerone de medio iniquiſſime ſublato, uſq; eo de dignitate ſua paulatim eſt deiecta, ut primũ barbariem omnẽ in ſe recipere, deinde, quaſi hoc parum eſſet, in alienã linguam tota commigrare coacta ſit. in quorum altero quàm diu conſederit, nihil attinet dicere. cum eo nouo ſermone uulgo omnis adhuc utatur Italia, & ut uideo perpetuo ſit uſura. in altero uero multa quidẽ conſenuit, atq; contabuit ſecula ſi quidẽ ab Auguſti interitu (ut quãto poſſum eam longius reuocẽ)

paulatim

paulatim obſcurari cœpta, non multos poſt annos in eam, quam paulò ſuprà dicebam, barbarorum colluuiem demerſa eſt. quo quidem eius miſerrimo, ac calamitoſiſſimo tempore ea peſſime conſcripta ſunt volumina, quæ vt malæ herbæ quæ lætiſſimis frugibus innaſcuntur, denſiſſimas bonis illius feliciſſimi ſeculi auctoribus tenebras offuderunt. Ex quibus tamen, quando Dij voluerunt, ſenſim caput efferre cœpit. tandẽ enim aliquando, atque adeo poſt multa ſecula Laurẽtius extitit Valla, qui ſic de illa eſt meritus, vt qui eam optimè, longe verò eo quoque melius quòd totam oppreſſam, atque ſepultam offenderat. Poſt hunc Paulus Corteſius (etſi longo fortaſſe poſt interuallo) huic quoque præſto affuiſſe videtur. quid ille tamen profecerit, non ſatis conſtat. Certe cum Politiani æqualis eſſet, aduerſus eum, ac reliquos eius ætatis eruditiſſimos viros, ſed parum diſertos, eloquentiæ dignitatem per imitationem eſſe reſtituendam, fortiter contendit. extat eius epiſtola ad eum ipſum Angelum Politianum in hanc ſententiam cum valde erudite, tum etiam pereleganter conſcripta. His autem [illegible] Ad[illegible] [illegible] acceſſit. qui poſtea (vt noſtri loquuntur) Cardinalis fuit, qui & ipſe eloquentiæ lumina, & inſignia quædam, quibus diſtincta maximè illuſtris fieret oratio, ſatis apte demonſtrauit.

ſtrauit. Hunc autem ipſi (ſi tamen hoc parum de me ipſo per meam modeſtiam mihi licet agere) ſecuti ſumus, qui apparatu noſtro, & aliquid huic facultati conſuluerimus, magno opere contendimus. Utrum autem id ſimus aſſecuti, aliorum iudicio relictum volumus. Ab altero apparatus noſtri anno Marius Nizolius exiuit in medium, qui & ipſe facultati iſti certè plurimum profuit. Poſtremo etiã meus Zanchius, qui vniuerſas latinas voces ſatis paruo volumine complecti eſt auſus, cum neque tamen multi preterea alij interim defuerint, ijq́; eruditiſſimi, atq; ornatiſſimi viri, qui qua id ratione potuerunt non parum opis in hanc dicendi facultatem ſtudioſe contulerunt. Ex quibus ex ijs, qui proximi deceſſere, quatuor mihi in primis occurrunt, nulla vnquam ſinguli ſatis laude commendãdi, Andreas Nauagerius, Petrus Alcionius, Chriſtophorus Longolius, Iulius Camillus. Sed Nauagerius eo iudicio vir fuit, vt nulla in re, quam ipſe ſcripſiſſet, quanquã in ea cæteris omnibus facilè ſatisfeciſſet, ſibi quicquam ſatisfaceret. quare etiam eueniebat, vt non ita crebro ad ſcribendum accederet, quin etiam, quod moriẽs ſecum habuit in Gallia, vbi patriæ ſuæ legatus deceſſit, paucis horis antequam moreretur, ante oculos ſuos comburi iuſſiſſe fertur. hic autẽ quicquid habuit,

buit, quod quidem plurimum fuit, id totum habuit à natura, in quo ſi vel mediocre ſtudium adhibuiſſet, nulli dubium eſt, quin reliquis omnibus ſcribendi virtutibus facile ſuperaſſet; certe, quod perrarum eſt, in eo viro non defuit, vt in vtraque ſcribendi ratione aque egregie excelluerit. Alcionij autem dictio ſic ea quidem compoſite, atq; naturaliter fluebat, vt cum maxime Ciceroniana eſſet, ea tamen ab eo ſumpta eſſe nulli ſentiretur. non enim eam ſcriptionem cōſectatus eſt, qua locutionem integram, atque adeo periodos ipſas in ſuam orationem quaſi de induſtria transferret. ſed neque ipſe ſcripſit multum, aut non is eſt ſemper, qui de exilio agit. Chriſtophorus Longolius & breui ſatis multa ſcripſit. & quod ad locutionem attinet, eam viā ſecutus eſt, qua quicquid ei dicendum accideret, id quaſi ex Ciceronis ore dixiſſe, ac eius lingua vt ſua vſus eſſe videretur. quod genus dicendi etiam tum, cum moritur (moritur enim adoleſcens) ſic probauit, vt nulli dubium ſit, quin ſi ad iuſtos annos vitam perduxiſſet, in dicendo facile omnium princeps extitiſſet. Iulius autē Camillus cum & ipſe minimè inepte ſcriberet, aliam tamen rationem à ſcribendo qua facultatem hanc maxime ſubleuaret, ſibi adinuenit, nam cum praeter latinam dictionem, & ad abſtruſiora intelligen-

telligẽdum, & ad rem inter ſe quaſi per ſua capita optime conſtituendam mire natura factus eſſet in id omne ſtudium ſuum contulerat, vt ad facillimum omnium vſum omnem de eloquentia rationem ſuo ordine deſcriptam conſtitueret. inde regium illud theatrum exiuit, tametſi nondum ad eam rationem deſcriptum, quam in animo conceptam habebat. ea autem erat, vt quærenti primum quid de quaq; re copioſe diceret, locos ei vberrimos offerret, deinde quo id ordine, atque diſpoſitione tractaret, facile demonſtraret. Qui verò ea omnia egregie ad Ciceronis rationem dicerentur, tertio in loco copioſiſſime ſubminiſtraret. Sed ab hoc tanto, támque nobili ſtudio multi primum caſus iniquiſſime eum auerterunt, deinde ſacrarum literarum deſiderium hominem inuaſit poſtremo mors ipſa totum nobis eripuit: nam cum ego hanc partem agerem, is Mediolani apud Dominicum Saulium repentine moritur, vehementi (vt creditur) apoplexia ſuffocatus. Sed iam redeo ad eos, qui nobiſcum adhuc feliciter agunt, quorum ope, & ſtudio eloquẽdi ratio, & facultas maximè viget ac floret. Ex quorum numero ij mihi occurrunt, quos ſumme probem, tres, qui cumulate ſcribendo quotidie de eloquentia optimè merentur, Iacobus Sadoletus, Petrus Bembus, Pola Britannus,

tanus, Cardinales. Qui autem & dicendo, & docendo duplicem hanc laudem aſſequuntur, Ioannes Baptiſta, Egnatius, Pierius Valerianus. Rom. Amaſeus, Laz. Bonamicus, Petrus Victorius, Barthol. Ricciolonius, Ioannes Struminus; de quibus omnibus virtute praeditis viris nihil eſt, quod a me expectes amplius, quàm quod aut eorum ſcripta, aut ex publico loco viua vox probe de ſe omnibus testatum relinquit. Cum non deſint tamen neque viri complures alij. neque etiam optimae ſpe adoleſcentes, qui in ea ſuſtinenda, & fortaſſe ad ſuum ſummum etiam excitenda optimam operam nauare poſſint. in quibus Bernardus Nauagerius ſumma vir eloquentia, id quod etiam ex ea oratione, qua ſplendidiſſime Andream Gritum Principem Venetiarum in funere publico laudauit, facile perſpici potuit, Benedictus Rhambertus & ipſe hoc genere mirifice excellens, Bernardinus Maſeus non tam patria, quàm etiam dictione vere Romanus, Daniel familia Barbarus, lingua, atque oratione planè latinus, Pompilius Amaſeus Romuli F. qui dicendo parentem optimè refert. Griſoſthomus Zanchius, Duo M. Antonij, & Flaminius, & Maiorag. us, in Ariſtotelis paraphraſis vterque latine, atque perelegante conſcribendis. Ex quorum alterius

iampri

iamprìdem extat in diuina philoſophiæ duodecimum, alterius mox in quatuor de cælo libros fuſior atque dilucidior edetur explicatio. meus item Manutius, Aldo patri diligentia & induſtria comparandus, ingenio & virtute anteponendus. Iulius Scaliger, Ioan. Omphalius, Ioach. Perionius, qui primus omnium rectè ex Græcis conuertere didicit, an docuit magis? non omnium minimam præſtare poterunt operam. Ex iis autem, qui adoleſcentes, ac ætate penè pueri, atque infantes ſunt, dicendi autem elegantia penè natu grandiores, Mafius frater, Gibertus Corregius, Quercenſis, M. Fannianus, Mutius Calinius, Syl. Scaliger Iulii mei familiariſsimi filius, tuq; adeo in primis, Alfonſe Princeps: qui omnes adoleſcentes non ſolùm in optima ſpe veſtrorum ſtudiorum, ſed etiam in ſumma doctiſsimorum hominum admiratione poſiti eſtis. Sed ne ſingulos recenſeam, qui aliquid, atque adeo plurimum dicendo valent: cum item ſciam Corradum Regii lepidè, Lucæ Aeternum, Ferrariæ Guarinum, & Girardum, Vincentiæ meum Griſolum optimè docere; Benedictum autem Accoltium, Franciſcum Gonzagam, Alexandrum Farneſium Cardinales & ſcribere, & loqui peræque ſplendide, neque Herculem patrem tuum minimè infantem eſſe, me

prorſus fugiat, vel ex eo tempore, cum admodum adoleſcens ſic apud Pon. Adrianum cauſam ſuam perorauit, ut illi orationi magnopere omnes acclamarint; Pontifex autem cauſam integram facile adiudicarit, Franciſcum denique Oliuam minimè ignorem in hac dicendi ratione omnium ſplendidiſsime verſari, atque tanta huius integritatis reuerentia contineri, ut in eum etiam, ſi quem vel inter loquendum minus latino interdum verbo ſenſerit uſum acerbius inuehatur, ne inquam omnes, qui hanc dicendi facultatem colunt maximè, nominatim appellem: ex omnibus gentibus atque in primis ex vniuerſa Italia huic numero maior quoque numerus adiungatur, per me quidem licet. felicius ſit, quàm ego audio, hoc politioris latini ſermonis ſtudium, & amor, Roma, Neapoli, Bononia, Mutina, Mediolano, Verona, Patauio, Venetijs. Ex vniuerſa denique Ethruria quantum poteſt & ſplendoris, & elegantia accedat. tot tamen, ac tanta ſunt, quæ huic grauiſsime aduerſantur, quæq; quæ ſi obſeſſam infenſiſsime oppugnant, ut hi fortaſſe ad eam gloriam, quæ nunc maximè floret, quoad nobiſcum agant, feliciter conſeruandam ſatis eſſe poſsint. Vbi verò deceſſerint (qui quotidie meliores auferuntur) quæ ſpes reliqua eſt, quæ totam paulò

poſt

poſt prorſus non timeam interituram? nam qui poſteris facultas hæc deinceps propagari poßit, duæ viæ ſunt omnino, ſcribendi vna, docendi altera, quorum neutrum à noſtris ſatis abunde præſtari nimis certo ſcitur. nam qui docere optime ſciunt, qui multis partibus longe plures ſunt, quàm quos paulò ſuprà commemoraui, aut eius ſtudij laborem ſummum, aut indignitatem non minimam diutius ferre non poſſunt, præſertim tam eis exili mercede propoſita. atque ea ipſa ſuo ſæpius tempore minimè diſſoluta, interdum etiam improbißime abnegata. Quid? quod ex ijs, qui docent interdum etiam ſtultorum ciuium improbitate, qui auctorum eorum interpretationem ab eis poſtulant, qui peßime de latino ſermone ſunt meriti potius, quàm id in hanc admittant, ludos deſerunt. ſeſe in otium referunt, à publico munere abſtinent. Qui verò in ſcribendo pari poſſent ratione verſari, neque ij ſua quoque difficultate quam ob rem id officij minimè præſtent carere videntur. nam cum ad illud otium multa ſint neceſſaria, neque illi tamen ex ſuis ſcriptis vllam vtilitatem percipiant, aut à ſcribendo prorſus ceſſant, aut parum omnino ſcribunt, eáque interdum ſecum interire ſinunt. ſed cum his paulò liberius etiam agatur. res eis vndique abunde ſit:

 ſcibant

ſcribant inquam iſti, & commode etiam ſcribant, innumerabilia conficiant volumina, gloriam ſuam adament, quantum tamen ſcriptio valeat ad hanc, quam quærimus ſumma eloquentia opem ferendam, iam pridem cognitum eſt, cum Ciceronis ipſius diuina illa tot ſcripta multa ſecula iacuerint contemptiſsima, idque in ea ciuitate, in qua & nata, & alta, & diu feliciter dominata eſſet eloquentia. Illud adde quòd ſi qui adoleſcentes hiſce humanioribus ſtudijs maximè delectentur, ac breui in ijs plurimum ſint progreſſuri, copiáſque noſtras maximè cum ſcribendo, tum etiam docendo ſint adaucturi, continuo eorum parentes rei augendæ, quàm orationis expoliendæ multo auidiores, eos ad alias facultates, & à paleis (vt ipſi dicunt) ad grana compellunt colligẽda. in quo ipſo quantum de viribus noſtris detrahi, tantùm aduerſariorum adaugeri ſentimus. Iam verò, quàm mihi ab aduerſarijs ſperandum ſit, cum à noſtris ipſis non vno laboremus modo, facilè eſt cuique videre. à quibus ſine vllo dubio cum longe plura, tum etiam ſtudioſiora, quàm noſtra, ſunt omnia. nam vt à philoſophis exordiar, qui aut ſuo marte, atque ingenio de philoſophia loquuntur, aut ſcribunt, aut qui veterum græcorũ ſcripta latina ſe facere arbi-

arbitrantur, cum in ſuam linguam ea conuertunt, horum primum infinitas eſt numerus. aſsidue deinde & ſcribunt, & docent, quàm autem Vtiunque & ſparce, & contaminate, difficile eſt dictu. His coniuncti ſunt medici, qui & ipſi bene ſunt multi, & in opere admodum aſsidui aut in pharmacis ſuis conſcribendis, aut in diſceptando Vtra ſalubrior medicina adhibeatur grauiſſime ægrotanti: in quo aliquando peſtilentiori oratione Vtuntur, quàm morbus ipſe eſt, cuius curationi ipſi ſunt adhibiti. Iuris Vero conſultos quis audeat numerare? ſola hæc quidem facultas Vna cæteras alias artes ſimul coniunctas, cum hominum, tum Voluminum ipſorum numero facile ſuperat. at hi quoque, quorum leges tam elegantiſſime ſunt conſcriptæ, quàm etiam æquiſſime ſunt perlatæ, non modo impuriſſime & loquuntur, & ſcribunt, ſed legum etiam ſplendidiſſimis luminibus ſuapte barbaria tantum officiunt, Vt non ſolum non intelligantur, ſed iam penè legi ſint deſitæ. quantum autem iſti, aut etiam quanti doceant, frequentes eorum ſcholæ facile indicant certe iſtis multis partibus, quàm noſtri maiora ſemper propoſita ſunt præmia. Age Vero illis, qui teſtamenta, qui pacta, qui conuenta ſtipulantur, quæ barbariæ colluuies paſsim

fora omnia poſsidet, atque occupat, quæ infan tia non eloquentior? quæ proluuies non mundior? quæ autem fœdior, quæ abſurdior, quæ tetrior fex? qui etiam (ſi diis placet) de induſtria verbum nullum recte proferre conantur. Quæ quidem peſtis circũforanea aut vno omnis ciuitatis conſenſu in vltimas inſulas aſportanda, aut in culeum conſuenda, aut æneo tauro leniter comburenda eſſet, vt quando recte loqui contempſerit, planè mugire perdiſceret. Nam quòd noſtri artem ſuam vt cæteri faciunt, minime profiteantur, magno id quidem fit cum eloquentiæ detrimento, ſed multo id grauius tamen eſt, multóque letalius, quod ab iis, qui docent, huic infligitur vulnus. nam cum ciuitates magiſtris carere non poſſint, eos ex eorum numero ludis ſuis illæ præficiunt, qui id plerunque peſsime faciunt, quorum qui ſint auctores, quos in ſcholis fœdiſsime interpretentur, aut quam viam in docendo ineptiſsime ſequantur, pudet proferre, ex quo tanta eloquentiæ calamitas iniicitur, tantus morbus, tantum, támque præſens venenum in totum eius corpus diffunditur, vt ſexcenti Cicerones eam incolumem conſeruare non poſſent. Quæ quidem publica peſtis vſque eo iampridem emanat, vt priuatas etiam ædes ſua cõtagione fœde coinquinet, atque peſtilenter inficiat, quis enim hodie

hodie apud primarios ciues eorum liberos docet, niſi qui aut leguleius, aut medicus futurus ſit? quibus quid tandem cum bonis literis, atque cum eloquentia eſſe poßit, ipſi, quorum res agitur, viderint primarij ciues. Equidem qui operam dat, vt cytharœdus fiat, quomodo rethoricam alios docere poßit, non ſatis video. Quantum autem ab Italica lingua (vt de noſtris tantum agam) damni, ac calamitatis iam pridem huic inuectum ſit, atque adeo in dies inuehatur magis, difficile eſt dictu. Siquidem & in nobilißimis ciuitatibus iam publicæ academiæ celebrantur, quæ ad Italici ſermonis rationem omnes diſciplinas traducere conantur, & ex omni ordine multi reperiantur, qui, quæ latina ſunt, in ſuam linguam conuertere non ceſſent, eóque iam ventum ſit, vt multa Ciceronis volumina confecerint, ex quo vno tanto, támque nefario ſcelere non ſolum eloquentiæ, ſed latinæ rei literariæ vniuerſæ crudele exitium afferri videtur. non enim iam pridem multi deſunt (vt illud iſtis etiam condonem, quod ſua iſta conuertendi ratione optimos auctores miſere dilacerent, ac infeliciter diſcerpant) qui cum ignorantiam ſuam ſic excuſent, tum etiam laborem hunc fugiant. Quid mihi iam tantum ſtudij, & laboris ponendum eſt in lati-

na lingua perdiſcenda, cum iam in mea habeam multa, ac breui cætera ſim habitura, quæ latina ſunt omnia? Poſtremo huc accedit, quòd longe id amplius eſt, quod ei reſtat ad ſuum ſummum aſcendendum, quàm quod adhuc confecit aſcenſus, in quo vno ſuperando longe etiam fortioribus, quibus eò valide tollatur, opus eſt humeris, quibus quàm peßime imparata ſit, iam omnes videmus. Quæ cum ita ſint, vt ab hac noſtra omnia exigua, debilia, caduca, contra ab eius aduerſarijs maxima, vehementißime perduratura, ac poſtremo rem in ſumma etiam difficultate propria verſari videam, nihil cuiquam mirum videri debebit, ſi ego id magis veritus ſum, ne hæc rurſum ad imum reuoluta celerius relaberetur, quàm vt ad ſuum ſummum perueniret, ſperarem omnino. Quem meum tamē tantum, támque iuſtum metum, magis mihi ad huic rectè proſpiciendum, quàm ad prorſus de ea deſperandum ſuſceptum eſſe volo. Quare eos omnes, qui opem huic afferre poſſunt, eam ne negent rogo, atque oro, longe copioſius ſcribant, doceant quoquomodo poſſunt, ſtudioſius, viam aliis fideliter commoſtrent, eos etiam non ad paruum itineri ſpatium comitentur, quaſi de ſuo lumine omnibus cupientibus lumen accendant. Conſpirent, qui

bona

boni ſunt vbique dicendo, in huius ſanctiſſima regina Rempublicam conſeruandam, atque tuendam, omnem operam, curam, diligentiam in hac vna augenda, atque latius propaganda ponant, atque defigant. Equidem (quantum in me erit) ſi modo aliquid in me eſt, curabo, ne id hac à me vlla ex parte deſideret, nam & ſcribendi, & docendi, quam diu vel mihi licebit, officio perfungar, nunc autem, quod exorſus ſum, de imitatione ſcribere pergam, vt prorſus abſoluam. Cum igitur tria ſint, quæ vniuerſam eloquentiam conſtituant, inuentio, diſpoſitio, locutio, totidem etiam in rebus imitationem verſari, neceſſe eſt. Primum enim ad optimi alterius rationem inueniendum eſt, deinde quicquid inueneris recte, atque ordine conſtituendum, poſtremo, vt eloquaris, accurate laborandum, nam ſiue inuenias quid, ſiue id inuentum conſtituas, ſiue poſtremo eloquaris, certam in omnibus viam vt habeas, ad cuius rationem ea omnia peragas, in primis erit tibi diligenter prouidendum. quod quemadmodũ in omnibus faciendum ſit, hoc ſecundo, & toto tertio libro abunde explicabitur. Sed quoniam res omnes aut eadem ſunt omnino, aut ſimiles, aut contraria, continuo quæ eadem ſunt prorſus, neque inter ſe quicquam diſcrepant, nihil ab

ab imitatione adiuuari poſſe videntur, nam rem prorſus eandem agere, quam alius agat, ſemper erit idem agere, nunquam imitari, vt qui libros (quemadmodum dicunt) imprimit, qui quidem in ſuis formis componendis facile habere poterit, ad cuius imaginem, atque adeo imagines eas componat, ſed cum vnam (quod aiunt) torculari in folium ſemel expreſſerit, ac perget infinitas exprimere, in nulla earum vlla erit imitatio, eædem ſemper erunt, à prima nihil vltima diſcrepabit, ſi quis item ita ridicule inſaniat, vt Daphnis mortem defleat iiſdem verſibus, quibus Maro, nec literam vllam commutet, & doceat ſe Maronem imitatum eſſe. quis hunc continuo centum non conijciat Anticiras? at mutet, addat, detrahat, iam tum ſui aliquid habere poterit, verum ſi quid ſimile, aut contrarium transferat, tum prorſus imitatoris nomen aſſequetur. Nam cum omnis res aut ſimplex, aut multiplex ſit, in multiplici tantum imitatio dari videtur, vt in inueniendo, conſtituendo, loquendo, quoniam non vno modo inuenimus, conſtituimus, eloquimur, in ſimplici autem non ita, nam quæ ſimplex ſit res, poteſt illa quidem aliunde ad ſe conficiendam imitationem ſumere, à ſe autem ipſa, ſi iterum agatur, nullam, vna tantum latina ſit lingua, eáque

(vt

(ut rectius illi ominer) optima, qui ea lingua loquatur, quia ſola ſit, in ea nullam habebit imitationem, ſed tantum latine loqui dicetur, at ſit (ut eſt) multorum generum, ſit grauis: ſit tenuis, ſit; quæ horum inter utrunque poſita eſt, mediocris, uolubiliter fluat, interpunctis atque interſpirationibus diſtinguatur, pura ſit, atque lenis: contra etiam dura, ſeuera, & ſi quæ alia ſunt genera: cui horum ſe quis addixerit recte imitator dicetur, quoniam illud probarit, cætera contempſerit. Sed quoniam crebro nobis accidet, ut quæ dicta ſint prius, eadem ſæpius dicenda occurrant, qua id ratione recte fieri poſſit, locus poſtulat ut pluribus explicemus, tametſi cum de locutione agetur, multa etiam reſtant dicenda. Qui igitur in eo argumento uerſabitur in ſcribendo, quod ante tum quiſpiam alius occuparit, ac ſuum ſibi uſu uendicarit, aut id aliena, aut ea ipſa, qua is id perſequitur lingua, erit ei faciendum. ſi in aliena id faciat, aliquo modo faciliorem, ac magis tutam ſcriptionem ſuam habebit omnino: nam ſi quid ex eo in ſuum ipſe uſum, ac commodum paulo liberius tranſtulerit, non continuo omnium accuſatio, neque reprehenſio ei ſubeunda erit, quando legenti altera fortaſſe lingua minime nota eſſe poterit, deinde uero, quòd iam pridem bonorum

more,

more, atque conſuetudine id videtur ſine ulla offenſionis culpa fieri poſſe, quemadmodum cum græcis Plautum, & Terentium feciſſe cõſtat, qui in ſuas latinas fabulas ex græcis fabulis locos integros transferre non dubitarunt, quin eorum etiam alter ex duabus græcis unam ſuam latinam aliquando ſibi effecit integram. Clamet ille uſque licet furem, non poëtam fabulam dediſſe, hócque magis eſſe contaminare, quàm ſcribere fabulas, inſimulet, longe ſemper equidem Lelij, & Scipionis iudicium, quàm ueteris poëtæ obtrectationem fecerim pluris at Maro nimis frequens in Homero eſt, nimíſque apertus, qui partes ad verbum penè innumerabiles in ſuam Aeneidem transferre non dubitauit, ut in Aeneæ tempeſtate, quam totam ab eo ſurripuiſſe criminantur. neque item Cicero non ex omni Græcia, quicquid ei libuit, minus in ſua ſcripta compilauit: recte ſanè uterque, & prudenter. ſed multo etiam plura ſumpſerit Maro (neque enim illum unquam ſurripuiſſe fatebimur) tam id apte, tã cum re ſua, tam cum natura facit, ut potius ex eodem fonte, unde etiam Homerus, quàm ab ullo græco exhauſiſſe dicendus ſit, ac quod ad tempeſtatem attinet, mihi noſter in ea optime & fingenda & deſcribenda, non ſolum nihil ab Homero ſumpſiſſe, ſed eum etiam

longe

longe ſuperaſſe videtur. Quid enim quæſo horridi habet Vlixes, cum naufragus ad litus natans eiicitur? nam cætera ſunt, vt in tempeſtate, placidiſſima. at noſter in ipſius etiam tẽpeſtatis apparatu legenti terrorem incutit, in re autẽ ipſa (Dij boni) quid horridius? quid miſerabilius ab eo carmine, Talia iactanti ſtridens aquilone procella, vſque eò, cum Neptunus mare totum cieri ſenſit, aut ſcribi, aut fingi poteſt? niſi iſti naturã ipſam quaſi Alexandrum imitantem ſibi effingant, qui vti ſe à ſolo Apelle, ſic hæc ab Homero tantum, quicquid mirum ediderit, depingi patiatur. hoc item modo de Cicerone eſt dicendũ, qui quod à græcis ſumpſit, non tam id ad latinam orationẽ locupletandã, quàm etiam ad id ipſum quàm græci ipſi ſplẽdidius ornandũ ſumpſiſſe conſtat. Quorum ego & induſtriæ, & doctrinæ facile principum virorum ſententia tantum abeſt, vt de hac mea quicquam decedam, vt in ea magis confirmer, atque conſtituar validius. Neque hæc, quod ex aliena lingua ſumi poteſt etiam cum dignitate bonorum teſtimonio comprobauimus, id tantum de particulis quibuſdam quaſi decerptis, ſed totum etiam rei quantum eſt argumentum vel vnius, vel multorum id ſit auctorum, in noſtram orationem transferri poſſe, bonorum item exemplo conſtanter aſſeueramus. Plato dialogum de

amicitia ſcriptum reliquit, latina oratione eam quoque partem integram Ciceroni placuit illuſtrare in quo ſtudio quid vitij contraxerit ne graeci ipſi vnquam dixerint. Ariſtoteles. Panetius, de officiis cumulatiſſime ſcripſerunt, tantum abeſt, vt eorum auctoritate Cicero quicquam ab iis ipſis ſcribendis officiis deterritus ſit vt nihil illis ſcripſerit ſplendidius nihil effecerit abſolutius. Quae tamē ſcribendi facultas vniuerſa duas in primis cautiones habere videtur, ne prorſus in ea quiſquam furti nobiſcum agere poſſit, vna, ſi quicquid ad aliorum aemulationem tractandum ſumpſerimus, id inuentione locupletius efficiemus: altera, ſi noſtro id inſtituto, atque ordine proſequemur meliore. Theocritus Pharmaceutriam, hoc eſt, excantationem amatoriam ſcripſit, idem Maroni aliquando efficere viſus venit, in quo argumento noſter longe melius verſatus eſt. nam quod ad inuentionem attinet ſaepius inania, ac puerilia Theocritus garrit. Maro autem non niſi quod ſe maxime deceat, agit. pari autem ratione, ſit in ordine, in quo noſter magis appoſitus eſſe non poſſet, cū graecus incōſtanter agere videatur. Quin illa quoque ſi quae ex eo Maro mutuatus eſt, ita is commode facit, itaque appoſite ſuis adiunxit, vt ea potius in ſuum locum reſtituta, atque repetita, quàm à quoquam

ablata,

ablata, atque accepta eſſe videri poßint. Si vero in eadem lingua ſit idem argumentum, & materia pluribus explicanda, id quidem non parum erit adiumenti, ſi alius verſibus, alius ea oratione, qua vulgo loquimur, ſolutiore, illud dicendo exornet, modo dictionis genus ea facultas recipiat, atque in ſe admittat, quemadmodum cum Catone, ac Varrone Virgiliū in re ruſtica feciſſe manifeſto apparet, nam qui hiſtoriam verſibus ſcribat perpetuis, non ſatis commode, atque ex vſu facere videatur, ſicut etiam neque adhuc, qui eam dialogo perſequatur, quiſquam eſt inuentus. huic autem integrum arbitror futurum, vtrum quam ipſe ſibi commode conſtituerit, an eam, in qua non inepte verſatus ſit alius, viam perſequi malit, modo latine, modo ornate, modo ſplendide quantum rei dignitati conueniet, rem explicet, atque eloquatur. etſi propria magis omnino tuta videtur ad furti ſuſpicionem omnem deuitandam. Verum ſi paria ſint omnia, res eadem, lingua, & orationis genus non diſſimile, continuo aut cum ijs ſcriptoribus nobis res erit, qui in ea non omnia viderint: qui in conſtituendo parum egerint apte, qui denique nullo pronunciarint ornatu, aut qui hæc omnia egregie præſtiterint, ac nihil omiſerint, quod cuiquam deſiderari poßit.

rum ſuperioribus longe nobis erit facilior quaſi concertatio, relinquetur enim ſemper pars non exigua, in qua aut inueniendo locupletiorem, aut inſtituendo compoſitiorem, aut dicendo magis illuſtrem orationem noſtram comprobemus. Vt ſi quis pictor, quemadmodũ apud Herculem patrẽ tuum factum vides gigantum bellum aduerſus deos penicillo rudi, atque impolito informet, quod poſtea doctior manus excipiat, atque addendo, componendo, colorando longe admirabilius, magisq́ conſpicuũ effingat, atque exprimat. in quo vno efficiendo, qui doctiorem manu adhibebit, plurimum in eo adiumenti ſibi relictum eſſe ſentiet, quòd, quem facile ſuperet, propoſitum habebit aduerſarium. Romulum Amaſeum. quem virum iam ſapius honoris cauſa nomino, cum Bononiæ eius auditor eſſem, in hoc genere ſtudij ſum admiratus, nam quoties inter explicandum (ita vt fit) hiſtoriæ pars aliqua in præſentem partem incidiſſet exponenda, etſi in omnibus ille ſui quidẽ ſemper erat ſimillimus, verum ſi eam tamen ex aliquo ſcriptore minus eleganti, atque impolito, ac parum etiam compoſito ſumptam habuiſſet, quantum eam cum apte inſtituendo, tum omni elegantia ſplendore dicendo illuſtraret, atque componeret, dici non poteſt. Sin autem prudẽtiſſimus ſcriptor,

quique

quique aptiſsime conſtituat, atque ſpendide eloquatur, locum noſtrum prius occuparit, eúmque ita totum communiuerit, itáque ſuum effecerit, ut nullus acceſſus, nulla ad eum accedendum pateat uia, neque ad eum iure æquo repetēdum actio ulla nobis relicta ſit, res ea quidem primo aſpectu duram, atque difficilem uidebitur habere tractationem, ſed non eius tamen erit negocij, ut ego, & poſteri mecum omnes quicquã deterreamur, quo minus de ea, quoties uſus ueniat, uel commodiſsime uerba facere poſsimus. at ſi Cicero uirum fortem laudarit, ac omnes eius laudes (ut cætera omnia) & inueniendo argute, & inſtituendo compoſite, & dicendo luminoſe expreſſerit, atque illuſtrarit, ſi acciderit ut tibi idem faciendum ſit, non continuo hærebis? non quid prius, quid poſterius dicas, aut quomodo id dicas, dubitabis? non etiam atque etiam uereberis, ne ad eum, tãquam ad ſcopulum aliquem, dictionẽ tuam illidas? Rem equidem ſi negem ſummam difficultatem habere, ac in peranguſto uideri uerſari loco, imprudens ſim, niſi etiam impudens. multum eſt enim atque adeo plurimum, ſi quis ſciens fructuum, prius in pomarium ueniat, ac ei libera facultas data ſit, ut inde unum quodque, quod ei belliſsimum uideatur, ad menſam ſuam cohoneſtandam

deligat, atque decerpat. ſed cum res tamen rectius conſideratur, minime ſe talem interius probat, qualis extrinſecus apparet omnino, ſiquidem tanta vis honeſti, tantáque rerum omnium copia eſt, tam multiplex conſtituendi ratio, tam eloquendi varia, atque ampla facultas, vt ſemper aliquid, atque adeo multum relinquatur, quo ſumma cum dignitate aut inueniendo, aut inſtituendo, aut dicendo pro noſtro vti libere poſsimus. nam quod ad rem inueniendam pertinet, qui quaſo tam à recta mente aberrabit, vt quæ cuiuſque rei dicenda ſint, omnia excogitare, omnia videre ſe poſſe confidit? non multa, atque etiam interdum non peſsima ſe ſuſpicetur omiſiſſe? Equidem antequam hac hominum noua inuenta ſcirentur, tormenta (vt ita dicam) militaria, nauigandi certa illa in omni tempeſtate locorũ ſcientia, librorũ deſcribẽdorum ars vberrima, aunm ex auibus & natura, & artificio inimicis regia venationes, vitrei quaſi oculi, temporum per horas ad ſonitum certiſsima dimenſio, ex ephippijs certus pedum appenſus locus, & cætera eius generis propè innumerabilia, à recentioribus hominibus cum ad ſummam hominum voluptatem, tum ad maximam vtilitatẽ excogitata, hæc inquam quàm diu in hominum ignoratione latuere, & multa,

in tenebris iacuere, vt vero in lucem hanc, atque in vſum humanum doctiſsimorũ hominum ſtudijs venere, ita vno omnium gentium conſenſu in cœlum tolluntur, vt cum antiquitate certare, niſi eam etiam ſuperare poſſe videantur. Arcum vetuſtas ad longiorem, atque vehementiorem ictum excogitauit, recentiores id tormẽti genus, quod baleſtram vulgo appellant, ad eum adiunxere. noſtra autem ferè ætate horum omnium vehementiſsima, quæ ſua item lingua vulgus varie ſclopetum, archibuſum appellat, necnõ reliqua eius generis grandiora tormẽta, cum ad maximam in conflictu ſtragem edendam, tum ad vrbium ipſarum mœnia impotẽtius verberanda, ac demolienda ſunt adinuenta. quorum item omnium primo vis ignea lentius ſeſe agebat, ac antequam pillulam ſuo illo impulſu emitteret, quaſi ſuo lumine, vt eam deuitaret, hoſti commodius ſignificabat. nunc autem eò proceſsit id artificij, vt prius mortem ſentias in latus, quàm ignis lumen vllum videas, vt rerum omniũ ferè ſemper aliquid ſupereſſe poſsit, quod prudens addat inuentor. Ad hæc accedit, quòd nõ vna, atque eadem eſt omnium rerum inueniendarũ ratio, & modus. Cicero Milonem cædis reum fortiſsima oratione (ſi eam habuit integram, quæ pro Milone legitur) defendit. at Brutus

idem eff:ciſſe, ſed alio idem effeciſſe modo dicitur, neque fortaſſe imperite. Quid vero ſi Hortẽſius eam quoq; cauſam peroraſſet, num ei quaſi ad alterius eorum vtrius ingenium inueniendi ratio concluſa, atq; circunſcripta ſequenda eſſet? Et non ſolum multa addi ad aliorũ inuenta, verũ etiã alio illa ipſa modo inueniri, atq; excogitari facile poſſint. idem antẽ euenire in re ipſa conſtituenda neminẽ arbitror non videre, cuius rei Cicero nobis locupletiſſimus teſtis eſſe poteſt, qui artis præcepta multis modis tractauit, ijsq; omnibus quàm cõmodiſſime. Pari item ratione dicendum eſt de elocutione, de qua in tertio libro, qui totus de illius præceptis eſt conſcriptus, abunde à nobis dicetur. Ac profecto cũ poſteris longe iniquius actum eſſet, ſi natura primis hominibus omnia prodidiſſet, atque optima quæq; deprompſiſſet, nec quæ eius ſumma eſt prudẽtia, quicquid prouidet, quicquid homini ſtudet, id omne in cõmunem, atq; æquam omnium vtilitatẽ prouidiſſet, atque cõparaſſet, verum deinde ordo, atq; cõſtitutio nimis in anguſtum adduceretur. Eloquentia vero infans, & inops, atque ab oratione peſſime comparata eſſet, ſi vnumquodq; hominũ ſenſum, vnaquæque ſententia, vno tantũ ordine, atque vna tantum ſignificatione, conſtitui, atque dici poſſet. Quoniam vero paulo ante

fructu

BIBLIOTECA U... SEVILLA

ſructuum inducta eſt ſimilitudo, horũ ſtudiorum alia eſt, atque cæterarum rerum copia, atque vbertas. in illis enim quod ſemel decerpſeris, non niſi ad annum plerunq; idem ſperare licebit: in his vero noſtris ſtudijs, vbertatem lætiſſimam, atque perpetuam, ac ſemper æque fructibus ijſdem arborem poſſidemus incurueſcentem, ex qua quantum cuique ſatis ſit, ſua deligendi facultas permiſſa eſt. Ergo & actio in Verrem, & ſententia in Antonium, tota denique Ciceronis multiplex tum ſuadendi ratio, tum de moribus diſputatio, tum ad familiares, atq; amicos conſcriptio (nam quid de arte fieri poßit, ipſe demonſtrauit) perapte, neque indecore iterum, & ſæpius tractari potuit? Quid hoc quæſo inquam tam mirum, ſi à veteribus, ac probatiſſimis auctoribus, aut in ſuis ipſis argumentis, aut aliena ſequentibus, eſt aßidue factitatum? atq; adeo à noſtris quotidie fieri conſtantius videmus? num ne Saluſtius Catilinæ vitam ita planè, ita ornate in eius coniuratione perſtrinxit, vt nihil in ea, neq; ad hominis mores, neque ad orationis ornatum deſiderari videatur? hanc tamen tandẽ Cicero cum Cælium defendit, illo ſuo ſtilo perſequi non dubitauit. res eadem eſt. Saluſtius autem quàm aptus ſcriptor fuerit, nulli obſcurum eſt. Cicero vero in hac ita, quod

res maxime poſtulabat, parcus fuit, vt vita tamen nihil omiſerit, ita ornatus, vt eius ingentē turpitudinē quaſi dicēdo illuſtrauerit. Lucretius abſolutiſſimam peſtilentiæ imaginem deſcribit. non paruo beneficio deorum immortalium extat liber, legi poteſt. Ouidio, & Virgilio idē efficere poſtea placuit, quàm id vterque cum dignitate ſit aſſecutus, in medio eſt, ſuum cuique iudiciū ſit, Manilius Andromedis ad marinum monſtrum expoſitionem deſcribit. idem, cum ad eius fabulā ventum eſt, efficit Ouidius. poſtremo omnium Pontanus hanc ipſam, cum de ſtellis agit, fabulā exequitur doctiſſimorum hominum eſt iudicium, longe prioribus duobus Pontanum præſtitiſſe. Sed quid ego alterius partem tantum confero? de ſtellis minime inepte egit idem Manilius, tantum abeſt, vt Pontanus eius ſcriptis ab eis pertractandis ſit deterritus, vt ÿdem doctiſſimi viri facile iudicēt, longe eo Pontanum ſtellas eaſdem dicendo ſplendidius illuſtraſſe. Quaſi vero qui ferrum quoque malleis exercent, non gladium, enſem, qui lignū dolant, nō currus, nō dolia, qui ex creta fingunt, nōn teſtas, vrceos, recte in multas, ac maxime diuerſas formas fabricentur, atque architectētur. Vnum eſt hominis caput, vnus pes, vt reliquas corporis partes nunc omittam, eius tegumentum. huius

huius calceamentum iam in tot formas ſe conuertit, ut in plures Protheus ſe conuertere non poſſet. Poſtremo autem cui nam dubio eſſe poteſt, quin ego in hoc meo de imitatione ſtudio idem poßim efficere, quod Cicero in artis præceptis effecit, ut alio itémque alio modo huius præcepta pertractem, ac meum etiam Lilium Giraldũ inducam, qui Bartholomæo Ferrino, Alberto Lolio, ac Herculi Bentiuolio, ut quotidie aliquid tale facere ſolet, explicet? aut denique Camillum etiam filium faciam, qui hæc eadem præcepta à me parente ſuo breuiter perquirat? Sed iam ſatis, quemadmodum ego arbitror, & probatum eſt in re eadem tractanda, quam alij quoque prius tractaſſent, imitationem omnino dari nullam, & quid tum etiam faciendum ſit, ut ab omni furti accuſatione liberemur, commode demonſtratum. Sequitur autem, ut imitationis ipſius præcepta aggrediamur. Continuo igitur, quando perpauci illi quidem ſunt, qui in quaque facultate egregie excelluerint ſcriptores, qui non aliquid aut culpæ, aut uitij contraxerint interdum, uidendum erit, ut eius, quem imitabimur, uirtutes conſectemur. contra uero uitia, quorum facillima ſolet eſſe imitatio, perſtudioſe declinemus. neque enim ſi Saluſtio ſimiliores eſſe uolumus, id magis ex ijs

vocibus, quæ illum ipſum minus interdum probatum efficiunt ſcriptorem, quàm ex eius diuina breuitatis virtute vt conſequamur, omnem operam dabimus. neque vero Hortentium in vna ceruiculæ iactatione magis, quàm in tota illa diuina agendi ratione referre ſtudebimus, ne coquum illum imitari videamur, qui in cœna præſtantiſſimi coqui ius tantum feruens imitatus eſt, cætera eius condimenta ne recordatus eſt quidem. in probatiſſimis igitur auctoribus, quãdo hos eſſe dixi, quos nobis ad imitandum propoſitos habere debeamus, quæ inſignia, quæq; admodum rara, atque inepta erunt, ea probe diſſimulabimus. quæ verò cum natura, atque vſu ipſo quotidiano recte conſenſerint, atque decorum ſuum habebunt, ea quiſque in ſuum vſum liberius conuertet, atque ſecurius vſurpabit. Sed cum in ſimili, atque in contrario vniuerſa hæc imitandi facultas (vt ſupra eſt demonſtratum) verſetur omnino, ac tria propoſita ſint, in quibus rerum omnium pertractãdarum ratio contineatur, inuentio, diſpoſitio, elocutio, iam ſeparatim (etſi horum ratio ita inter ſe connexa continetur, vt alia ſæpius ab alia vix ſeparari poſſit) quid in horum quaque imitatori attendendum ſit, videamus. Ea igitur inuentionis, quod ad imitationem attinet

attinet, ratio eſt, vt ad aliorum imaginem aut ſimilia, aut diuerſa nobis adinueniamus. in ſimilibus, vt multi in re paſtoritia cum Virgilio muſas ſuas exercuere, vt Marcus Aurelius Nemeſianus, T. Calphurnius Siculus, Andreas Nauagerius, perſplendide fecerunt. in diuerſis, vt in græcis Theocritus, in noſtris Iac. Sanazarius, qui vtrique ad paſtoritiam auenam piſcatoriam ſibi excogitarunt. nam quod alij in paſtoribus ſuis luſerunt, id hi ad piſcatores feliciſſime tranſtulerunt, quod meus item Hector Cocus in re aucupatoria perbelle olim facere inſtituerat. Zeuſis cum Helenam Crotoniatis effingendam ſumpſiſſet, multas ciuitatis formoſiſſimas virgines contemplatus eſſe dicitur, ex quibus ſingulis quicquid ei abſolutiſſimæ pulchritudinis viſum eſt, in eã egregio tranſtulit penicillo. Lucianus id nunc ſi efficiat in aliqua Veneris imagine depingenda, is recte quidem Zeuſim imitatus eſſe dicetur. multo vero rectius ſi Herculem picturus, totidem robuſtiſſimorum hominum corpora ad ſe adduci iuſſerit, atque ex ijs omnibus quicquid ad eam virtutem pertineret, id omne ſibi in ſuum Herculem delegiſſet. ita in equo, in tauro, in cæteris cuiuſque generis animalibus depingendis, ſi egregios quoſque ex quoque genere pictor ſibi deligat

ad ſuum abſolutiſſime exprimendum.

Sed redeo ad Latinos imitatores atq; etiã ad me ipſum (liceat enim mihi de me exemplum aliquando afferre) cum ego inquam eſſem adhuc adoleſcens, ac meis ciuibus de publici ludi magiſtro deliberandum accideret, eam ego mihi cauſam exercendi ſtili gratia (vt fit in ſcholis) ſumpſi perorandam, hanc totam ad eius Ciceronis imaginem contuli, quam ipſe ſecutus eſt, cum legem Maniliam luculentiſſima, ac prudentiſſima oratione ſuaſit, vel perſuaſit potius. Iam verò natu grandior factus totam item eius ipſius Ciceronis alterius orationis imaginem in meam alteram conuerti. Nam cum Herculi patri tuo publico meorum ciuium nomine mihi gratulandum eſſet, quòd Neapoli à Cæſare & incolumis, & totius honeſtiſſimæ petitionis ſuæ compos rediſſet, hanc ad eius imaginem integram, quam ipſe Cicero pro M. Marcello ad Cæſarem habuit, totam mihi conſtitui, is enim in ea Cæſari gratias egit, quòd ſibi, quòd propinquis, quòd patriæ, quòd ſenatui M. Marcellum reſtituiſſet, atque condonaſſet, qui cum id negotij paucorum admodum videret eſſe verborũ, multa de Cæſaris ipſius laudibus, quæ cum re ipſa maximè cõiuncta videri poſſent, percommode ad id iuſtam orationem in mediũ induxit, quam ego in gratulando

tulando totam rationem, quemadmodum arbitror, facilè ſecutus ſum, Vt enim propoſui, de quo mihi eſſet dicendum, perbelle ad ipſius Herculis facta quædam illuſtria quaſi digreſſus ſum, cui parti Vt ſenſi planè me ſatis feciſſe, ad propoſitũ redij, gratulationẽ meam confeci, peroraui: ſomnium Verò Ioan. Cornelij, quantum potui, ad Africani Viſum per quietem accommodaui. Proxime autem in proœmio de Principis conſilio omnium meorum ſcriptorum, quæ apud me alicuius eſſent pretij, mentionem cum facerem, id ex Ciceronis imitatione feci, qui idem de ſuis in proœmio ſecundi libri de diuinatione effecit. Ac ne quæ ego omnia ad huius rationem ſcripſerim, hoc loco ambitioſe Videar conſectari, iam ea, quæ cum ex hoc ipſo, tum ex cæteris optimis, omnes facilè mutuari poſſunt, tum quæ multi (quoquo id fecerint modo) ſunt imitati, pergam perſequi. Verrem Cicero ad Iudices nouo, atque admirabili accuſandi genere repetundarum dãnat. Ex quo Vniuerſo iudicio multa ſumi poſſunt, ad quorum imaginẽ ſimilis cauſa rectiſſime conformetur, quẽadmodum Venetijs olim Vidiſſe me recordor. nam cum Vir nobiliſſ. ciuem ſuum male remp. geſſiſſe, atque ſocios expilaſſe ad iudices accuſaret, Vt ſingula eius crimina expoſuerat, ac Vehementer

inſectatus erat, ſub ea ſtatim tabulas recitari iubebat, ſuis locupletiſs. teſtibus vnũquodq; eius crimen ex ordine comprobans, quod quidem agendi abſolutius inſtitutum ex Cicerone in ipſum Verrem ſumptum fuiſſe nemo non videt. Antonium in ſenatu grauiſs. ac perpetuis orationibus acerbiſsime idem exagitat Cicero. quis ex his locis, qui aliquam diligentiam adhibeat, multa in ſimili cauſa ſibi non ſentiat habere ad imitandum? In Vatinium teſtem omnia congeſsit hominis impuriſsimi crimina. In Piſonem inuehitur tanto animi impetu, tam acri, ac conſtanti accuſatione, tam perpetua ſcelerum omnium criminatione, quanto nuſquam alias acrius. Catilinam teterrimum ciuem non prius inſectandi finem facit, quàm eum ex vrbe eiecerit, hoſtem iudicarit. quæ ſingula pari ratione nõ pauca afferent, quæ ſibi ſumat prudens imitator. quid autem in Ligariana ironia illa? in Cluentiana Saſsiæ impudiciſsimæ, ac ſceleratiſsimæ fœminæ turpitudine? quid Deiotari? quid Celij? quid Murenæ defenſione facilius ad imitandum? propè infinita ſunt in eo genere reliqua ex quibus in pari cauſa multa cuique ſuppeditabuntur ad eam cumulate, atq; ſplendide perorandam, quæ ego breuitatis cauſa ſingula non perſequor. Certe ex ſenectutis defenſione, aut ex amicitiæ laudatione ſi quid

cui par aut defendendum, aut laudandum accidat, magnam ſibi ſuppellectilem conficere poterit. Auaritiam, luxuriam, cupiditatem, in Paradoxis deteſtatur ardẽtius, nuſquam in cætera vitia ſe tamen facilem nobis præbuit ad imitandum. de contemnenda item morte, de dolore tolerando iſte ipſe feliciſſime ſcripſit. ſi cui de exilio pari ratione tolerando, de orbitate, de cæcitate, ac de cæteris eius generis malis vſus ſcribere veniat, vnde is aptiorem imaginem, quam ſequatur, habiturus ſit, non video. Epicurus in voluptate ſummum bonum ponit. Stoicus in ſola virtute acriter eſſe conuincit, horũ vtriuſque rationẽ Cicero egregie, vt reliqua omnia, perſequitur. Huius equidem loci imaginem, ſi mihi vtra vita laudabilior ſit, an quæ in delicijs otioſe, ac nequiter, an quæ per ſumma rerum pericula cum virtute traducatur, diſputandum accidat, facile mihi totam accommodabo. ad ſuos familiariter ſcribit, cum principibus viris ſumma etiã cum dignitate per literas agit, in ijs autem ſolatur, commẽdat, hortatur, conqueritur, expoſtulat, gratulatur, & reliqua id genus, quæ per literas effici ſolent vnus omnia exquiritur, ad quã ſcribendi rationẽ boni omnes ſuam quoq; in ſcribendis epiſtolis formam conſtituunt. in quibus Chriſtophorus Longolius mihi maxime probatur.

probatur Præclare autem agit de claris oratoribus, quo in libro cuique & laudi, & vitio, quod eſt viſum, dare non dubitat. ea ratione tu de imperatoribus, ſi libeat de iuriſconſultis, de medicis; de cæteris eius generis facere poteris rectiſſime. Huius item duo libri ſunt de Diuinatione diuiniſſime conſcripti, ad horum rationem Sadoletus ſuæ philoſophiæ defenſionem optime inſtituiſſe videtur. hactenus de Cicerone, nunc de cæteris, qui digni ſunt, quos imitemur. Petrus Bembus cum in ſua hiſtoria tres haberet, quorum quēuis rectè ſequeretur, Cæſari tamen maluit, quàm aut Liuio, aut Saluſtio ſimilior videri, id quod ante eum in eadem hiſtoria Nauagerium ſenſiſſe dicebamus, in qua idem poſterior Nauagerius præſtare egregie dicitur, & meus Bernardinus Mapheus in Pauli tertij Pontificis maximi commentarijs quotidie ſplendidiſſime facit. In poëtis autem Lampridius, cum omnes in Odis Horatio ſimiliores eſſe ſtuderent, ſolus Pindarum, neque id fortaſſe ingrate, imitari eſt auſus. quàm autem Aonius Lucretium in ſuis verſibus & numeris, & ſententijs expreſſerit, facile omnibus eſt videre. tantùm autē abeſt, vt Nauagerius hac imitandi virtute caruerit, vt cæteris etiam, qui rectius imitarentur, vnus omnium in epigrammate maiorum viam

oſtenderit, nam qui ante eum veterum luſus in eo genere verſuum imitatus ſit, aut etiam animaduerterit, extat nemo, cæteri cæteros, plerique etiam fatuos ſecuti ſunt, vnus Nauagerius eam viam poſteris oſtendit, quam veteres optime inſtiterunt. Huius item eſt Damon, cuius magna pars ex Galli Virgiliani imagine confiсta eſt, reliqua ex eiuſdem, reliquis, vt eſt ei viſum cõmodius, rectè, atque pereleganter conſcripta, Burghetti Catelli lepidiſsimi interitum miſere deflet, huius luctus imaginem ex Catulli paſſere mortuo totam eſt mutuatus: id autem quàm vere, quàm decenter effecerit, ex vtriuſque verſuum collatione facile cognoſci poterit: ſic enim inquit Catullus.

Lugeto ò Veneres, cupidinéſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum.
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,
Quem plus illa oculis ſuis amabat,
Nam mellitus erat, ſuámque norat
Ipſam tam bene, quàm puella matrem,
Nec ſeſe gremio illius mouebat,
Sed circunſiliens modo huc, modo illuc
Ad ſolam dominam pipibat vſque,
Qui nunc it per iter tenebricoſum
Illuc, vnde negant redire quenquam.
At vobis male ſit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella deuoratis,

N Tam

Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis.
O factum malè, ò miſelle paſſer,
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Nauagerius verò ſic.

Borgetus lepidus Catellus ille,
Cuius blanditias proteruiores,
Et luſus herus ipſe tantùm amabat
Quantum tale aliquid poteſt amari,
Nec mirum, dominum ſuum ipſe norat,
Caram bima velut puella matrem,
Et nunc illius in ſinu latebat,
Nunc blandè aſſiliebat huc, & illuc
Ludens, atque auido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipéſque
Menſa aſtabat herili, heróque ab ipſo,
Latratu tenero cibum petebat,
Nunc raptus rapido, malóque fato
Ad manes abijt tenebricoſos.
Miſelle ò canis, ò miſer catelle,
Nigras paruulus vt timebis vmbras,
Vt ſæpe dominum tuum requires,
Cui pro delicijs, iocíſque longum
Heu deſiderium tui relinquis.

Rei materia ſimillima eſt, quod quidem imitationis proprium eſſe dicebamus, ſiquidem ille paſſerem mortuum, hic Catellum, ille herum, hic herum miſere deflentem inducit, horum item luſus perſimiles ſunt, in-

ſaltus

ſaltu, morſu, pipatu, latratu, heri cognitione, ſed cum omnia ſimilia ſint, tum etiam commiſeratio minimè eſt diſſimilis. poſtremo pro fletu aſſiduo, quo puella ſua turgidulos rubere oculos Catullus querebatur, longum Catelli deſiderium hero ſuo relictum eſſe repoſuit Nauagerius, hic tamen quædam addit alia, quæ canis natura illi commoda dabat, vt illa:

Atque auido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipéſque
Menſæ aſtabat herili, heróque ab ipſo
Latratu tenero cibum petebat.

Quod tamen aliqua ex parte ex primo item Catulli epigrammate perbellè ſumptum videri poteſt. At Fracaſtorius ſic hanc imitandi rationem in ſuo Syphilo obſeruauit, vt ex multis Virgilij imaginibus totam penè tertij libri operis ſui hiſtoriam perpetuo contexuerit, nam cum hic tandem Hiſpanæ Claſſis appulſum ad nouarum gentium litus deſcriberet, totam illam partem, quæ quidem benè longa eſt, ex diuerſis Virgilij locis adumbrauit, nam vt omittam fluminis oſtium, quo claſſem appulit, vt amnis ripas arborum amœnitate, atque auiũ cantu vario deſcriptas, nihil re-ẽſe am; Cererem, Liberumq́, in ripa expoſitum, viros telluris miro deſiderio paſſim per herbam

ſtratos, nouo ſolo, atque exoptato latam, atq; ex animo ſalutationem aque pratercam, qua omnia à Marone feliciſsime ſumpta ſunt, hac inquam vt omittam (quoniam ſuapte rerum natura vtiq; facile occurrere poſſunt) ac illa, qua ſunt interioris imitationis, tantùm commemorem, Maro Aeneam naui egredientem arcu, & ſagittis armat, venatum in ſyluam ducit, prada ſeptem ceruorum cohoneſtat. hanc imaginem ſequens Fracaſtorius Iuuentutem Hiſpanam naui egreſſam deſcribit in ſyluam eo genere armorum, quod vulgo ſclopetos vocant, armatam, pradam huic facit ex ijs auibus, quarum frequentem copiam in ſylua illa prius peruolitare demonſtrarat, qua quidem aues quoniam Apollini ſacra erant, ad harpyarum imitationem perpetuo filo belliſsime tranſit, quo in loco vnam auium ex altiſsimo arborum vertice genti illi multa horrenda ceciniſſe inducit, ac denique menſarum loco horrendis morſibus adeſarum gentem illam peſtilenti morbo adeſam, à ſua ſylua auxilium petiturum grauiſsime comminata eſt, ad cuius vocem omnes horrore perculſi, ad terram duplicatis genibus conciderunt, ac ſupplicum in modum aues eas ſunt venerati, vtq; talem ſibi peſtem auerterent, votis omnibus deprecati ſunt. Hoc etiam amplius, quòd aues

illas

illas Apollini ſacras efficit, quod Maro in Harpyis facere non potuit, tantùm is eis dedit, id diuinationis ab Apolline ſe eſſe edoctam, vt diceret Celeno. Pergit eodem hiſtoriæ filo inſulæ regem magna cum hominum multitudine extra vrbem externa cum gente ſocietatem coiuiſſe, deſcribens id, quod in Didone, & Troianis in vrbe efficit Maro. Præterea ſolennis inciderat inſulanis dies, quo Apollini de more annua vota redderentur, forte aderant externi viri, atque ab ipſo rege, qui gentis ritus ſint, atque vnde ea ſacra originem traxerint, edocentur. quæ vna facies tota illa eſt, qua Euander, cum Herculi ſacrificaret, Aeneam accepit, ac totam rei hiſtoriam Troianum heroëm edocuit. & multa alia, niſi etiam omnia, quæ prudentiſſimus poëta & acutiſſime vidit, & commodiſſime mutuatus eſt. quæ cuique, qui aliquantum in Virgilio verſatus ſit ſua ſponte apparere poſſunt. Iam verò iterum Sanazarius, cum agit de virginis partu, quàm bellus eſt Maronis imitator quàm prudenter videt quæ æmuletur, ac ſtatim quod ad nuntium attinet, qui Virgini mandata referat nonne eſt ipſus Mercurius, qui ad Aeneam mittitur? iuſſa item, & conſilium Dei ſummi num cum Iouis iuſſu, & conſilio germane conſentiũt? Cum verò Auguſti cenſum habi-

tum refert, in quo vniuerſi orbis nomina ſunt gentium deſcripta, quæ magna ſecundi pars eſt libri, non ne totæ Maronis eſt imago, ſiue cum Aenea ex omni Hetruria, ſiue cum Turnus ex vniuerſa Auſonia accita per ſingulas gentes commemorat auxilia? Initio autem cum inuocat, atque ad virginem alloquitur, quis non ſentit illud ipſum vere, atque ex animo hunc agere, quod Auguſto blandiens Virgilius agebat? Cum videlicet ait,

Tuq́ adeo ſpes fida hominum, ſpes fida deorũ
Alma parens. & quæ ſequuntur ad multos verſus, quorum poſtremi hi duo ſunt, Virgilij item poſtremis maxime ſimiles,

Tu Vatem, ignarumq́ via, inſuetumq́ labori
Diua mone, & pauidis iam læta allabere cæptis.

Maro autem ſic.

Ignaróſque via mecum miſeratus agreſtes
Ingredere, & votis iam nunc aſſueſce vocari.

Cum tamen hic quoq́ prius dixerit, Tu vatem, tu diua mone. Reliqua autem carmina, quemadmodum neq́ in Fracaſtorio factum eſt, vt aſcriberem, non ſatis commode cadere viſum eſt: nimis enim longum opus, idq́ ex alienis confeciſſem ſcriptis, cum ego id vnum, vt breuis ſim, ſtudeam maxime. Sed eorũ hæc ſunt, qui ad aliorum inuentionem ſibi quoq́ inueniendum eſſe, ac quaſi alienis veſtigiis

cundum

cundum eſſe, probe cenſuerunt, quiq; id quan tum in ipſis fuit, conati ſunt efficere, quod etſi non ſunt planè conſecuti, minime tamen improbandi ſunt, certe in eo, quòd viam nouerint, quod in ea ingenium ſuum exercuerint, magnopere etiam laudandi, hic vero, de quo nunc agam, ille eſt, qui non ſolum imaginem aliunde ſumptam ſuo artificio, ſua eloquentia, ſuis omnibus numeris in ſuo opere quàm planiſsime abſoluit, ſed qui eam multo etiam ampliorem, multoq; magis ſplendidam efficit, id quod vt planius conſtet, ac meam in hoc ipſo fidem tibi tandem liberem, vtriuſq; carmen in medium deſcriptum adducam, ſi mihi tamen prius à doctiſsimis viris cauebo, ne mihi id vitio, aut etiam ignorantiæ vertant, quòd quæ æmulationis ſunt, ea ego imitationi propria attribuam: nam cum ſequi, imitari, æmulari, tria ſint omnino ſpecie diuerſa, genere tamen quodam ſic ſunt ſimilia, vt quod ſit alius, viciſsim ad alius commoditatem ſine vitio trāsferri poſſit, nam quod egit Maro cum ſuo Catullo, etſi ſcio id æmulatione contendiſſe ad eum (quod effecit egregie) ſuperandum, via tamen apparet, atque rei totius eadem ratio qua vna imitatio maxime continetur, quam ipſe quoque Maro inſtitit, etſi longe validioribus eam inſtitit gradibus. Sed iam carmina conferantur.

tur. Catullus igitur cum Tetidis, & Pelei nuptias diuino carmine celebraret, Ariadnā in ſolo littore deſtitutam, ac caſum ſuum grauiter conquerentem, aptiſsimo in loco in eam laudationem induxit. hunc poſtea locum Maro integrum in ſuam Didonem pari ratione ab amatore ſuo deluſam, longe tranſtulit felicius, ſanè Catullum ſi ſolū legas, nihil melius deſiderari poſſe videtur, verum ſi cum Marone conferas, vix iterum Catullum reguſtabis, ita hic illi quaſi tenebras offudit, atq; luminibus obſtruxit omnibus: ſed iam horum ſimilitudinem videamus, dein partes ipſæ vt ab vtroq; ſint tractatæ, viciſsim conferentur. Fœminæ igitur ambæ ſunt, ab iis ambæ deſtitutæ, atq; deluſæ, quos pro maritis habebant, ac de quibus modis omnibus optime erant meritæ, ambæ hoſpitem fugientem execrantur, ambæ in grauiſsimo periculo derelictæ, ambarum item querendi ordo, atq; ratio, ſi quidem modo furore percitæ in deſertores ſuos verbis aſperis impotenter feruntur, modo ad preces remiſſos animos miſerabiliter conuertunt, idq; per totam conqueſtionem, quaſi viciſsim repetitum conſeruant. Poſtremo autem ad execrationem, ad diras, tanquam ad cauſæ ſuæ tutiſsimum præſidium furentes confugiunt. Sed iam ſimilitudinem vtriuſque, atq; alterius imitationē collati verſus oſtēdant. Ariadna

igitur

igitur ſtatim ſic in ſuum fugiētē exardeſcit.
Siccine me patriis abductum perfide ab oris?
Perfide deſertam liquiſti in littore Theſeu?

Quam iracundiam Dido & ipſa ſic expreſſit.

Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum
Poſſe nefas? tacitúsque mea decedere terra?

Continuo à ſumma indignatione vtraque (vt vides) ſuam querimoniam exorditur, alteram, quòd ab laribus patriis abducta tam longe gentium in ſolo littore deſtitueretur, altera, quòd ſe inſcia ex vrbe ſua fugam moliri, clamq́; de ſuo regno decedere ſuus ſit auſus, grauidiſſime indignatur. ſimul perfidia vtraque ſuum accuſat, paulo poſt tamen Ariadna à ſui commiſeratione hoc modo pergit querendo.

Nulla ne res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium? tibi nulla fuit clementia prado,
Immite vt noſtri vellet miteſcere pectus?
At non hæc quondam blāda promiſſa dediſti
Voce mihi, non hoc miſeram ſperare iubebas,
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos.

Quam eandem commiſerationem, atque eodem loco Dido non omiſit, cum & ipſa ſequitur.

Nec te noſter Amor, nec te data dextera quō-
Nec moritura tenet crudeli funere Dido? (dā

Hoc autem addit Dido, quòd longe cum re

cõmodius conuenit, Aeneam non ſolum in ſe, ſed in ſuos, atq; adeo in ſe ipſum crudelitatẽ ſuam exercere, qui ſe cum ſuis per hyemẽ certiſsimo maris periculo obiectare non dubitet. Id autem his exequitur verſibus.

Quin etiam hyberno moliris ſydere claſſem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altũ,
Crudelis.

Quin etiam pergit ab incerto loco, quo Aeneas appulſurus eſt, eius perfidiam grauiter exagitare, ſic dicens.

Quid ſi non arua aliena, domóſque
Ignotas peteres, & Troia antiqua maneret?
Troia per vndoſum peteretur claſsibus æquor?

Quæ duæ partes, quoniam nullo modo Catullo conueniebant, propterea ſunt omiſſa. Sed vide rurſus vt ad preces, ad lachrimas ſe totam conuertat, dicens.

Me ne fugis? per ego has lachrimas dextrámque tuam te (liquĩ
Quando aliud mihi iam miſera nihil ipſa re
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miſerere domus labẽtis, & iſtã
Oro, ſiquis adhuc precibus locus, exue mentẽ.

Plana tota loci eſt imitatio, ſed quod potuit amplius Maro, id acute & vidit, & præſtitit egregie, pactos tantum hymenæos ſuo obijcit Ariadna, Dido vero per eos ipſos Aeneam rogat.

gat, ac horũ etiam voluptate eum artificioſe tentat, ſi poſſit commouere. Quæ vero ſequuntur, meritum continent: Et ipſa quidem à Catullo ſumpta, ſed non ad Catulli tamen ordinem deſcripta, in quibus quidem exprobrãdis ea item animi alternatio ſeruatur, quæ ſupra amantem affectam eſſe demonſtrauimus: ſenſim enim exprobrando iterum ad hoſpitis nomen exarſit, neque multo poſt ſedatior, atque remiſsior facta in commiſeratione acquieuit. Catulli autem hi ſunt verſus.

Iam iam nulla viro iuranti fœmina credat,
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles,
Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcũt:
Sed ſimulac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

Quam ſententiam Maro tribus verbis diuinitus abſorpſit, cum ait.

Nuſquam tuta fides.

Poſt perfidiam, ingratum etiam ſuum Ariadna accuſare, atque illi nominatim præſtita officia exprobrare, his verbis non omittit.

Certe ego te in medio verſantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere creui,
Quàm tibi fallaci ſupremo in tẽpore deeſſe.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibúſque
Præda, nec iniecta tumulabor mortua terra.

Quam

Quam partem Maro quoque paucis, ſed quàm pleniſſime abſoluit ad hunc modum.

Eiectum, littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui,
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.

Vbi autem Ariadna fratris mortem, quàm amatoris ſe maluiſſe dicit. ac pro tãta in eum fide ſe relictum eſſe feris, auibusq́ dilacerandam, miſere cõqueritur, Dido Nomadum regum Lybicæ, ac Tyriæ gẽtis in ſe odium, deinde pudicitiæ violatum nomen, poſtremo mortem ipſam obijcit. eius autem hi ſunt verſus.

Te propter Lybicæ gẽtes, Nomadumq́ Tirãni
Odere infenſi Tyrij, te propter eundem
Extinctus pudor, & qua ſola ſydera adibã,
Fama prior, cui me moribũdã deſeris, hoſpes?

Ariadna item ab vſq; natalibus Theſeum impietatis nota proſequitur his verſibus.

Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna?
Quod mare cõceptũ ſpumãtib⁹ expuit vndis?
Quæ Syrthis, quæ ſcylla rapax, quæ vaſta caribdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vitæ?

Dido vero hæc ad eum modum in Aeneam iracunde euomuit,

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanaq́; admorũt vbera tigres.

Hactenus

Hactenus per grauem negationem hic efficit, quod ille per interrogationem acriter conqueſtus eſt, cum neque tamen ab ea abſtinuerit diutius. ſequitur enim.

Nam quid diſſimulo? aut quid me ad maiora reſeruo?
Nũ fletu ingemuit noſtro? nũ lumina flexit?
Num lachrimas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?

Quæ qui nõ facit, is merito omnis impietatis accuſandus eſt, quiq; magis diris feris, quàm humano patre & ſatus, & altus dignus eſt vt credatur. quod item in mercedis loco dictũ eſſe cõſtat, quaſi qui tot, ac tantis beneficiis acceptis in ſuo tãto dolore nullum miſericordiæ ſignum ediderit. Suum poſtea Ariadna conqueritur iam longe fugam arripuiſſe. cũ ait.

Ille autẽ prope iam mediis verſatur in vndis
Nec quiſquã apparet vacuꝰ mortalis in alga.

Quod nec Dido omiſit, ita enim & ipſa conqueritur.

Littora deſeruere, latet ſub claſsibus æquor,
Adnixi torquent ſpumas, & cerula verrũt.

Solitudinem Dido omiſit, quæ domi apud ſuos relinquebatur. celeritatem autẽ nauigationis altero quoq; adauxit verſu. Ariadna item in prima cauſa deteſtanda ſic verſatur.

Iupiter omnipotens vtinam nec tẽpore primo
Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent littora puppes,

Indo

Indomito nec dira ferens ſtipendia tauro
Perfidus in Cretam religaſſet nauita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Conſilia, in noſtris quæſiſſet ſedibus hoſpes.
Dido vero idipſum ad hũc modũ imitata eſt.
Felix, heu nimium felix ſi littora tantum
Nunquã Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.
Catullus omnia Ariadnam his verſibus deſperantem inducit,
Nam quo me referã? quali ſpe perdita nitar?
Idaóſne petam montes, an gurgite vaſto
Diſcernẽs põtũ truculentũ vbi diuidit æquor?
An patris auxiliũ ſperẽ? quem ne ipſa reliqui
Reſperſum iuuenem fraterna cæde ſecuta?
Coniugis an fido conſoler memet amore?
Qui ne fugit lẽtos incuruans gurgite remos?
Præterea nullum littus, ſola inſula, tecto
Nec patet egreſſus pelagi cingentibus vndis,
Nulla fuga ratio, nulla eſt ſpes, omnia muta.
Omnia ſunt deſerta, oſtendunt omnia letum.
Quam partem eo in loco effinxiſſe Maro videtur, cum ait,
En quid agã? rurſus ne procos irriſa priores
Experiar? Nomadũq; petã connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrum
Iuſſa ſequar? Et quæ ſequuntur, quæ omnia
Didoni haud minus erant tuta, quàm quæ ſibi obiectabat Ariadna, hoc in Marone erat

amplius, quod indignatione rem adauxit, quam Ariadna tantum flebiliter, ac miſere deplorauerat.

Catullus tandem ſuam ad diras, ad execrationes perduxit his verbis.

Quare facta virûm mulctãtes vindice pœna
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc, huc aduentate, meas audite querelas,
Quas ego nunc miſera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens amenti cæca furore,
Quæ quoniam veræ naſcũtur pectore ab imo,
Vos nolite pati noſtrum vaneſcere luctum,
Sed, quali ſolam Theſeus me mente reliquit,
Tali mente Deæ funeſtent ſeque, ſuóſque.

Quem locum poſtremo Maro cum copioſe, tum etiam ſplendide ſic imitatus eſt.

Sol, qui terrarũ flãmis opera omnia luſtras,
Tuq́; harũ interpres curarũ, & conſcia Iuno,
Nocturniſq́; Hecate triuiis vlulata per vrbes,
Et diræ vltrices, & Dij morientis Eliſa,
Accipite hæc, meritũq́; malis aduertite numẽ
Et noſtras audite preces, ſi tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt,
Et ſi fata Iouis poſcunt, hic terminus hæret,
At bello audacis populi vexatus, & armis
Finibus extorris complexu auulſus Iuli
Auxilium imploret, videatq́; indigna ſuorũ

Funo

Funera, nec cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur,
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor, hanc vocem extremam cum ſanguine fundo.

Quod lac lacti, quæ aqua aquæ ſimilior, quàm tota eſt ab vſq; initio ad ipſum finem Maronis imitatio? quanto autem imitator ſplendidius, quanto copioſius, quanto grauius agat, non arbitror te expectare, dum dicam. Ille enim narrat, hic vero canit, atque ea tuba canit, qua nulla vnquam grauior, atque nobilior inflabitur, vt iſti tandem videant imitatorem non ita in ergaſtulis contineri, qui interdum tamen, quem ſequatur, facile præcurrere non poſſit. Neque vero ſecum minus ipſe Maro ad hanc imitandi rationem agit, quoties accidit, in quo id facere poſſit, vt in tota Palemone, ex qua quædam adducere minime grauabimur, in quibus hæc imitandi ratio planiſſime apparet, ac illud ſtatim.

Ab Ioue principiũ Muſa, Iouis omnia plena.
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Iouis optimi gratiam, & fauorem iactat Dameta, in quo ſua carmina nimis magni facit, qui ea etiam Ioui maximæ curæ eſſe dicat, quod ipſum neque diſſimulauit Menalcha, ſic reſpondens.

Et me

Et me Phœbus amat, Phœbo ſua ſemper apud me.
Munera sũt lauri, et ſuaue rubẽs hyacinth⁹.

Imitatio eſt in Deorũ erga ſe amoris alacri oſtẽtatione, nam hic Ioui Phœbũ obiecit, à quo ſe cum amari, tum etiam eius frondibus ornari iactat. Eſt item in lege eius carminis, quæ priori, aut maiora, aut cõtraria poſtulat dici, in hoc autem ſuperat Menalcha, cum ſe Lauro à ſuo iam donatũ eſſe, quo in loco Dameta ſua tantum carmina ſuo placere oſtentabat. Proponit item Damon ad hunc modũ,

Malo me Galathea petit laſciua puella;
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Quo in loco ſic illud æmulatus eſt Menalchas.

At mihi ſeſe offert vltro me⁹ ignis Amĩthas,
Notior vt iam ſit canibus non Delia noſtris.

Imitatio eſt in amoribus, ſecũ enim puellam ſuam procaciter ludere Damon gloriabatur, Menalchas autem ſe crebrius à ſuo Amintha adiri teſtatur, in quo item Damonem lõge ſuperat qui amoribus ſuis fruatur, cum ille tantũ amicam ſuam ſecum laſciue ludentem dicat. Eſt enim in perſonarũ ſimilitudine, Galathea ſcilicet, atque Amintha, quæ perſonarũ ratio imitationem non parum adiuuare ſolet. pergit Damon ſuo inſtituto.

Parta meæ Veneri ſunt munera. nãq; notaui
Ipſe locum, aëriæ quo congreſſere palumbes.

Quam partem ſic Menalchas æmulatur.
Quod potui, puero ſyluestri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

In munere manifeſta eſt imitatio, nam alter ſe paraſſe quod amicæ muneri mitteret, alter ſe iam miſiſſe, ac denuo eſſe miſſurũ prædicãt. Itẽ in eo eſt, quod palumbes alter, mala alter aurea dono miſerit. ſuperat eum his Menalchas, et quod iam miſerit, & miſſurum ſe polliceatur. reliqua ad hunc ſe modum tota habet cantilena. quod autẽ in hac binis perpetuis carminibus, quaternis idem efficit in Melibæo ad hunc modum.

Nymphæ noſter amor Libetrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro concedite: proxima Phœbi
Verſibus ille facit, aut, ſi nõ poſſumus omnes,
Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.

Hæc Coridon, illa vero, vt Poëta ipſius verbis vtar, referebat in ordine Thyrſis.

Paſtores, hedera creſcentem ornate Poëtam
Arcades, inuidia rumpantur vt ilia Codro,
Aut, ſi vltra placitũ laudarit, bacchare frõtẽ
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Optat Coridon Codri Poëtæ muſam, quem carmine proximũ Phœbo facit, Thyrſis vero Poëtæ ornamẽtum poſtulat, in quo virtutem ille, hic vero virtutis præmium expetit. diſtinxit autem Coridon, cum ait.

Aut

Aut ſi non poſſumus omnes,
Hic argutæ ſacra pendebit fiſtula pinu.
Quam diſtinctionē neq; Thyrſis omiſit, dicēs,
Aut ſi vltra placitū laudarit, bacchare frontē
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
Proponit item Coridon in hanc ſententiā.
Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, paruus
Et ramoſa Mycon viuacis cornua cerui.
Si propriū hoc fuerit, leui de marmore tota
Puniceo ſtabis ſurras euincta cothurno.
Aliena donat Mycō, in quo munere vouet, ſi ea vnquam propria poſſit donare, hoc eſt, ſi tātus ſit, qui ſua manu ceruū, atque aprum interficiat, ſe tū Deliā ex leuiſſimo marmore eſſe facturū, quem Thyrſis ita imitatus eſt.
Sinū lactis, & hæc te liba, Priape, quotānis
Expectare ſat eſt, cuſtos es pauperis horti,
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.
Et in dandi, & in vouendi pari ratione imitatio verſatur, ea enim vterque lege & donat, & vouet, vt ſi vota ſua plena ferant, longe in Deos cumulatiora ſua ſint collaturi munera. ſimilitudo eſt in perſonis, de qua ante eſt dictū: muneris item diſsimilitudo, atq; voti diſpar ratio. Thyrſis enim aurū, Coridon marmor præmittit, hic aūt vires in feras ille gregē fœtura plenū exoptat, reliqua vero hoc.

quo vides, ordine vſque ad finẽ perſequutur. Hactenus à ſimili meus imitator inueniebat tametſi à contrario quadã etiam pro rei natura cõiunxit. nunc autem ſeparatim de contrarijs quoque, neque admodum multis agemus. Cõtrariorum igitur plura ſunt genera, in omnibus autem aptiſsime cadit imitatio. Virtus, & vitium contraria ſunt. qua ratione quis iuſtitiam, fortitudinem prudẽtiam, temperãtiã laudarit, ea iniuſtitiã, ignauiã, imprudentiam, intemperantiã vituperabit commodiſsime: nam quæ ad laudandam virtutem facient omnia, hæc eadem ad improbanda vitia è regione cadẽt aptiſsime. Iuſtitia ſumma laus eſt, quòd vna ea hominum ſocietas ſanctiſsime cõſeruatur, quòd religio, quòd fides, quòd coniugia, quod certorũ liberorum pietas reuerenter coluntur. Iniuſtitia vero ſumma erit vituperatio, quòd vno eo vitio bona hæc omnia funditus tolluntur. ita qui pro re honeſta fortiter cadere nõ dubitet, qui in rebus agendis prudẽter videat, quiq; in earũ vſu ſeſe moderate gerat, quibus laudibus efferetur, ab earum cõtrarijs, qui ſecus fecerit, vituperabitur conuenientiſsime. fortiter feciſſe Regulũ, qui, ne fidem ſuam proderet, ad certiſsimum ſupplicium redijt, optimorum omniũ eſt ſententia. quibus hunc rationibus rectè feciſſe laudabis, à contrario ex

iiſdem ſumas in eos licebit, qui fracta fide, ſpreto iureiurando domi remanſere. ita & in cæteris virtutibus pari facies ratione. Vi ventorum euelli, atq; extirpari quercũ, contrà vero radicibus ſuis fortiter ad eorundem ingentes flatus nihil commoueri omnino, cõtrarium eſt. Quod poſterius Maro præclare, vt multa alia fecit, à Catullo ſumpſit à contrario ad imitãdum. Sic enim ait Catullus.

Nã velut in ſummo quatiẽtẽ brachia Tauro
Quercum, aut conigerã ſudãti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit, illa procul radicibus extirpata
Prona cadit, latéque & cominus omnia frangit.

Quam comparationem Maro ſic eſt imitatus per contrarium,

Ac veluti annoſam valido cũ robore quercũ
Alpini boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant, it ſtridor, & alte
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes,
Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Aetherias, tantũ radice in Tartara tendit.

Ille vi, atque ventorum impetu quercum à radicibus euulſam, atque ad terra magna cum propinquarum rerum ſtrage datam per comparatione͂ inducit: hic contra ſuam vim omnem ventorũ perfortiter ferre, quæ quidẽ

altiſſimis radicibus nitatur, oſtẽdit, ſed illa quoque ſecum Maro in contrariam partem imitando, quæ in Daphnis morte cecinit, longe etiam præclarius egit. nam cum Mopſus Daphnis interitum miſere defleuiſſet, partem alteram excepit Menalcha, quam ad Mopſi imaginem totam conformauit, nam vbi Mopſus Daphnim mortuum acerbius deflet, contra Menalchas, quòd is in cœlo feliciter agat, mirifice lætatur. Vbi ille mœrore, & lachrimis omnia eius morte confecta lamentatur, hic contra omnia ob eius diuinitatem lætitia oſtendit exultare. Vbi deniq; Mopſus tumulum conſtituit, verſúſque tumulo addidit, Menalchas & ſolennia ſacrificia, & aras vt certiſſimo dedicat Deo. Vtriuſque autem verſus breuitatis cauſa non appoſui omnes, ratus ſatis eſſe vel mediocriter doctis ſi per initium eos indicaſſem. Id autem eſt eius qui eum mortuum deflet.

Extinctum nymphæ crud. fu. Dap.
Flebant vos cor teſt. & flu. nim.

Eius autem, qui cum inter Deos retulit, inde eſt initium.

Candidus inſuetum mir. li. oly.
Sub ped. que vid. nub. & ſy. Da.

Nos itẽ à contrario Ciceronem imitati ſumus, vbi ait. Dij iſti Segulio maleficiãt homini nequiſſimo omniũ q̃ ſunt, qui fuerũt, qui futuri ſunt,

Nos autem ſic. Vt Dij Georgio patrueli tuo omnia bona dent, adoleſcenti omnium, qui ſunt, qui fuerunt, quique omnes erunt in annos, optimo. Item ex eodem, cum ait ad Plancum. Cum Furnium per ſe vidi libentiſſime, tum hoc libentius, quòd illũ audiẽs te videbar audire. Nos autem ſic. Quo in loco Antoniũ filium offendi, quem cum per ſe, vt facile noſti, iniquiſſimo animo vidi, tum etiã multo iniquius, quòd illum vidẽs, Antoniũ ipſum videre videbar. Cicero itẽ ait. Atq; hac omnia vita decorabat grauitas & integritas. Ego vero ſic. Atque hac mala omnia vna auaritia cumulabantur, vel ſic. Atque hac bona omnia vna iracundia facile coinquinabat. Ille item ex Platonis ſentẽtia dixit tum denique fore beatas reſp. ſi aut docti, & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent omne ſtudium ſuum in doctrina, ac ſapientia collocaſſent. à contrario ego ſic commode faciam. Equidem eas miſeras ciuitates eſſe duco, quas aut indocti, atq; inſipientes homines regere cœpiſſent, aut qui regerẽt, nullum ſtudium in rerum cognitione vnquã poſuiſſent. Item. Sulpitius Ciceroni ſic ait. Vidimus aliquoties ſecundam te ferre pulcherrime fortunam, magnámque ex ea re te laudem adipiſci: fac aliquando intelligamus aduerſam quoque te æque ferre poſſe, neq; id

maius, quàm eſſe debeat. tibi onus videri, ut ex omnibus virtutibus hac vna tibi videatur defuiſſe: quam nos ſententiã ſic bifariã contra exempli cauſa confecimus. Vidimus te ſæpius fortiſſime aduerſam fortunam ferre, magnamq́; ex ea laudem conſequi, fac ita vt intelligamus latam æque perferre, neque te quicquã in tot, ac tantis rebus feliciter geſtis inſolentius efferri ſentiamus, quàm in minus proſperis demiſſius te gerere vidimus, vt quæ tibi virtus in aduerſis æquo animo ferendis affuit, hæc eadem in latis moderandis non deeſſe videatur. Item, Vidimus enim illum ſæpius in ſecundis nimis inſolenter ferri, ex qua re quoque magnam infamiam tulit, ſpero aduerſam nihilo fortius laturum, vt planè virtutem hanc, quæ eſt tum in moderate res ſecundas, tum fortiter aduerſas ferendo, illi deeſſe facile intelligamus. Cicero item ait. Eſt vero fortunatus ille, cuius ex ſalute non minor penè ad omnes, quàm ad illum, cui ventura ſit lætitia peruenerit. nos vero ſic à contrario. Eſt enim ille prorſus infelix, cuius ex morte nõ minor penè ad omnes lætitia, atque voluptas, quàm ad eum, qui illum interfecerit, ventura ſit. Itẽ hoc modo. Illè vere miſer eſt, cuius ex miſeria non minor lætitia ad omnes homines, quàm dolor ad ſe perueniat. Ait item Cicero præclare.

Multis

Multis partibus ij plures ſunt, qui parati ſunt ad deprauandum principem, quàm qui ad corrigendum. quem locum quiuis à contrario ſic imitari poterit. Multis partibus ij quidē potiores ſunt, qui principibus recte cōſulunt, quàm qui ei turpiter adulantur. Ille vero dixit. Quàm ſis occupatus, etſi nihil ea de re ad me ſcripſiſſes, id tamen profecto vel tuarum literarū breuitas, vel locus ipſe vnde illas mitteres, ſatis ſignificaret. Tu hoc modo eum imitari poteris ex contrario. Sanè nihil opus fuit adſcribere, te ſummo otio abūdare, id enim cum ex tuarum literarum longitudine atque leuitate, quas meris nugis referſiſti, tum etiam iſto loco vnde illas dediſti, facile perſpicere potui. quemadmodū Flamminius ſæpius facit perbelle, id autem belliſſime. nam cum Cicero dixiſſet. Omnis enim coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur, & confringitur, & ad morbos, ſenectutémque compellitur. ille autem ſic à contrario. Primus cæli globus neque natus eſt, neque vetuſtate vlla labefactatur, & frangitur, aut morbo aliquo, aut ſenectute extabeſcit. Quod vnum genus imitandi latiſſime patet, nihil enim eſt, quod aliquo modo ſuum contrarium non habeat, quo viciſſim vti poſſimus ad imitandum. illud adde, quòd hoc

O 5 genus

genus contrariorum ſimilibus quoq; in imitando plurimum prodeſſe conſtat, de quo in noſtris formulis multo copioſius agetur. Nunc vero de conſtitutionis ratione agendum eſt. tametſi cum de inuentione præcipiebamus, multa de ea quoq; dicta eſſe, videri poſſunt. Vix enim aliter ex earum communi quadã natura, & ſocietate fieri potuit, ſua tamen quædam certa, ac propria huic quoque præcepta ſunt tradẽda. Tria autem ſunt (quemadmodum ego exiſtimo) in quibus vniuerſa ſcribẽdi facultas verſatur, Narratio, doctrina, cauſæ actio, quæ tria genera, etſi omnibus facultatibus communiter accidere poſſunt (nulla eſt enim perpetua dictio, quæ non ſuam aliquam habeat narrationem, narrationi item adiuncta ſit doctrina, neque non cauſa aliqua interdum, atque adeo ſæpius agatur) has tamen ſaparabimus, & quæ cui rei cõueniat, eam illi conabimur attribuere. Hiſtoriæ igitur narratio doctrina omnibus præceptis, cauſæ autem actio ad reliqua ſcripta facile accommodabitur. Rerum autem geſtarum ſcribendi inſtitutio tres in primis imagines habere videtur, vnam, quæ ſingulorum annorum rem ſimpliciter, vt geſta eſt, exponit, quam hiſtoriam maiores noſtri inde quoque annales appellauere, hæc quidem non multum hominẽ retinet, imitatur enim

factorum quandam enarrationem, in qua difficile eſt continuò in aliquam ſatietatem non incidere, neque eſt, qui hic mihi quiſquã Cæſaris annales obijciat, quibus nihil delectabilius, nihil ſuauius, nihil ab omni parte perfectius legi poteſt, tot ſanè quidem ſuo ordine libri res ab eo geſtas in Gallia continent, quot annos ipſe ei prouinciæ præfuit, pari item ratione in ciuili diſcordia factum conſtat, ſed hi magis in eo hiſtoriæ genere verſantur, quod à perpetua hiſtoria ſeiunctum eſt, non enim ea Cæſar, quæ à P. R. ſingulis eorum quibuſque annis geſta ſunt, perſequitur, ſed quæ tantum ipſe in Gallia atque in ciuili diſſenſione tam feliciter ſcripſit, quàm etiam geſſit. Alteram, quæ multorum annorum, ac diuerſorum etiam locorum res ſuo ordine geſtas complectitur. Sed hæc multo fuſius rem exponit vniuerſam, in quo ſcribendi genere perpetuam ſuam hiſtoriam Liuium contexuiſſe conſtat. Tertiam hiſtoriæ imaginem iure æquo ſibi illi vendicant, qui à continente hiſtoria quadam ſeparãt, & ex tota re vnum, aut plura hiſtoriæ ſibi efficiunt corpora, vt in ſuis rebus & gallicis, & ciuilibus Cæſarem feciſſe dicebamus, & Saluſtium, qui Catilinæ coniurationem, & bellum, quod Popul. Romma. cum Iugurta rege geſſit, commodiſſime à reliqua hi-

ſtoria ſeiunxit, quod factum græcorum quoque ſcriptorum teſtimonio Cicero maximè comprobabat, cum hoc ipſum in rebus ſuis ſcribendis Lucio magnopere perſuadere conatur. Qui igitur hiſtoriam ſcripturus ſit, ?trum duorum poſteriorum generum imaginem ſequatur, ſiue id in Decades, ſiue in ſolos libros diſtinxerit, is rectè mea quidem ſententia ſuam ſcriptionem informare ?idebitur, tametſi quod ad dictionem attinet, ſic mihi Cæſaris facilitas, atque puritas probatur, ?t nulla magis probari poſſit, cum neq; tamen deſint (ne quid prætercam, quod hiſtoriam aliquid attingat) qui in hoc ſcribendi genere ex ?irorum illuſtrium factis inſignia tantùm quædam ſibi deligant, ac ea ſtilo perſequantur anguſto, neque ?no id omnes modo. in quibus non ?alde Val. Max. contempſerim, ſi habeam, qui in eius hiſtoria illum magis lingua, quàm patria poſſim Romanum agnoſcere. Nam qui ?niuerſam hiſtoriam paucis perſtringunt, ac quaſi quadam per ſua illam certa capita in commentarium congerunt, modo ij Latini, modo compoſiti ſint, quid eis ad imitandum deſideretur amplius, non ?ideo. atque hactenus quod ad hiſtoriam attinet. Præcipiendi autem ratio, & ?ia quàm multiplex, quàm ?aria ſit quamque non ?nam in formam cadat, penè

magis

magis omnibus mirum eſt, quàm vt quenquam fugiat, nam ſiue ſua ſponte, ſiue per alios id faciant praeceptores, penè iam tot via praecipiendi ſunt, quot etiam praeceptorum ſcriptores numerantur. Continuo enim in his ſunt, qui perpetua oratione vtuntur, neque ij deſunt, qui Dialogo, ac oratione interpellata magis delectantur, multo verò ij plures ſunt, qui in multa capita pro rerum multiplicium natura ſuam ſcriptionem diſtribuunt. Alij aliam ſequuntur viam atque rationem, pro vt cuique cum re ſuſcepta ſuus ordo magis conuenire viſus eſt. in quibus quidem praecipiendi formis omnibus aeque video probatiſſimos auctores eſſe verſatos, ſed in perpetua, atque interpellata multo etiam probatiores, horum autem vtri nobiliores, non ſatis dijudicatur. nam quod ad eos attinet, qui perpetua oratione praecepta ſua tradunt, aut de re propoſita diſputant, maiorem quandam perſonae grauitatem habere videntur, quàm qui crebra interpellatione idem faciunt, ſiquidem hi ſuam ſententiam cum auctoritate perſequuntur, cum illi contra ſaepius validiſſimis argumentis vix alienam refellere poſſint, quo quoque altero modo (vt non leuem interdum ſatietatem, qua eſt in inquit. & inquam ſaepius repetendo, iſtis condonem) longe

longe quàm ſuperiori agitur verboſius, deinde verò, quia à ſe omnia proferre, non autem etiam ficte aliunde ſumpſiſſe videntur, quod quàm factu facile ſit. Cicero ipſe declarauit, qui in ſuo Catone legendo dicere ſolebat ſibi non ſe, ſed Catonem ipſum legere videri. Cicero in tribus de oratore libris abſolutiſsime de perfecto oratore agit cum Quinto fratre, in quibus Craſſum, Antonium, Catullum, & tres adoleſcentes Cottam, Sulpitium, & C. Iulium loquentes inducit. Cum verò in oratore ad Brutum horum omnium perſonam ſolus ſuſtinet, eundémque agit perfectum oratorem, quàm grauius id agat atque cum maiore dignitate, cuique eſt facile ſentire. ſi quis tamen ſecus ſentiat, is audiat quid Cicero ipſe ad Leptam de hoc ipſo teſtatus ſit. Qui verò Dialogi morem, ac interpellatam orationem ſequuntur, atque vtriuſque perſonæ ſermonem diſputando coniungunt, longe commodius, atque explicatius agere putantur, nam non ſolum quid is ſentiat, qui proponit, de quo diſputetur, ſed quid is quoque, quicum id agatur teneat, eo modo pernoſcitur probe & vtraque ſententia in medium adducta, atque acute vtrinque diſputata, quid verius ſit, magis eluceſcit; ſi quidem in perpetua oratione auditor facit, quaſi qui ex aduerſo flumine, eodémque præcipi-

te,

te, aquam hauriat, cuius curſus incitatus, atque aduerſus calicem nunquam implere permittit: ſic in rapida, atque incitata oratione, quamuis multa cuiuſque modi rapiant aures, parum tamen admodum teneant, atque conſeruent neceſſe eſt. Ad hæc accedit, quòd ſi quæ à nobis traduntur, aut ſecus (vt fieri ſæpius ſolet) perceperit auditor, aut rectè percepta, in eam ſententiam non probarit, ſatis cum alterum ingenue fateatur, alterum etiam aperte argumentis infirmare conetur, aut vt noſtra rectius percipiat, aut etiam vt ſuam corrigat ſententiam, rationibus conuincemus. Quod verò ſatietatem quandam obijciant, quàm rectè nõ ſatis video. quæ perpetuæ potius orationis ſit, quàm interpellatæ, ſiquidem ſatietati varietas in primis occurrit. at longiores ſunt, quàm ſatis eſt, qui dialogo vtuntur. non hoc dialogi tam eſt vitium, quàm cætera dictionis ſi orationis longitudinem, non verborum infinitus numerus, ſed puſillus etiam ſuperuacuus, & redundans. Quid verò, quod nõ vno modo in hoc verſatur ſcriptor? nam aut is omnem in ſe diſputationem ſuſcipiens, tam fideliter aduerſarij partes, quàm ſua fortiter diſputando defendit, aut ipſum loquentem inducit, ab illo inquit, & inquam cõmodius declinans, vtrique ſuam partem ſuo more, vt

tueatur

tueatur libere permittens. cuius quidem poſterioris generis non unum item eſt genus, aut enim qui quæſiuit aliquid tam diu tacet quoad ab aduerſario planè concluſum ſit, aut in rebus ſingulis vtrinque inſiſtitur, vt intellecto quid quiſque concedat, quid abnuat facilius concludi atque ad exitum ſuum perduci res poſſit: vterque autem, aut à ſe ipſo quicquid diſputat, totum depromit, aut de alio quopiam acceptum quaſi nuntium, atque interpretem agens, refert. in quo illud animaduertendum eſt maxime, ne videlicet inepti ſimus, hoc eſt, vt eas perſonas loquentes faciamus, quæ ei rei, de qua verba fiunt, maxime conueniant, vt ſi de amicitia ſermo futurus ſit, non is ei attribuatur viro, qui ex fabulis ſumptus ſit, aut etiã, qui non ſingulari aliqua floruerit amicitia, neq; item qui de ſenectute loquatur, rectè adoleſcens inducetur, quo vicio Græci interdum nõ caruere, qui grauiſſimarum rerum ſermones fictis perſonis, & fabuloſis dare non dubitarunt. Illud accedit, quod ad Dialogi rationem ſpectat, vt hoc in primis vtamur cũ aut de moribus agetur, aut alicuius rei inciderit diſceptatio. Sanè vero multis ij ſunt partibus plures, qui hanc præcipiendi viam, & rationem à ſe ipſis, ilque aut in libros integros, aut in ſua certa capita conſtitutos minime

minimè inepte præſtiterunt, Vt qui rem ruſticam docent, qui animalium, piſcium, arborum, ſtirpium, regionum, ſiderum naturam ſcribendo ſunt perſecuti qui ſuas obſeruationes, qui gentium mores, qui inſtituta, qui leges ſanctiſsimas literis commendarunt. Reſtat autem Vt tertio in loco, quod ad cauſam dicendam attinet formam abſoluamus, idq; longè etiam breuius, quàm res tanta poſtularet, nam ſiue ad Iudices, ſiue in ſenatu, ſiue ad populum agamus, quæ conſtituendarum cauſarum ſit forma, iam pridem à multis eſt demonſtratum, in quo item loco, aut quando exordiendum ſit, quo, aut quando narrandum, quo in partes cauſam diuidendum, quo noſtra firmior argumentatio, quo debilior conſtituenda ſit, quo digrediamur, aut quouſque id faciamus, quo peroremus, quo denique huius generis reliqua, ſi quæ reſtant, collocanda ſint pari ratione, cum à multis, qui de arte ſcripſerunt, tum ab Vno Cicerone optimè eſt demonſtratum, quo Vno longiſsimæ orationis labore rectè ipſi ſuperſedebimus, ac quædam tantùm, quæ paulò ſunt ab hiſce præceptis remotiora, ac magis recondita, hoc loco attingemus. Aut igitur primo, aut ſecundo loco agimus, ſi magis reſpondemus, minimè factum erit inepte, ſi cauſam noſtram ad aduerſarij rationem inſtitue-

ſtituerimus, vt ſi quis, exempli cauſa, legem Maniliam diſſuadeat, aut Antonium in ſenatu defendat, aut vituperet amicitiam, qui ferè omnia, quibus conſtitutionem ſuam informet, ab aduerſario ſuo facile mutuabitur: quemadmodum Cicero in defendenda ſenectute feciſſe apparet, qui aduerſariorum rationibus propoſitis, quo ordine ab eis erant diſtributa, ſic eas refellit, atq; confringit. ſed id ſemper videndum erit, vt cum cauſa noſtra id faciat maximè, à cuius ratione nunquam eſt diſcendum. Sin is ſit, qui magis agat, ac primum locum obtineat, vt ſua cauſa genus planè pernorit, ac quicquid ad eam auditori ſatis probandum in vnum locum collegerit, ante, quàm id dictiõe explicare aggrediatur, attente conſiderabit, ſuamq; omnem diligentiam in conſiliũ adhibebit, vt ad alicuius probatiſsimi viri imaginem materiam illam, quam mente, atq; animo iam habeat comparatam, recte, & ordine conſtituat, ac quaſi architectus faciet, qui ante quàm vllum iaciat fundamentum, totius ædificij imaginem aliquam ex leniore materia aliqua ſibi habet integre edificatam. quæ totius conſtitutionis forma ſi aut cum auditoris natura cõſenſerit, aut ſi is eam etiã alias viderit, dici non poteſt quantum illi ad delectationem afferat, adiumenti, vt ea figura, quæ omnibus ſuis parti-

partibus optime conſtet ad hominem abſolute exprimendum, magnopere intuentium oculos delectabit. Verùm ſi ea virum illum referat, qui illi maximè notus ſit, multo eam quodammodo ei maiorem afferet delectationem, ac multo arridebit magis vt procul dubio in Alphonſi aui tui imagine, quam Tutianus egregie, effinxit, ipſi maiorem intuendo voluptatem ſentiamus, qui eum nouerimus, quàm tu, quem in cunis moriens reliquit, quàm qui nuſquam alias viderit. Sed omnium rerum inſtituendarum ratio ſummi in primis erit iudicij. nam cum diſtribuendi genus ſit duplex, vnum naturæ, artis alterum, vtrum magis ſequendum ſit, is demum ſentiet, qui iudicio plurimum valebit. itaque Cæſar in deſcriptione totius Galliæ cum naturæ ordine in ea deſcribenda commodiſsime vti poſſet, ſuum tamen quendam ſequi maluit, nam cum à Belgis initium ſumeret in ea deſcribēda. omiſsis Celtis, qui in medio poſiti ſunt, ad Aquitanos prætergreditur, deinde tertio in loco ad Celtas redit, ſic inquiens. Gallia eſt omnis diuiſa in partes tres. Quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiā qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur. Eodē modo facit, qui ad Herennium ſcribit, cum agit de tribus orationis generibus, ſic enim ait. Sunt igitur tria ge-

nera quæ nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitioſa conſumitur: vnam grauem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus. nam cum mediocris ex prima, & tertia naſcatur, natura ordine tertio in loco poni magis debuit. id quod Cicero facit, vbi ait. Oratorum autem ſi quis ita numerat plura genera, vt alios grandes, aut graues, aut copioſos: alios tenues, aut ſubtiles, breues: alios eis interiectos, & tanquam medios putet, &c. Tametſi magis verus is eſt naturæ ordo, vt humilitas primo in loco. mediocritas in ſecũdo, in tertio amplitudo ponatur. quem ordinem item Cicero ſeruat in oratore. natura enim comparatum eſt, vt omnes res magis ab initijs ſuis, ac quaſi eundo ad ſuum ſummum perueniant, quàm continuo quaſi montes naſcantur, deinde ad colles poſtea ad planitiem demittatur. Gnato Terentianus eſt paraſitus. hic cum inſolenter gloriaretur cum ſui ordinis quodam fame iam confecto ſe facile victum quærere, ac eo ventum eſſet, vbi ſe iactaret coquis, piſcatoribus, lanijs fartoribus, & reliquis eius generis hominibus gratiſſimum eſſe, ſic inquit

Concurrunt læti mihi obuiam cupedinarij, cetarij, lanij,
Coqui, Fartores, Piſcatores, aucupes,
Quibus & re ſalua, & perdita profueram,

&

& proſum ſape.

Salutant, ad cœnam vocant, aduentum gratulantur. In quorum poſtremo verſu ordo magis poſtulare videbatur, vt diceret. Salutant, aduentum gratulantur, ad cœnam vocant. ſed artẽ ſecutus diligentiſſimus poëta vtriuſque perſonæ rationem adhibens, continuo ſecundo in loco cœnam poſuit, quam vtrunque eorum mire appetere ſciebat. Proponit Cicero in diuinatione in Verrem, quod à defendendo ad accuſandum deſcenderit, cum iudices intellexerint quamobrẽ id faciat, & eos nihil eſſe miraturos, & accuſationem illam ſibi potius, quàm cuiquam alij omnino delaturos. quam propoſitionem cum poſtea exequitur, præpoſtere Cicero agit. nam quæ ſecundo in loco propoſita erat, eam primum abſoluit, deinde ad priorẽ redit. id quod ex arte factum maximè cõſtat, nam ſi prius, atq; ex ordine probaſſet, ſe in ea accuſatione Cæcilio eſſe anteponendum, pari ratione probatum eſſet, vt ex defenſore honeſte accuſator factus eſſet, quia conceſſo illo quod honeſtius, quàm Cæcilius, accuſare poſſet, vnà ſimul concedi videbatur rectè eum à defendendo ad accuſandum deſcendiſſe. Fabularum proprium eſt, vt primo in loco totius rei argumentum, aut quodam modo quod pro argumento ſit, proloquamur. Eſt tamen vbi Plautus poſt

primam ſcenam, eamq́ bene lōgam id ponat cōmodiſſime, quam quidem artis liberam inſtitutionem poëta omnino magis ſibi vendicare videtur, nam quæ longe etiam poſt euenerint, primo in loco narrando vt occupet, ac his perfecte peractis, ad quæ prima geſta fuerāt, perbelle ſeſe reuocet dicendo, totum ex artificio facit. capta Troia primum eſt, pererrat deinde Aeneas maria omnia, terras omnes, agit tamen præpoſtere Maro, cum rem eam exequitur. Continuo enim ab erroribus exorditur, idq́ cum ex inſula Sicilia, non autem Troia ſoluiſſet, deinde ad Troiæ excidium cōmode reuertitur. In eo vero magis cum natura conſentire videtur, cum primum proponit, deinde inuocat, poſtremo narrat: nam qui ſecus faciant, aut nulli ſunt, aut ſi qui ſunt omnino, quàm recte faciant, ipſi viderint, præſertim in ipſo totius operis initio. vt Maro in Georgicis.

Quid faciat lætas ſeg. quo ſid. terram
Vertere Mecœnas, vlmiſq́ adiungere vites,
Conueniat, quæ cura boum, qui cultus habēdo
Sit pecori, atq; apib⁹ quāta experiētia paruis
Hinc canere incipiam. Quibus verſibus de quo dicturus ſit poëta proponit, ſequitur Deorum inuocatio ex eo loco. *Vos ò clariſſ. mu.*
Lumi. lab. cœl. quæ ducitis annum,
Lib. & alma Ceres.

Et

Et reliqua, quouſque rem ipſam aggreditur eo initio.

Vere nouo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur.

Item in ſecundo eiuſdem operis libro ſtatim hoc modo proponit,

Nunc te Bacche canam, nec nō ſyluestria tecū
Virgulta, & prolem tarde creſcentis oliuæ.

Deinde Bacchum inuocat, cum ſequitur.

Huc pater ò Lenae, tuis hæc omnia plena.

Poſtremo inde narrationem exorditur.

Principio arboribus Varia eſt natura creādis.

Eſt tamen Vbi præludere aliquid illi quoque conceſſum eſt. quemadmodum Maro fecit in Aeneidis ſuæ initio, qui propoſitioni quatuor carmina præcinit. atque ita, Vt ea etiam cum propoſitione coniunxerit, dicens.

Ille ego, qui quo.gra.mod.auena
Carmen. & egr.ſyl. Vici. coëgi,
Vt quamuis auido parerent arua colono.
Gratum opus agricolis.
At nunc horrentia Martis
Arma Virúmque cano.

Et quæ ſequuntur, quouſque Veniat ad inuocationem, quam totidem Verſibus exequitur, dicens.

Muſa mihi cauſ.mem.quo.num.laſo.
Quód Ve do.re.de.tot.Vol.caſ.
Inſi.pie. Vi.tot. adi.la.

Imp. tantæ ne animis cœleſt. iræ?

Cui ſtatim adiuncta eſt narratio, cuius initium hoc eſt.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij ten. coloni.

Neque ego quemquam eſſe arbitror, qui Lucretium mihi temere obijciat, quem tamen ab inuocatione exorſum eſſe paſſim legunt, hoc modo.

Aeneadū genetrix, hominū diuūq; voluptas.

Nam aliud huius initium adducit Varro, cum agit de lingua latina, id autem eſt tale,

Aetheris, & terræ genitabile quærere tēpus.

Hæc tantum ille, cætera adhuc deſiderātur, ſed hoc diſtribuendi inſtitutū in operis (vt dicebam) initio caſtiſſime cuſtoditur atq; incorrupte conſeruatur, in medio autē ſi quid vſus veniat, certe nos item; eo enim in loco liberior inſtituendi ratio eſſe videtur, quemadmodū Maro in VII. Aeneidos facit; qui muſam, quæ gens Italiam teneret, qui ve rerū ſtatus eſſet cum illuc Aeneas appulit, vt ſibi demonſtret primum rogat, deinde proponit, poſtremo narrationem ipſam exequitur, ſic enim ait.

Nunc age qui reges, Erato: quæ tempora rerū
Quis Latio antiquo fuerit ſtat⁹; aduena claſſe
Cum primū Auſoniis exercitus appulit oris,
Expediam, et primæ reuocabo exordia pugnæ.
Tu v. tem, tu diua mone. dicā horrida bella,
Dicam acies, actosq; armis in funera reges.

Thyrre

Thyrrenãq; manũ, totamq; ſub arma coactã
Heſperiam, maior rerum mihi naſcitur ordo,
Maius opus moueo. Rex arua Latin⁹, et Vrbes
Iam ſenior, longa placidas in pace regebat.

Et quæ ſequuntur reliqua, quo in loco à naturali illa inſtituendi ratione diſceſſit, id, quod etiam efficit in decimo, cum ex Vniuerſa Hetruria, quæ coëgerat Aeneas auxilia, eſt dicturus ait enim.

Pandite nũc Helicona Deæ, cantuſq; mouete,
Quæ manus intereaThuſcis comitetur ab oris
Aenean, armétque rates pelagóque Vehatur.

Quo in loco inuocans nullam explicuit narrationem, quemadmodum ſuprà, ſed ea, quæ in inuocatione indicabatur, contentus, rem ipſam aggreditur hoc modo.

Maſſicus ærata Princeps ſecat æquora Tigri,
Sub quo mille manus iuuenũ, qui mœnia cluſi

Et quæ ſeqũtur ad omniũ copiarũ plenam deſcriptionẽ. Pari itẽ ratione facit, cũ de apibus agit in quarto Georgicorum, ſic enim ait,

Quis Deus hãc, muſa, quis nobis extudit artẽ?
Vnde noua ingreſſus hominum experientia cœpit.

Quæ inuocationis loco dicta poſſunt Videri. ſequitur autem rem ipſam ſic agens.

Paſtor Ariſtæus fugiens Peneia tempe.

Et reliqua ad operis finem. Pari item ratione agit in I X. cum Turni ingentia facta

 eſt

eſt dicturus, vbi muſam rogat, vt ſibi tantas res canenti feliciter adſit, ſic enim ait.

Vos ò Calliope precor aſpirate canenti,
Quas ibi tũ ferro ſtrages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quiſq; virum demiſerit orco.
Et mecum ingentes oras euoluite belli.
Et meminiſtis enim, diua, & memorare po-
teſtis.

Deinde ſic aggreditur,

Turris erat vaſto ſuſpectu, & pontibus altis.

Et quæ ſequuntur, vt in difficillimis rebus explicandis, quibúſque Deo ſit opus, etiam in medio opera liceat eius opem inuocare. Quod Sanazarius & acute vidit, & optime eſt executus in ſecundo libro de Virginis partu. nam cum ad Chriſti ortum perueniſſet, rei magnitudine (quid enim maius, aut etiam tãtum?) ductus ſic muſarum opem implorat.

Nunc age, Caſtalij quanunquam audita ſub antris
Muſarũ ve choris celebrata, aut cognita Phœbo
Expediam. Vos ſecretos per deuſa colles,
Cœlicolæ, vos (ſi merui) monſtrate receſſus
Intactos. ventum ad cunas, & gaudia cœli,
Mirandóſque ortus, & tecta ſonantia ſacro
Vagitu. ſtat ferre pedem, quà nulla priorum
Obuia ſint oculis vatum veſtigia noſtris.

Sed ſiue naturã ſiue artem in conſtituendo ſequaris, illud tibi etiam atq; etiam diligenter videndum erit, vt ei rei, quæ de agatur, diligens

diligentē rationem adhibeas, eiq́; vni in primis etiam atq; etiam obtemperes. Reliquum autē eſt, vt locutionis formam perſequamur ad imitandum, quo vno perfecto totius imitationis fabricam à nobis habebis abſolutam.

BARTHOLOMAEI RICCII DE IMITATIONE, AD Alfonſum Ateſtium, Principem.

LIBER TERTIVS.

ETSI ſcio me, qui de imitatione ſcribam, hoc loco, quem ſequar imitando, habere neminem, qui ex diſtributionis meæ tertia parte librum ſeparatim mihi conficiam, cum hæc quoque pars reliquas duas partes continenter ſequi, ac coniunctè concludi magis deberet: ne tamen hic liber, ſi hæc quoq; tertia pars acceſſiſſet, iuſta magnitudine longior excreuiſſet, locutionem ab inuentione, & diſpoſitione ſeiunxi, tametſi ea locutionis quoque auctoritas, isq́; vſus eſt in dicendo, vt non dubitem quin illa, quod

ei amplius attribuerim, facilè ſuum defendat, atq; tueatur, meamq; hanc inſtituendorum librorum rationem etiam paulo liberiorem pari ſit ratione comprobatura. Sanè inuentio rerum omnium in dicendo, vt etiam in agendo eſt princeps, neq; diſpoſitio nullam ex ſuo ordine orationi ipſi venuſtatem, atque decorem affert, at ea vna locutionis vis, atq; virtus eſt, vt ſi nulla adſit, quicquid prudentiſſime inuenias, quicquid in ſuum ordinem optime conſtituas, quaſi fruſtra vtrunque efficere videaris: ſin autem rudis, atque infans, nec qua ſua dignitate conſtet, plurimum de vtroq; vt detrahatur, neceſſe ſit. in ea autem ipſa, qua de nunc agitur, imitatione, quantũ hac etiam valeat, quantum principatus obtineat, id facile declarat, nã cum imitatori maxime prouidendum ſit, ne aliena magis ſurripere, quàm imitari videatur, id illi in primis hæc loquendi virtus optime & prouidere, & cauere poteſt. ſic enim hæc apte, ſic belle, ſic recte, quicquid vult, in alienam faciem transfert, atq; conuertit, vt qua prima fuerit nulla ſentiatur, ac quemadmodum apes, quã floſculos, herbulas, ac quicquid imbiberint roris, in ſuum nouum corpus ita conficiunt, vt nihil horum exiſtat ex priſtina aut forma, aut materia, ſic hæc nobis alienas virtutes, atq; ſententias ita ſuo ſtudio, ſuaq; arte conficit,

ficit, atq; condit ſuauiter, ut priſtina forma nihil agnoſcatur, noſtrumq; id fiat maxime, quod ea nobis apte cōpararit, atq; cōſtruxerit. Ut omnibus hiſce de cauſis tertius hic de locutione liber ex ſecundo ſine ulla iuſta accuſatione naſci potuerit. Sed quoniam locutio non à nobis, uerum tota (ut eſt aliena) aliunde eſt petenda, ac multa res quotidie reperiuntur, atq; adeo aſſidue reperientur, quæ nomine careant latino, ac etiam multo plures illa ſint, quæ nouum nomen nacta, uetere aut prorſus amiſſo, aut ſaltem nobis ignorato, utrum nouis rebus à nobis recte fieri poſſit nomen latinum, aut nouis nominibus pro latinis uti poſſimus, aut ſi neutrum permittitur, quid tum agendum ſit, cum earum uſus ueniat prius eſt dicendum, deinde locutionem ipſam planius abſoluemus, ac quod ad res nouas latino nomine appellandas, ſanè multi non deſunt, neq; ij imperitiſſimi uiri, qui Ciceronis auctoritate id ſibi licere magnopere contendūt, qui in principio tertij libri de Finibus bonorum, & malorum ſic in hanc ait ſententiam.

Stoicorum autem non ignoras quàm ſit ſubtile, uel ſpinoſum potius diſſerendi genus, idq; cum græcis, tum magis nobis, quibus etiā uerba parienda ſunt, imponendáque nouis rebus nomina. Quod uero ad res ueteres (quoniam una eademq; plaga utrunq; aduerſa

uerſarium conficere volumus) quarum nullum ſit, aut non extet nomen latinum, ſi qui id quoque audeant, quo præſenti appellantur, eas nominare tanquam latino, quoniam Horatius dixerit,

Cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerũ
Nomina protulerit, licuit, ſempérque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Ac etiam paulo infra, vbi ex rerum omnium viciſsitudine, verborum etiam renouationem affirmat, vbi ait.

Multa renaſcentur, quæ iã cecidere, cadentq́;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Pari omnes, eoq́; maximo verſantur in errore, nã cum ita Cicero, & Horatius ſentiãt. & rectiſsime ſentiant, id latinis ſuis (quod miror tantos viros non vidiſſe) quibus cum agebant, tantum concedebant, neq; enim Cicero volebat noua rei græcæ latinus, aut cõtra latina græcus nomen faceret non ſuum, quemadmodum hoc noſtro tempore neq́; Italus Gallis vocem vllam creare poteſt Gallicam, neq; cõtra Gallus Italis quæ ſit Itala, neq; vtriſq; Hiſpanus, quæ ſit cuiuſque, ſic neque Latinus aut Italus, aut Gallus, aut Hiſpanus vocem vllam

Vllam parere poteſt, quæ latina ſit, nam ſi ita fiat, iam pridem omnes linguas latina lingua in ſe recepiſſet. Cauedonem (liceat mihi iam ſæpius exempli cauſa barbare loqui) Vulgo rem nouam Italus appellat, item ſtaſam, ſtampam, bombardam, & cætera eius generis infinita, fac hæc Italo liceat, cum ei Vſus Veniat, paruo quodam accentu ad Vocis ſonitum addito quaſi latina Vſurpare, ac latinis aſciſcere, fac idem cæteris nationibus in ſuis nouis rebus permittatur, non Vereor, quin Videas, quàm breui latinus ſermo à ſeſe totus deſciſcere cogatur, omnia omnium ſtatim fieri pauciora latini ſermonis agnoſci neceſſe ſit, multo Vero etiam magis, ſi quæ noſtra Germana ſunt Voces (Vt de noſtris nunc tantum agam) eas nos ad latinam rationem proferre conemur, Vt poſsibile, gratitudo, ingratitudo, liberum arbitrium, deuotus, pro religioſo, profectus pro culpa, componere librum pro ſcribere, inſtabilitas, ſuperfluum, ſuperfluitas, & quæ in inſtrumentis; in fructibus, in herbis, arboribus, nauigiis, auibus, Veſtibus, coloribus, & cæteris eius generis ſunt innumerabilia. At hoc latini ipſi palàm factitarunt, ſi quidem Cæſarem(Vt græca nunc omittam quàm plurima, quæ trita facta ſunt latina) multis gallicis Verbis latinam ciuitatē donaſſe, nulli dubium eſt. Maronem

autem

autem & Gaza, & Geſa, & Mapalia in Latium tantum, aut maris, aut terræ ſpatiũ tranſtuliſſe pari conſtat ratione, ita cæteri in cæteris, ut cuiq; uſu ueniebat, facere nihil dubitarent. id quod etiam egregie latina oratione prædito, quiq; eius ciuitate planè donatus ſit, ad eum modum licere exiſtimandum eſt, quaſi uero non infinitæ ſunt res, quas alij agere liceat, alij autem minime. Certe quempiam in ſuam domum ad ſe liberaliter accipere cuique permiſſum eſt: in alienam, id ſi facere uelit, non ita. Sic Princeps, cui libeat, ciuitatem ſuam donare poterit, alienam non poterit. Cæſar, Maro, quiq; reliqui alienas uoces Romanis aſciuerunt, in ſuam ij domum, in ſuam ciuitatem illas receperunt: nos autẽ, qui iam pridem facti ſumus alieniſſimi, qua id ratione facere audebimus? at latinæ orationis ciues facti ſumus. eſto: nũ propterea in eam alios recipere ipſi poterimus? Certe ſuffragij ferendi ius nouo homini concedetur, donandæ autem ciuitatis non ita. Præterea cur, ſi ita eſt, tot optimi ciues, atq; adeo principes latinæ ciuitatis nullum uerbum temere in ſuam ciuitatem admittere ſunt auſi, Bembus, Sadoletus, Romulus, Bonamicus, totus deniq; Senatus latinus iis uocibus latine agentes utuntur, quas uſus & conſuetudo maiorum eis reliquit, nullam nouam ij ad iſtam rationem

rationem admiſcentes. Quid igitur tuus iſte ciuis latinus aget in ijs vtriſque rebus appellandis, ſi alteris prorſus latinum nomen adimis, alteris noſtrum non concedis? Ego, cui negocium erit in rebus nouis nominandis, continuo ei quærendum eſſe cenſeo, ſi ei rei aliquid apud maiores vnquam extiterit ſimile, ad cuius rationem ei quoque nomen aliquo modo accommodare poßit, vt in bombarda, ſi quis eam ad veterum ratione͂, tormentum dixerit militare, item horologium (ſi quis hanc vocem prorſus fugiat) ſolarium magis appellarit, item baptiZare, initiari. in ijs autem, quorum nomen latinum non ita cuique obuium occurrit, is primum diligenter inueſtigabit, ſi id aliunde poßit eruere, cuius ſi compos fiat, recte erit, ſin id minus aſſequatur; aut nullu͂ prorſus erit, rei circunſcriptio ſemper illi praſto aderit, nunquam periphraſis deerit: vt in exco͂municare; ſiquis id pluribus explicet verbis ſacris eum, aut aqua, & igni interdicere, ita à chriſtianorum conſuetudine eum auertere, ita ſi cui cauendonem ſit dice͂dum, ſi eum explicet tripodem focularem, quo ad ligna vtuntur ſuſtinenda, ſi ſtafam; inſtrumentum, quo pedes ſuſtinet eques, ſi campanam vas eſſe aneum altißimo in loco poſitum, cuius creberrimis ictibus aliquid longinquis ſignificatur. At

Q longum

longum erit, quod vnico poſſit verbo, multis id ſi explicetur verbis, ac quoties opus ſit eam periphraſim repetere. At latinum eo modo, barbarum iſto. Poſtremo autem ſi minus conceſſa voce vti cogemur omnino, neque huius quicquam ſit, quo latinam eam reddere poſſimus, ac circuitus iſtos, atque orationis anfractus fugere velimus. eo modo recte illam vſurpabimus, ſi quaſi veniam prius præfabimur, hoc modo, vt aiunt, vt dicunt, vt ita dicam, vt noſtri appellant, loquuntur, & huius generis multis modis, quemadmodum Cicero facit in ijs, quæ non ſatis latina probarentur. Sed fortaſſe in paucis vocibus id ſeruari poterit, vt aliquo modo aut quaſi latinas eas efficiamus, aut periphraſi, aut etiam excuſatione aliqua adhibita latinis admiſceamus. Quid autem iureconſulti in ſuis conſilijs dandis? Quid item conuentorum, pactorum, teſtamentorúmque ſtipulatores agent, quibus & infinitis rebus noua nomina ſunt omnino facienda, & quæ latina ſunt, prorſus ignorantur? num à conſulendo, ac ſtipulando ceſſabunt. dum aut latini redeant, qui res eas nomine donent latino? aut illa, quæ latina lateant, fiant notiora? an continuo artem deſinent? iſti, ſi me audiant, aut prius latine recte ſcribere diſcent, aut ſi id aſſequi non poterunt

uunt, ſua magis vtentur lingua, quàm abutentur aliena. Sed iam locutionem ipſam aggrediamur. quo vno perfecto, totius imitationis fabricam à nobis habebis abſolutam. Cum igitur latinæ locutionis duplex ſit vſus, grammaticus alter, alter latinus, qui ad grammaticorum regulam tantum loqui didicerit, is non ſatis habebit ad eam, quam latinæ locutionis elegantiam intelligimus. Aliud eſt enim quaſi terminis anguſte circunſcriptis ingredi, aliud ſuo iudicio liberius, ac cum dignitate ſpatiari: neque ille, qui tantum ad familiæ capiendæ laxitatem ædes ædificarit, propterea magnifice ædificaſſe dicetur, ſed qui veſtibula, conclauia, porticus, ambulationes, laquearia, cætera multa ad ædium dignitatē extruxerit, quemadmodum neque qui ſe in choreis agat, ſi ad ſoni numerum pedem tantum moueat, non item totius corporis motum, ac quiddam etiam de ſuo decenter addat, elegans ſaltator habebitur. Poſtremo autem qui panno inuolutus ſit bene craſſo, ſatis ille quidem aut ad frigus pellendum, aut ad calorem arcendum habebit adiumenti, ad ornatum autem, quem omnium maxime quærimus, niſi veſtiendi ars diligens acceſſerit, nihil habebit omnino. Sic in latina oratione

minime ſatis eſt, latina ſi ſint verba, ac certa inter ſe ratione coniuncta, maius adhuc quiddam reſtat, id autem eſt in vſu magis comprobatum latino, ac ex bonorum aſſidua lectione comparandum, quàm quod minutis iſtis præceptis obediatur, atque magiſtris doceatur. Sed vt aliud eſſe grammatice loqui, aliud latine dicebamus, ſic nunc in latina locutione aliam alia eſſe probatiorem oſtendemus. ac ne ego nunc tibi ætates commiſceã, ac Terentij quaſi horridioris neſcio quid antiquitatis retinere, Antonij, atq; Craſſi paulo cultiorem factam eſſe, Ciceronis autem ætatem omnia lumina, omnes virtutes eloquentiæ effudiſſe comprobem, vnam tantum ſumamus, neque eam etiam optimam; quinetiam à viris diſcedamus licet, ne vnum tibi ſemper Ciceronem obijciam. num ſuæ igitur ætatis cæteris primarijs fæminis Corneliam, & Læliam ſplendidius locutas eſſe, Cicero teſtatum reliquit? quarum etiam altera Gracchorum filiorum inſtitutioni plurimum profuit, altera filias Mutias, & Licinias neptes longe effecit elegantiores? Dij facerent, vt non ita eſſet, ac omnes eo modo homines loquerentur, quo boni faciunt, neq; hic alio, ille alio latina abuſus eſſet oratione! nulla enim nunc opus eſſet in loquendo imitatione, omnes enim eo modo loquerentur optime

optime. Hanc autem, quam nos hoc loco probatiorem quærimus locutionis formam, ex vna probatiſſimorum auctorum lectione aſſidua maxime conficiemus, nam vt peſſime ij ſemper agunt, qui à peſſimis nunquam diſcedunt actoribus, ſic illi, qui in bonis habitant, nonnunquam optime. hi autem qui ſint probatiſſimi auctores, in quibus legendis, ac verſandis, hanc dicendi formam, quæ omnium iudicio maxime probetur, nobis ipſi comparemus, ij procul dubio ſunt, qui Ciceronis ætate floruerunt. ſed cum ea tota ætas planè latine, atque eleganter locuta ſit, vnus tamē Cicero omniū elegantiſſime eſt locutus. pure quidem alij, quod eſt in maxima laudis parte ponendum, preſſe alij, ac propè vna in breuitate diuini extitere. Sed vnus Cicero laudem omnium ac virtutes in ſe tranſtulit omnes, pure hic in loco, nec multis, cum res poſtulat, agit, in vno autem illo illuſtrandæ orationis genere Deus eſt. verborū delectum eloquentiæ originem Cæſar eſſe dicebat. Atqui alij ſemper aliquid habent, quod aut prorſus damnetur, aut ſaltem æque non probetur, vetuſtatem alij nimis dedita opera cōſectantur, in agreſtibus, ac parum cultis ſeſe alij magis oblectant, alij alio vitio laborant. vnus Cicero tantum abeſt, vt quicquam tale in ſe amiſerit, vt meſſem illam nobis, atque

verborum omnium copiam omnem perpurgarit, qui nihil in ſermonem, quod non Romanum oleret, quod ab ætatis ſuæ cultu, atque dignitate quicquam abhorreret, quod omni denique ſplẽdore non eluceſceret, prorſus intertexuit. Huc id accedit, quòd hic ſolus, quàm cæteri omnes ſimul vnà, plura conſcripſit volumina, vnde etiam nobis maior copia ſuppeditari poſſit ad dicendum. Neque illi quicquam audiendi ſunt, qui continuo obijciunt, Ciceronem non omnia attigiſſe multa ex iis etiam, quæ ſcripſit, deſiderari, quare à cæteris quoque hanc nobis locutionem petendam eſſe ſatis inepte garriunt: nam ſi ita, vt de rebus omnibus Cicero non ſcripſerit, ac ex eis etiam, quæ ſcripſerit, voluminibus, temporum iniquitate complura deſiderentur, certe qui in eis, quæ extant, quæ leguntur, optime verſatus erit, quique eius dictionis formas probe, ac fideliter perceptas habebit, is eas ad quicquid volet commodiſſime trãsferre poterit, ſiquidem ceram imitatur oratio, quæ quo eam ad quaſque formas confingendas deflexeris, facillime cõſequetur. Nollem hoc loco ineptus videri, qui ſummum virum, principem, ac patrem eloquentiæ rei comparẽ abiectiſſime, ſed paruis tamen, atque infimis maxima, atque nobiliſſima interdum recte conferri ſolent. mihi

inquam

inquam Ciceronis oratio cum locupletiſsimi ſutoris officina rectiſsime comparari poſſe videtur. nam quemadmodum in ea omnium pedum, omnium formarum aptiſsima ſunt calceamenta, ſic ad omnes res oratione apte conueſtiendas locutio, atque dicendi formæ omnes ab vno Cicerone facile ſumi poterunt. Neque enim dubitandum eſt, quin Cicero, ſi hiſtoriam, ſi de re ruſtica copioſius quàm fecit, ſi item de cæteris rebus ſcripſiſſe, æque in ijs omnibus ſcribendis ſatisfeciſſet, atque in ijs, quas luculentiſsimo ſtilo complexus eſt, planè ſatisfecit. quaſi vero quia Apelles non omnium rerum formas penicillo ſuo ſit perſecutus, ideo etiam, qui ad eius imaginem optime fingat, is artem ſuam niſi ad eas formas, quas Apelles pinxit accommodare poſsit, aut qui in Oceano natare didicerit, non is item in cæteris aquis, cum vſus veniat, id facile faciat, ab hoc igitur vno Cicerone vt nuſquam diſcedamus, vt in hoc hæreamus, atque perpetuo habitemus, meum eſt conſilium. ſi quis tamen in hiſtoria aut Cæſaris puritate, aut Saluſtij breuitate magis delectetur, id per me quidem ſequi illi faciliime licebit. Sed vniuerſæ locutionis dicendi ſtudioſis ſeſe duplex affert vſus, & vtilitas, altera ex eo, quod non vnam, atque eandem loquēdi rationem eſſe dicebamus, vt

qui hiſtoriam ſcribat, ſi Cæſaris puritatem ſequatur, Liuij candorem, aut etiam Saluſtij breuitatem parui faciēs, aut cæteris omnibus poſthabitis ſcriptoribus, vnius Ciceronis ſeſe locutioni addixerit. Altera ex eo, quòd hac ſua mutatione, addendo, detrahendo, omnem loquendi vſum cōplexa eſt. de ſuperiore quid ſentiam, aut cuius ſcriptoris locutionē magis probem, ſatis arbitror paulo ſupra, & paſſim multis alijs in locis à me eſſe demonſtratum. nunc autem de poſterioris vſu, atque vtilitate reſtat, vt copioſius dicatur, quoniā igitur hæc animi indicium eſt, atque vna hac potiſſimum quid velimus, quid non, cæteris aperimus, atque eloquimur palàm, neceſſe eſt, vt iam pridem nihil dici poſſit, quod millies non ſit dictum prius. qui igitur eadem ſenſa cum alijs, ſine iuſta reprehenſione, quin etiā noſtra cum aliqua laude proferamus, locus poſtulat, vt pluribus videamus. id, quod etiā polliciti ſumus, cum de inuentione, atq; diſpoſitione agebatur. Aut igitur quæ ſunt ab alio dicta, nobis, vti ab eo ſunt dicta, integre, aut aliqua facta mutatione, aut addendo, aut detrahendo, proferenda ſunt omnino. Ex ijs autem, quæ integra manent, ſunt prouerbia, dicta, ſententiæ, diffinitiones, & eius generis cætera, vt ſi quis merces eò aduexerit, vbi maxima earum rerum ſit vtilitas, alius cum

hoc

hoc prouerbio ſtultitia notet, Noctuas Athenas. aut ſi qui neget magnum in rem vilem ſumptum ſe facturum, illud apte & facete vſurpet, Vnum pœnitere tanti non emo. aut cum vir probus ſignificabitur, ſi quis dixerit, Dignus eſt, qui cum in tenebris mices, aut cum nimis largum intra beneficentiæ leges retinendum eſſe, hoc quiſpiam modo argute præcipiat, Largitio fundum non habet. Quæ omnia, & quæ ſunt huius generis reliqua innumerabilia, quoniam vulgo facta ſunt communia, quo primum ab eo ſunt accepta, eo modo ſunt perpetuo ab omnibus communiter vſurpanda. dicta vero, ſiue ridicula, ſiue ioci, ſiue quoquo modo nomine alio appellentur magis, & hæc eo modo proferri ſolent integre, quomodo ſunt à ſuis auctoribus prolata. vt cum nouum hominem in cõſeſſum ampliſsimum, ac eo loco minime dignum, ſed (vt fit) principio vitio aſcitũ, locum ſibi quærentem, quis ad hunc modum facete mordeat. Te equidem reciperem, niſi anguſte ſederem. Item, ſi quem ſe nimis iactantem in agendo notaremus hoc modo, Quis loquitur è lintre? Item ſi quis in furacem ſeruum, illud amphibolon vſurpet, Solus eſt, cui domi nihil eſt nec obſignatum, & occluſum. Ita in male olentem, Circunuentus ſum. ſi vero plures adſint, Circunuenti ſumus. Ita illud

in adulterum, qui in facto deprehenſus ſit, cum quis interrogaret, Quid videretur? quis reſponderet, Tardus. Ita cum parem gratiam nos promittimus relaturos, eo modo, Vt ſementem feceris, ita metes. Sententia quoque ijs ipſis verbis, eo ipſo integro conſeruato ordine, quo prius cōſtructa ſunt, recte proferuntur, vt Cicero illud Terentij protulit, Obſequium amicos, Veritas odium parit.

Item illud Ennij.

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
Vt nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Neque id non ita,

O Tite, ſi quid ego adiuto, curámve leuaſſo,
Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa,
Ecquid erit præmi?

Definitio ſententiam ſequitur. vt illud. Ius natura, quod nobis non opinio, ſed quadā innata vis affert, vt religionem, pietatem, gratiam, vendicationem, veritatem. Ita Ius ciuile eſt æquitas conſtituta ijs, qui eiuſdem ſunt ciuitatis ad res ſuas obtinendas. Ita Iuſtitia eſt habitus animi communi vtilitati conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Quas omnes, & harum etiam ſimiles cæteras definitiones ſiquis integras

vſurpet

vſurpet, non faciet inepte, ſi tamen aliquid de ſuo addat, aut etiam totam eandem à ſe confecerit, modo à definitionis natura, & lege non diſcedat definiendo, aque ei facere licebit. Vt Cicero in iuſtitia fecit definienda, qui alijs verbis, atque eſt ſupra adductum, ſic eam definiuit.

Iuſtitia eſt affectio animi ſuum cuique tribuens, & ſocietatem coniunctionis humanæ munifice tuens.

Item alius eam definiens dixit, qui ad Herennium ſcribit, cum ait.

Iuſtitia eſt æquitas, ius vnicuique tribuens pro dignitate cuiuſque. Vt non addam multa alia, quibus aut deſcribitur, aut ſignificatur hæc virtus non vno modo. Quin etiam in ſententijs quoque aliquid & addi, & commutari, modo remaneat ſententia, permitti videtur. Vt ſi quis illud Platonis, Principem ciuium beneuolentia, non armis ſeptū eſſe oportet, ad hunc modum quaſi ſuum id efficiēs, dicat, Na illi maxime tuti ſunt Principes, qui magis ſuorum ciuium beneuolētia, quàm armis ſepti ſunt: Quemadmodum etiam Cicero facit in Terentio paulo etiam liberius: ille enim ait.

Non Apollinis magis verum atque hoc reſponſum eſt.

Cicero

Cicero autem ſic.

Hac ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta, nihil poteſt eſſe verius. Eam autem eiuſdem Terentij non ſolum commutauit ſed etiã ad imitationis formam optime tractauit. Ille enim ait.

Malo coactus, qui ſuum officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet: ſi ſperat fore clàm, rurſum ad ingenium redit.

Cicero autem ſic.

Quoad metueres, omnia te promiſſurum, ſimul ac timere deſiſſes, ſimilem te futurum tui. Sed quoniam caſu, quod artis fuerat, in ipſam commutandi rationem incidimus, quæ propoſitionis noſtræ pars erat altera, eam pergam abſoluere. Aut igitur, quod ipſi eloquimur alienum, id nobis erit omnino incognitum, aut etiam ſæpius perlectum. ſi prorſus ignorabimus. & ijs verbis, & eo ordine, quo alius protulerit prius, nunquam à nobis proferetur. Sin autem in eorum veſtigia omnino dicendo incurremus, magnum tum orationis noſtræ teſtimonium habere poterimus, eam minimè eſſe contemnendam, quæ eadem ſit cum optimorum. Si verò in perſpecto verſabimur, nos vna hæc multiplex commutandi orationis ratio prorſus ab omni furti accuſatione liberabit: quam vtam C. Carbonem tenuiſſe, Cicero ſcriptum reliquit.

Siqui-

Siquidem hic cum ſe exerceret ad dicendum, quod ex probatiſsimo aliquo, aut poëta, aut oratore memoria comprehendere poſſet, idem ſuo modo exprimere, atque proferre conabatur. Videbat ſcilicet induſtrius orator hanc exercitationem maximè ad dicendi copiam pertinere. Neque mihi nunc L. Craſsi quantacunque autoritas ſit, hoc vnquam eripiet, vt quod à bonis omnibus fieri videam, illi concedam, turpe eſſe ad imitandum, cum Cicero quoque ille ipſe, qui ſub Craſsi perſona ea improbare ſimulabat, & aliter ſenſerit, & fecerit ſemper. hoc igitur ius acquirendæ alienæ ſententiæ poſſeſsionem æquam commutatione, additione, detractione facile conſequemur. Commutandi autem genus eſt duplex, vnum ordinis, verborum alterum: cum autem nunc ordinis dico, intelligo tantùm ordinem iiſdem manentibus verbis in aliam faciem redactum. huius autem commutandi ordinis ratio triplex eſt: vna, cum dicitur retro, ac quaſi ſurſum verſus idem, quod directè dictum prius offenderis: altera, cum interciſe: tertia, cum verba omnia, & cola ipſa tuo arbitratu permiſcentur, cum retro ordine, vt ſi id Terentij, Saluum te aduenire, Demea, gaudemus: quiſpiam ſic faciat mutando: Gaudemus, Demea, aduenire te ſaluum: Item illud: Nunquam rem fa-

ciet.

cies, abi, neſcis ineſcare homines, Sannio: ſi ſic item commutetur, Sannio, homines ineſcare neſcis, abi facies rem nunquam: quemadmodum ipſi paulò ſuprà dedita fecimus opera, qui in hac commutatione diſtribuenda ex ipſo Cicerone locum pene integrum retro ordine per ſingula verba remenſo tranſtulimus. Interciſe autem permutare tum intelligo, cum periodus inciditur, ac oratio per cola ipſa in ordinem alium componitur, ac ipſe ambitus partibus integris commutatis in alium orbem, atque in quadrum noſtrum concinnius digeretur, vt illud Ciceronis in Oratore: Cur igitur ius ciuile docere ſemper pulchrius fuit? Hominumq́; clariſſimorum diſcipulis domus floruerunt? ad dicendum ſi quis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, vituperetur? Si interciſe inuertatur ſic, Ad dicendum ſi quis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, vituperabitur? Cur igitur ius ciuile docere ſemper pulchrius fuit, hominumq́; clariſſimorum diſcipulis domus floruerunt? Ad hunc autem modum Terentius ſe ipſum conuertit, Ait enim in Eunucho in Thaidis perſona; Solus ſum; habeo hic neminem, neque amicum, neque cognatum. In Adelphis autem hoc idem agit per conuerſionem, vbi ait. Neminem habeo, ſolus ſumus, Ceta autem hic non adeſt.

Sed aptiſsime Cicero hoc genere conuerſionis tum vſus eſt, cum id Gracchi per cola conuertit. nam cum ille diceret, Abeſſe nõ poteſt, quin eiuſdem hominis ſit, probos improbare, qui improbos probet: Cicero autem ſic, Quin eiuſdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare. Aptiſsima eſt in poſtremo facta commutatio. Meus autẽ Flamminius hanc conuertendi rationem tum egregie perſecutus eſt, cum ait in ſua paraphraſi: Dum perpetuo cuncta ſurſum, ac deorſum commeant, rerum generatio, & interitus circuitum conficit, & quaſi orbem quendam. Ex terra enim humor, ex humore naſcitur aër, ex aëre oritur humor, ex humore terra vltima. qua Cicero eadẽ retro verſo ordine prius in hunc modum tulerat. Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre æther. Deinde retrorſum viciſsim, Ex æthere aëre aqua, ex aqua terra infima. ſic naturis his, ex quibus omnia conſtant, ſurſum deorſum, vltro citroque commeantibus mundi partium coniunctio continetur. Tertium autem commutandi genus eſt cum eiſdem verbis nullo primo eorum ordine conſeruato, neque colorum vlla ratione adhibita, ſed cum nos nouum, ac liberum noſtrum efficimus ordinem: vt ſi quis illud, Tibi autem id conſilij do, do quod mihimetipſi, vt vitemus

temus

temus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſumus: ſi quis inquam ſuo id modo cõmutans ſic efficiat, idem autem tibi do conſilij, quod ipſimet mihi, vt ſi minus hominum linguas facile poſſumus, oculos vitemus. Quorum trium commutandæ orationis generum primum nimis puerile, nimiſque elaborati eſt ſtudij, atque inanis induſtriæ, ſi ſimpliciter fiat: quare etiam maximè deuitandum. Secundum paulo tolerabilius, ſed neque hoc quoque admodum factitandum. neque enim commode cadet, vt ſæpius fieri poſſit. Tertium longe omnium eſt liberius, & propterea etiã commodius, quódque crebro vſurpetur. modo illud etiam atque etiam diligenter attendatur, ne commutatione facta quodammodo diſſoluatur, atque eneruetur oratio. nemo enim iam pridem neſcit (vt verſum nunc omittam, qui hanc commutandi rationem vix ad ſe admittere poſſe videtur) ſolutæ quoque orationi ſuum certum numerum adeſſe, quaſi mutetur ad eum modum, magnum periculum eſt, ne quod apte compoſitum fuerat prius, diſſolutum reddatur; ac quod ſtructura ipſa ad numerum optime concinebat, ne abſonum, atque aſperum quid reſonet commutatum, quaq; fortiter priore conglutinatione continebatur, recenti ac noua tota decumbetur oratio, niſi res ea nobis prorſus ſit

cum

cum diſſoluto, ac parum compoſite loquenti, nam verba omnia non ita ſunt in quadrum confecta, ac quaſi affabre laborata, atque expolita, vt quoque compoſitionem tuam inſtituas, eam æque apte ſequantur, atque inter ſe quoque verſus adhæreant aptiſsime. Verborum autem commutãdorum alterum erat genus. hoc item duplex eſt: vnum cum verba ipſa remanent, ſed in ſe ipſa quodammodo commutantur: alterum, cum iam poſitorum verborum loco alia, quæ idem ſignificent, aptiſsime reponuntur. cum autem remanent, ſed non ita, vt erant poſita prius, multis id quidem fit modis, ac quàm commodiſsime omnibus. aut enim per caſus fiet, vt vbi alius dixerit, iniuriarum obliuiſci, fortiſsimi eſſe hominis: ſi tu iniurias per caſum commutaris. item, ſi ille ſummo honore dignum patriæ liberatorem, tu ſummi honoris. aut ſi ſit, viſendi cauſa aliquem, tu facias alicuius. ita in cæteris aut vocibus, aut verbis, quæ diuerſos ſibi caſus aſciſcant. quam mutationem ſequuntur etiam illa, te vehementer amo, tu à me vehementer amaris. ſed mira illa, atque elegantiſsima in Cæſare eſt caſus commutatio in primo libro de bello Gallico, cum ait, Equitum millia erant ſex, totidem numero pedites velociſsimi, ac fortiſsimi. nam recta compoſitio, ſi ad ſuperiorem partem re-

ſpondeat, hac erat, totidem numero peditum velociſsimorum, ac fortiſsimorum, quemadmodum equitum dixerat. neque illud nō ineleganter vſitatum eſt, quemadmodum dixit Terentius, populo vt placerent quas feciſſet fabulas. aut per numerum, vt vbi ille, ego omni officio, ſi quis dicat ego omnibus officiis, & vbi ego, ſi nos. item in verbis, vt illud quemadmodum paulo ſupra dicebamus. cum vnus ſit, qui loquatur. illa verò numeri permutatio perquam venuſta eſt, qua vtitur Terentius in Eunuchi prologo. ſic enim in ipſo ait initio.

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minime multos lædere,
In his poëta hic nomen profitetur ſuum. nam cum quis dixiſſet, ac ad eum numerum pari numero reſpondendum eſſet, multitudinis tamen numero vſus eſt, perinde atque, ſi qui ſunt, non autem ſi quiſquam eſt, initio ſi protuliſſet. item in eadem fabula.

Adeon' homines immutarier
Ex amore, vt non cognoſcas eundem eſſe?

In eundem numerus mutatur. proprius enim erat ſi dixiſſet eoſdem. item alibi. Cuius mos maxime eſt conſimilis veſtrum, hi ſe ad vos applicant. vbi ad cuius, hi poſtea intulit. cum aut dicendum fuit, quorum mos, aut ſi, vt eſt, cuius, hic ſe ad vos applicat.

magis

magis ſubdendum erat. item ſi viſendi cauſa amicos, tu viſendorum amicorum cauſa dixeris. Aut per perſonas, vt ſiquis illud conuertat. quid igitur faciam? quid igitur faciat? aut etiam ſimul vtrunq; & numerum, & perſonam. vt, quid igitur faciant? Ita in nomine, vt, vbi ego, alius tu, ille, ita & in caeteris, ex quo genere illud eſt, cum quis de ſe loquitur, tertiam tamen perſonam loquentem inducit, vt illud Parmenonis de ſe ipſo, Dij veſtram fidem: quantam, & quàm veram laudem capiet Parmeno! quam perſonæ commutationem Cæſar modeſtiſſime in ſuis commentarijs perpetuo executus eſt, qui cum de ſe ageret ſemper, nunquam tamen à ſe quicquam protulit. Aut per genus, vt, illum diem ſi tu illam diem. vt etiam, quantum ſuauitatis, ſi quanta ſuauitas. Aut per modos, vt, fac iſthæc recte curentur, ſi tu facias dixeris. vt illud, æquum eſt vos cognoſcere, atq; ignoſcere. ſi tu æquum eſt, vt vos cognoſcatis, atq; ignoſcatis, aut per tempus, vt ipſe viderit, pro videbit. vt Terent. in Eunucho. Niſi ego me turpiter hodie hinc dabo, pro dedero. aut per interrogationem, aut negando, auo affirmando, & quæ eius generis ſunt reliqua.

Alterũ autem cõmutandorum verborũ genus erat, cũ verbis ipſis verba alia ſubijciun-

tur idem ſignificantia. cuius generis quanta vis ſit in hoc ipſo. quod alienum eſt, commode vſurpando, nihil attinet dicere, quando penè oratio ipſa nihil aliud ſit, quàm ad hunc modum loqui. Id autem quatuor modis fieri poteſt, vt cum proprium aut proprio, aut figurato, figuratum aut figurato aut proprio cõmutatur. Nam cum omnis oratio ſit aut propria, aut figurata. (cum autem ego nunc figuratũ dico, mutuatum, tranſlatumq́; intelligo) ac plura ſint in vtriſque ſynonima, horum vtraq; aut cum ſuo, aut cum alterius genere commutantur facillime. Ita verborum cõmutandorum modi fiunt quatuor, vt ſi in proprijs quis diues dixerit, aut in figuratis, cui abunde ſit: tu in proprijs aut locupletem, aut copioſum, ac pecunioſum reponas. in figuratis autẽ pro cui abunde ſit, ſi tu dixeris, Cui amplæ ſint fortunæ, cui ingentes, cui magnæ & locupletes copiæ, & fortunæ. aut ſi florentem omnibus copijs, aut qui viuit in omnium rerum abundantia, aut cui rerum omnium copiæ ſuppeditant, aut cui innumerabilis eſt pecunia, aut cui res ſit ampla, & præclara, aut qui agit quàm facillime, aut cui res familiaris quàm facillima ſit, aut qui ab omni re optime paratus ſit, aut qui Craſſum fortunis, aut Craſſi fortunas facile ſuperet, aut cui nihil deſit ad omnia cõmoda, ad beate viuendũ,

ad

ad beatã vitã, ita & pro proprio figuratũ. & pro figurato propriũ ſi ad hũc modũ quis repoſuerit. Si verò pacẽ alius, tu otiũ, tu concordiã tu quietẽ, tu tranquillitatem, pari item ratione in figuratis, ſi ille nullum bellum, tu omnia tranquilla, nullam diſſenſionem, omnem concordiam, ſummã animorum conſenſionem omnium, atq; conſpirationem, omnes omnium animos optime conſentientes, vbi nulla belli ſuſpicio ſit, vbi otium perpetuum agatur, ſi dixeris. Si poſtremo is amat dixerit, tu diligit, adamat, colit, facile commutabis. ſi item ille qui amore aliquem proſequatur, tu contrà beneuolentia, qui illi primas in amore deferat, quem in oculis, quem in ſinu ferat, neque ſe vnquam diſcingat, qui in intimis, in are ſuo, in amore habeat, qui eum deniq; pereat, depereat, impotenter amet. Si verò ille ad hunc modum, tu contrà alio, aut ſimilia ſimilibus, aut etiam ex altero genere rectè reſpondebis. Sed nullus finis erit, ſi pergo reliqua, quæ in vniuerſa Latini ſermonis locutione ad hunc modum commutari poſſunt. nulla enim vox tam propria eſt, cui ſoli proprietatis ſuæ ius totum attribuatur, figuratis autẽ longe locupletior eſt varietas. Terentius in proprio ſic commutauit. ait enim.

Atq; itidem fallas vt ab illis fallimur.

Quàm proprie dictũ ſit vides. Iterũ alibi ait.

Hiſcine (amabo) non contra inſidiabere?

Proprio autem figuratum ſubiecit eo in loco, nam cum dixiſſet, id verò ſerio triumpho, paulo poſt ſubdidit.

Quod mihi puto palmarium.

Ita Maro in ipſo Terētio, qui cum dixiſſet.

Non adeo inhumano ingenio ſum, Cherea,

Figurate commutauit hoc modo.

Non obtuſa adeo geſtamus pectora, Pœni.

Hactenus de commutatione tantùm, nunc verò ſimul & de additione, & detractione copioſius agetur, tametſi in hunc quoq; locum omnium orationem concludam neceſſe eſt, ſi, quotquot occurrerint, exēpla conabor adſcribere, nihil enim eſt in omni oratione dictum, quod in horum genere aliquo dictum, aut cōprehenſum non ſit. Vt illud Virgilij.

Nanq; manus inter, mæſtorūq; ora parentū
Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Quam rem eandem magna facta & commutatione, & additis non paucis Maro ipſe perſequitur in ſeptimo, cum ait.

Præterea caſtis adolet dum altaria tedis,
Et iuxta genitorem aſtat Lauinia Virgo,
Viſa (nephas) longis cōprendere crinibus ignē,
Atq; omnē ornatū flāma crepitāte cremari,

Regaléſque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum ſpargere tectis.

Res eadem eſt in portento, locutione autem admodum & diuerſa, & aucta. Variatio in iis eſt. Vt nunc locorum, perſonarum, officij, ac cæterarum rerum varietatē omittam, vt pro lambere flamma comas, dixerit, & longis cōprendere crinibus ignem. Vbi pro lambere cōprēdere, pro comas, crinibus poſitū vides. item pro ecce, quæ particula repentini, ac noui ſemper aliquid afferre ſolet, nefas repoſuerit. ſed multo plura ſunt addita. Vt illa omnia.

Atq; omnē ornatū flāma crepitante cremari,
Regaléſque accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum ſpargere tectis.

Item illud.

Sed vos qui tādē? quibus aut veniſtis ab oris?
Quóve tenetis iter?

Quod idem egit alibi variando, addendo, cum ait.

Et procul è tumulo, iuuenes, quæ cauſa ſubegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis, inquit?
Qui genus? vnde domo? pacem ne huc fertis, an arma?

In quo quoq; exemplo quid commutatum, quid additum ſit facile apparet. Conuiuij hic item apparationē primum paucis perſtrinxit

in tertio Aeneidos, ea autem hæc ſunt.

Tum litore curuo
Extruimúſque toros, dapibúſque epulamur
opimis.

In ſeptimo autem rem eandem pluribus expreſſit, atque ornauit cum variando, tum addendo, cum dixit.

Aeneas, primíque duces, & pulcher Iulus
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ,
Inſtituuntq́ dapes, & adorea liba per herbas.
Subijciunt epulis (ſic Iuppiter ipſe monebat).
Et cereale ſolum pomis agreſtibus augent.

Idē facit in equo Troiano deſcribēdo, cū ait.
Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, ſectáque intexunt abiete coſtas.

Item paulo poſt ſic ait.
Hanc tamē immēſam Calchas attollere molē
Roboribus textis, cœlóque educere iuſſit.

Detractio autem erit, ſi loco exempla commutentur, aut quæ primo dicta ſunt, ſecundo ſi dicātur in loco. Ille autem, quiſquis is fuit, ſiue is etiam Maro nō fuerit, ſe ipſum tribus hiſce coloribus variando, addendo, detrahendo optime commutabat, ſiue cum ſui imaginem ex aqua multis modis, atq; non omnibus inepte exprimebat, ſiue cum idem peruarie effecit in glacie currum ſuſtinēte, ſiue cū multo ſplēdidius verſibus ſuis Irim, quàm ſe ipſa coloribus variauit, faciat, ſiue cum auroræ.

&

& ſolis ortum quaternis verſibus multifariam deſcripſit, ſiue denique cum in ſignis cœleſtibus, aut in Herculis laboribus, aut in cæteris eius generis ſe variando exercebat. quorum omnium verſus eo non adduxi, ne, quod neceſſe erat, longiſsimum facerem. ſatis ſit hoc loco eos indicaſſe. Sed pergo cæteros. Terentius in Eunucho in Chereæ perſona cum amicam è conſpectu imprudens amiſiſſet, in hæc verba grauiter conqueritur.

Vbi quæram, vbi inueſtigem, quem percũcter,
Quam inſiſtam viam incertus ſum.

Quem locum in eadem fabula ſic variauit, paulo quidem preſſius.

Vbi ego ſcelcroſum miſera, atq; impium in- (ueniam,
Aut vbi quæram?

Id vero omnium aptiſsime commutatum, atque variatum eſt, cum ait.

Sine auro tum ornatam, ita vti quæ ornãtur.
Nulla mala re expolitam muliebri, (ſibi,
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Reiectus negligenter.

Quam item pulchritudinem ſic deſcripſit in Phormione, vt niſi addatur, ac varientur pauciſsima quædam, vna eadémque ſit, cum ait,

Virgo pulchra, & quo magis diceres
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem,
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida,

Lachrimæ, veſtitus turpis, vt boni ni vis
In ipſa ineſſet forma, hæc formā extinguerēt.

Item cum ſilentium ab auditoribus orat, inquiens,

Date operam, & cum ſilētio animaduertite.

Puſilla commutatione facta idem orat in Phormionis proœmio, hoc modo.

Date operam adeſte æquo animo per ſilentiū.

In Adelphis autē orbas meminit proximis ſuis nubere legem cogere, id autem hoc modo.

Hic meus amicus illi genere eſt proximus,
Huic leges cogunt nubere hanc.

Hanc eandem legem in Phormione adducit, ſed paulo laxius, vbi ait.

Lex eſt, vt orbæ, qui ſint genere proximi,
His nubant, & illos ducere eadem lex iubet.

Additum eſt, variatum eſt, commutatum eſt, idē tamē eſt vtrunque. In Andria itē virginis egeſtatem, ac viuendi difficultatem his verbis proſequitur.

Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana, ac tela, victum quæritans.

In Adelphis ſenis fratris auaritiā, in Mitionis perſona penè iiſdem verbis expreſſit.

Ille contra hæc omnia,
Ruri agere vitam, ſemper parce, ac duriter ſe habere.

Sed iā ad eos, qui ſoluta ſcribunt oratione, ac ſtatim ad vnum Ciceronem veniamus.

quámq́, hic & aptus & frequens ſit in tota hac commutandi ratione, diligenter videamus.

Continuo autem hic ſe excuſat ad Curionem quod poſt longiſſimum tempus ei gratuletur, cauſam in primis in locorum diſtantiam conferens. eius hæc ſunt verba.

Sera gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nulla negligentia prætermiſſa eſt, longe enim abſum, audio ſero. Hac item ipſa vtitur excuſatione ad Cælium, ſed eam pluribus verbis, atque alio ornatu perſequitur hoc modo. Serius non negligentia mea, ſed ignoratione rerum omnium. In his enim ſum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardiſſime omnia perferuntur. Nolim te poſthac expectare, dum ego, quæ verba commutata ſint, quæ detracta, quæ addita, tibi nominatim oſtendam, res enim per ſe maxime patebit. Crebram item animi ſui cogitationem de re aliqua non ſemel, nec eodem modo, etſi eodem ferè ſemper in loco iſte ipſe protulit. Primum cum ait in proœmio de Inuentione,

Sæpe, & multum hoc mecum cogitaui.

Secundo ad Q. fratrem in proœmio de perfecto oratore dicens.

Cogitanti mihi ſæpenumero, & memoria vetera repetenti.

Tertio

Tertio hanc cogitationis aſſiduam diligentiam repetit his verbis in proœmio ad Brutum. Vtrum difficilius, aut maius eſſet, negare tibi ſæpius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu, multúmque, Brute, dubitaui.

Quarto item in proœmio ſecundi libri de diuinatione ſic inquiens.

Quærenti mihi, multumq́ue, & diu cogitanti.

Quibus omnibus in locis eandem cogitandi diligentiam. ſed non iiſdem verbis Ciceronem ſignificaſſe. planius conſtare non poteſt. primū enim ſæpe, & multum dixit. Secundo autem vna voce duas complectitur, quæ eſt ſæpenumero. Tertio rediens ad eundem numerum aduerbiorum ait, diu, multúmque, poſtremo multúmque & diu dupliciter coniunxit. Illud item ad hunc modum multifariam protulit in libris oratoriis, primum cum ait. Deinde eſſe omnem orationem, vt de infinita rei quæſtione ſine deſignatione perſonarum, & temporum aut de re certis in perſonis, ac temporibus locata. Secundo item in loco ſic. Duo prima genera quæſtionum eſſe, in quibus eloquentia verſatur, vnum infinitum, alterum certum. Tertio item rem eandem alio modo peragit, cum dicit. Duo ſunt, vt initio dixi, quæſtionum genera, quorum alterum finitum temporibus, & perſonis

contro

controuerſiam cauſam appello. alterum infinitum nullis neque perſonis, neque temporibus notatum, propoſitum voco. Poſtremo cum ait. Hæc igitur quæſtio à propriis perſonis, & temporibus ad vniuerſi generis orationem traducta appellatur Theſis. quibus in locis vna tantum de re agi, idque perquam varie neminem arbitror non videre. Illud item in iiſdem libris dicendo variauit ſæpius, id autem hoc modo, In vtraque autem re quicquid in controuerſiam veniat, in eo quæri ſolere, aut factum ne ſit, aut ſi eſt factum, quale ſit, aut quo etiam nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, recte ne factum eſſe videatur.

Quod ipſum ſecundo agit his verbis. Nam quicquid eſt, quod in controuerſia, aut in contentione verſetur, in eo aut ſit ne, aut quid ſit, aut quale ſit quæritur.

Tertio autem ſic, Omnis res, quæ habet in ſe poſitam in dictione, aut diſceptatione aliquam controuerſiam, aut facti, aut nominis, aut actionis continet quæſtionem.

Ita in libris de officiis bis eandem exequitur ſententiam, neq; minus ſplendide, quam etiam varie, ſic enim ait.

Idq; ſuis commodis non honeſtate metitur, hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, fit, vt neque

amicitiam

amicitiam colere poſsit, nec iuſtitiam. nec liberalitatem. Item autem dixit. Qui autem omnia metiuntur emolumentis, & commodis, neque ea volunt praeponderari honeſtate, hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod vtile putant, comparare, boni viri non ſolent, re hic eadem vbique idem eſt, dictione autem omnino alius.

Ter item illud ad hanc commutandi rationem, bis ad Trebatium, ſemel autem ad Curionem quàm aptiſsime variauit: Ita enim ait ad Trebatium: Ego enim deſiderium tui ſpe tuorum commodorum conſolabor, ſin iſta ſunt inaniora, recipe te ad nos. Item ad eundem. Sic enim tibi perſuadeas velim, vnũ mihi eſſe ſolatium, quare facilius poſsim pati te eſſe ſine nobis. ſi tibi id eſſe emolumento ſentiam. ſin autem id non eſt, nihil duobus nobis eſt ſtultius, me, qui te non Romam attraham, te, qui non huc aduoles.

Eadem eſt ſententia, multa tamen commutantur, complura etiam adduntur, ad pleniorem membri abſolutionem. Sed neque tertio minus varie hoc ipſum agit ad Curionem ſic inquiens. Ego te abfuiſſe tandiu à nobis & doleo, quod carui fructu iucundiſsimae conſuetudinis tuae, & laetor, quòd abſens omnia cum maxima dignitate tua es conſecutus, quódque in omnibus tuis rebus meis

optatis fortuna reſponderit. Qui tertius locus non tam re idem eſt cum ſuperioribus, quàm oratione, eáque perſplendida omnino alius, Illo vero nihil venuſtius, nihil magis commode eſt dictum. Cum iſte ipſe bis reddenda pecunia, & referenda gratia perurbane iocatur, dicens. Quanquam diſsimilis eſt pecuniæ debitio, & gratia, nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id, quod reddit, qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem & qui refert, habet, & qui habet in eo ipſo, quod habet, refert. Item autem cum agit de officiis hoc ipſum repetit hoc modo: commode autem quicunque dixit, Pecuniam qui habeat non reddidiſſe, & qui reddiderit non habere, gratiam autem & qui reddiderit habere, & qui habeat retuliſſe. Ecquid aptius? quid coloratius? alio, itémque alio modo potuit dici? non ita ver floribus prata variat eadem, vt hic rem eandem oratione, atque verbis varie pertractans illuſtrat. In conſolando autem neque id ſemel vſurpat, quod eſt ad Atticum. Sed ad hæc omnia vna conſolatio eſt, quod ea conditione nati ſumus, vt nihil quod homini accidere poſsit recuſare debeamus. Item ad Titium agit, ſed multo id copioſius, multóque magis ſplendide, cum ait. Eſt autem conſolatio peruulgata quidem illa maxime, quam

ſemper

ſemper in ore, atque in animo habere debemus, homines nos vt eſſe meminerimus ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra. Satis hactenus fortaſſe factum eſſe potuit, & rationi, quæ ad commutandam orationem ex ipſa imitandi facultate conſtituta eſt. Non ab re tamen ſum viſus, ſi id quoque ex iis, qui noſtræ eſſent ætatis, longe etiam planius comprobaſſem, ſi quidem recentiorum exemplis, quàm etiam maiorum quodammodo facilius hoc, quo de agimus, ſentiri, ac percipi ſolet. Ac quoniam ſi ex omnibus ſcriptoribus, qui planè latine ſcribunt, ea petere voluiſſem, periculum erat, ſi pauca ex ſingulis citaſſem exempla, ne opus nimis fortaſſe mendicatum videretur, ſin quæ poſſem omnia colligerem, ne ingenti volumini nullus finis eſſet futurus, vnum mihi Chriſtophorum Longolium delegi, & quoniam is iam pridem deceſſit, vt in eo nullam illi cæterorum inuidiam concitare, neque id ego vlla ambitione adductus facere accuſari poſſim, & quoniam is (mea quidem ſententia) cum hanc conuertendi rationem, tum totam imitandi facultatem optime conſecutus eſt. Leguntur huius defenſiones duæ in ſuos aduerſarios, in Luteranos item oratio vna, ſumma omnes eloquentia peroratæ.

Libri

Libri item quatuor epiſtolarum ad familiares, atque amicos latiniſsime conſcripti. tametſi nondum is erat omnino Longolius, cum deceßit, quem nobis eius ſcripta, vel breui fore pollicebantur. in quibus tamen omnibus ita Ciceronis locutio, atque dicendi formæ omnes æque apparent atque eluceſcunt, vt qui, quomodo Cicero loquitur, vnus tandem extitiſſe videatur Longolius. ſed quoniã ſecus quibuſdam videri ſentio, hanc meam paucis de tanto viro opinionẽ vt probem, ſimul autem & eorum refellam, atque confutem, ad hunc locum pertinere videtur. Cõtinuo igitur iſti id huic crimini dant, quod ex Cicerone tam palam Centones conſuere, furémque manifeſtum agere non dubitarit. Qui vero cum eo lenius agunt, eum Ciceronis corniculam appellant, vt omnino in ſua elaborata oratione, ac illo dictionis genere perpurgato furti notam, ac mali cõfarcinatoris nomen vitare non potuerit. Scilicet equidem hãc arbitror fuiſſe maximã cauſam, quamobrem hunc primũ ex Romana ciuitate deturbare conati ſunt eius aduerſarij, nunc vero iſti quoque ex Latio deijcere tam inique cõtendunt quod tam male de latino ſermone ſit meritus, qui Ciceronem etiam (ſi dijs placet) in Cẽtones putidiſsime conſuere nihil ſit veritus, quod hunc vnũ tam fœde coinquinarit.

narit. atque tam palam totum cōpilarit. longe in hac parte aequiores habuit aduerſarios Vrbanos Longolius, à quibus nullū Verbum de Violata latina oratione, nulla furti, nulla huiuſmodi Centonū facta eſt ſignificatio. at quàm recte noui iſti latini accuſatores ſuis ineptijs latinū hominē Vrgeant, Videamus, ac primū, quod ad Cētones attinet, cupio equidē iſti mihi tandem oſtendant, qui ſint in Longolio iſti tam putidi Centones, nam ego illos ex me nondum potui deprehendere, nam ſi Centones conſuere, eſt dedita opera, atque de induſtria pars integra cum parti integra aſſuitur, Vbi ne Verbum quidem noſtrū interponitur, ſed ex alieno totum opus conficitur, Vbi ad eum modū ridicule orationem ſuam conglutinet Longolius, numquā equidē potui deprehēdere. expecto autē Verſum Vnum iſti mihi tandem pronuncient, eo modū ſcriptū. ad id parum a Cētonibus differt, quod componit Longolius. ecquid autem id eſt? neque enim ſatis intelligo, cum en Ciceronis multis locis Vnum ſibi cōficit, atq; confabricatur locū. cupio tādem iſtos locos noſcere. Vel caſu eius Volumen aperias, Vbique in eos legendo incideris. aperui ſapius, legi, perlegi, nuſquam iſtam ridiculam, atque inſulſam conglutinationem offendi. proferte queſo Vos tādem, quod cauſam Veſtram probet, id autem tam

cito

*cito Cicero ad Atticum ait. Crebras expecta-
tiones nobis tui commoues, eſt ita. Item ad
Culeolum. Tum Pompeius, quotieſcunque me
videt, videt autem ſæpiſsime, &c. Quoties
filiū tuum video, video autem fere quotidie,
recte ſanè. Item alibi dixit, tertio quoque
verbo, & id quidē venuſte, & pereleganter,
necnon animi cauſa ſemel, neque id quidem
impolite. Quid tum poſtea? Longolius autem
in vnum membrum hæc omnia, vel in Cen-
tonem potius vnum contexuit ad ſuum Gri-
maldum, cum ait, Crebras aduentus tui ex-
pectationes Lazarus Bonamicus nobis com-
mouit, qui te quoties iſtinc rediiſſet (redibat
autem ſeptimo ferè quoque die) hac animi
cauſa propediem exiturum nuntiabat. quid
autem hoc eſt, niſi eſt Centones conſuere? ex
Cicerone Ciceronem conſtruere? O craſſam
hominum ſtultitiam (non poſſum hoc loco non
exclamare) qui in quo tota eſt & loquendi,
& imitandi ratio, & via, id eſſe Centones
facere, tam inepte inſimulent, vt nihil mi-
rum ſit ſi hoſce ego Centones nunquam ani-
maduerterim, qui imitandi virtutem omnē
in eo ſcribendi genere omnino mihi conſti-
tuerem. Quæro ego nunc de vobis, optimi la-
tini, tametſi me veſtrûm magnopere pudet,
qui tam ſtulte deſipiatis, vt in ſole etiam
minime videatis, quæro inquam de vobis,*

 ſi loqui

ſi loqui ad hunc modum, Centones eſt cõſuere, non continuo ſequetur, vt omnes homines, poſt primos quoſdam qui loquantur, in ſermone vitioſi ſint? ac quicquid loquãtur, Centones ipſos loquantur? quando vel tria verba ſimul dicendo coniungi non poſſunt, quæ iſto modo ſuopte vſu, ac magiſtra ipſa natura prius ab alijs cõiuncta non fuerint quamplurimis? Si hoc inquã ita eſt quod vos tam improbe contenditis, aut omnes in errore natura ipſa verſamur loquendo, aut ea recta eſt loquendi ratio & propria. dicere autem naturam, & vſum bonis omnibus probatiſſimum in errorem nos trahere, naturæ eſt (more gigantum) bellum indicere. ſequitur ergo, vt qui eo modo loquatur, verã loquendi viam teneat, & rationem, quaſi vero iſta quoque ratione veſtra Cicero poſt treis illos de perfecto oratore libros, quicquid iterum de arte ſcripſerit, non Centonum in morem ſcripſerit, qui in re eadem linguæ, ijſdem dicendi figuris, ac penè ijſdem etiam verbis vſus ſit: quod quàm dicendum ſit, ipſi videbitis. equidem ſcriptorem aurificem imitari, mihi effingo, qui à magiſtro ſuo ad torquem componendum in capſula cum ſingulos annulos, tum ternos, aut quaternos prius habeat optime conſtitutos, qui ita ternis ſingulos, quàm etiã ternos, atq; ſingulis ternos, quàm

etiam ſingulos, vt quenque ſors in manus obtulerit, ad torquem ſuum componendum nullo diſcrimine cõiungat. Sic faciet ſcriptor, qui ex Cicerone magiſtro aut ſingula verba ſingulis verbis, aut etiam locutiones integras connectẽs, ita locutionibus integris locutiones item integras, aut etiam ſingula verba conglutinans apte orationem ſuam componet, atque cõſtituet. Quod vero ad Ciceronis corniculam attinet, ego cenſeo canorum illum cygnum ſi appellent, iſtos multo rectius facturos. Concinit enim ad eius locutionis harmoniam ſuauiſsime Longolius, ac componit aptiſsime, nec denique plumã vnam ex eo ſeſe induit, aut quicquam furatus eſt, niſi quod ſit omnium commune, ſi id quis, cum opus eſt, in ſuũ vſum conuerterit, id ei furti loco recte aſcribi poſsit: quis enim neſcit linguã nihilo magis Ciceroni propriam, quàm Longolio, quam nobis, quàm qui futuri vltimi ſunt homines, eſſe poſſe? Sed qui hoc in Longolio tam aperte ſentiã, in alijs autem non item, nõ fortaſſe erit ab re ſi dixero, certe id quàm pauciſsimis explicabo, cum iam tot dicendi genera ſint, quot penè ſunt ſcriptores, ſi qui ex omnibus promiſcue ſuam orationem componat, atque commiſceat, ac nullo delectu habito ad omnium conſuetudinem verba vſurpet, atque conuoluat, huius verbum

nullum agnoſcetur alienum, ſuusq; ille ſemper videbitur. Si vero vnum ex omnibus ſibi delegerit, ad cuius orationis genus ipſe ſuum quoque inſtituat, ac id aſſequatur, continuo ſentietur in alieno ore quaſi aliena loqui lingua, eoq; etiam magis ſentietur, quo id is verius facere didicerit, quemadmodum in pictoribus, ac muſicis, quorũ illi quoad coloribus ſuis ſuo vtuntur arbitratu, ac lineas ſuas circunducũt in proprias formas, hi quãdiu ad numeros ſuos concinunt, nullam in illis cuiuſquam imaginẽ deprehenderis, nullum in his numerũ vnquam ſenties alienũ. ſi vero illi ad Titiani, hi ad Adriani imitationem ſeſe addixerint, ac vtrique ſuum conatum non eluſerint, cõtinuo in ijs Titianus pingere, in his Adrianus cãcinere videbitur. Idem in ſcriptoribus euenire conſtat: itaque etiam quia Longolius ab vno Cicerone loqui didicit, ac id egregie eſt conſecutus, neque omnia cõmiſcuit, ſed in vno eo ſe ſuauiter condiuit, facile in eo Cicero quaſi loqui ſentitur, quem iſti quoque multo rectius facerent, ſi ia dicendo eundem magiſtrum ſequerentur, ac ad Longolij incitationem huiuſmodi centones conſuere ſtudioſius diſcerent, ac Ciceronis corniculam agere, ſuos autem iſtos neſcio quos de plebe infima auctores prorſus dediſcerent. Ecquid autem, ſi iſtos etiam

conuincã non ſolum in hoc ipſo exemplo quicquam aut verborum, aut ſentẽtiarum alienarum non eſſe conglutinatum, ſed id etiam ad veram imitandi rationem rectius dici non potuiſſe? nam vbi Cicero dixit crebras tui commoues expectationes, Longolius imitando commutauit à perſona ad perſonam, dicens loco tu, Lazarus Bonamicus, loco autem tui, quaſi rem explicans ipſam, aduentum tuum: vt tempus etiam in verbo commutatũ omittam. neq; in eo, quod ſequitur, membro minus eſt inepte imitatus, nam vbi ille, quoties filiũ tuum video, video autẽ ferè quotidie, Longolius autem quotieſcunque iſtinc rediiſſet, redibat autem ſeptimo quoque die, vt per verborum mutationem totius membri imaginem in ſuum membrum commodiſsime tranſmutarit: vbi enim ille filium hic iſtinc, vbi ille quoties, hic quotieſcunque, vbi ille videbat, hic redibat, vbi denique ille ferè quotidie, hic ſeptimo quoque die repoſuit, in qua ſcribendi ratione perpetuo Longolium verſatum eſſe paulo infra multis eius exemplis facile comprobabimus. At ne ſit centones componere ſibi ex Ciceronis integris locutionibus, vel integras epiſtolas conſcribere, ne ſit hoc ipſum e alienis plumis ſibi veſtem conficere, quin etiam mutuari ſit, atq; pro ſuo liberius vti, ac poſtremo

eo etiam modo recte imitandi rationem & ipſe ſeruet, & cæteris præmonſtret. Quid autem cum eandem ſententiam ab ipſo Cicerone integram ſumit, ac paucis quibuſdam (vt melius facere didicit) commutatis verbis, ne furtum extet, eam ſibi fucare conatur? num id quoque erit optimi imitatoris? atq; eius, qui velit Ciceronis veſtigijs inſiſtere? Tamen à malitia non diſceditis, quaſi vero non probatum ſit, iam pridem à nobis nihil dici poſſe, quod non ſæpius ſit dictum alias prius, ac hominum ſenſa quaſi rotam eſſe, quæ perpetuo per verba circumuehantur. Virtutum omnium eædem ſunt laudes hoc tempore, eruntque reliquis in annos, quas maiores noſtri reliquerunt. num propterea ſi mihi vir iuſtus laudãdus acciderit, huic meo laudes eas impartire nequiuero, quia in Fabricium alius eas prius cõtulerit omnes? de quo genere toto, quoniam a nobis abunde ſupra eſt dictum, non faciam, vt hoc loco pluribus agam, modo qui id agit, ita ſuis verbis circumueſtiat, atque amplectatur, vt ſi non in certorum liberorum, certe in adoptionis ius veniſſe videatur. Verum hoc etiam ita ſit, vt cuique liceat aliena etiam verbis ſuis ſua quodammodo efficere, atque adoptare. quid autem cum inſcienter rem eandẽ ac totidem verbis agit cum Cicerone? nam hoc quoque

recte

recte ab eo factum eſſe audebis cõuincere? Vt illud, Si vales bene eſt ego quo. val. Itẽ illud. te etiam, atque etiam vehementer rogo, atq; oro Item. Quare mihi gratiſſimũ feceris, ſi in ea re hominẽ ita commodaris, vt intelligat hanc commẽdationẽ ſibi maximo vſui fuiſſe: & multa eius generis alia. Ridiculũ, quaſi vero hoc à Cicerone ipſo non fiat, qui rem eandem ſæpius iiſdem verbis vſurpare non dubitat. neque Virgilius crebro verſum eundem vel interdum duos, Homerus verò longe plures recte repetat, vt cum hic accuſetis, Virgilium Homerum, Ciceronem etiam accuſetis. ſed quoniam ad ſanitatem omnino (ſi fieri poteſt) reuocandi eſtis, planius vobis iterum & ſæpius docebo. Scitote igitur quædam ſenſa, præter illa etiã, de quibus initio huiuſce tertij libri agebamus, ſic eſſe omnium communia ſuaq; ſuis certis verbis attributa, vt nulla religio cuiquam eſſe debeat quominus ea, quemadmodum ſunt prius ab alio vſurpata, & ipſe vel ad verbum vſurpet, atq; in vſum ſuum conuertat, vt hæc ipſa, quæ vos inaniſſime obijcitis. quis enim quæſo ea aliter proferre etiam de induſtria, quàm quomodo hic fecit, laboraret? Sed fac Longolius commutarit aliqua, atque id ſtatim quod tertio in loco poſuiſtis, quare mihi gratiſſimum feceris, fecerit ita, id erit mihi vehementer

gratum, vel ſic per mihi per inquam gratum fecerit, dixerit etiã, id erit mihi etiam, atque etiam vehementer gratũ, vel hoc modo, Scito id omniũ mihi fore gratiſſimum: videtis vt in Ciceronẽ ſemper incurrat neceſſe ſit. idem in poſtremo faciat membro. Si, vbi ait, ſibi maximo vſui fuiſſe, dixiſſet potius, emolumento, aut vtilitati, aut cõmodo, aut vſui, & cõmodo, pari ratione Ciceronis omnia agnoſcerentur. quid igitur fuit faciendũ? id quod hic fecit, & boni factitãt reliqui. Atqui Lõgoliũ non pauca in ſuis ſcriptis ſibi confixiſſe, ac vt eo modo, quo facit, loqueretur, & argumenta, & locutionẽ mendicaſſe, ne tu quidem negabis. Sanè quidem vt horum alterũ concedam facile impetrari poteſt, Longolium nonnulla epiſtolarum argumenta, quibus ad eum modum dictionem ſuam exerceret, percommode ſibi effinxiſſe. ſed quid hoc eſt? num poſtremo inſanitis? primum enim hoc nihil ad eam rem, qua de agitur, facit omnina, deinde ſi id maxime faciat, quid huic vitio datis, quod bonos mores factitaſſe permiſtis? atque adeo ipſi fortaſſe factitatis aliquãdo? Quid enim aliud in ſcholis tota illa puerilis eſt exercitatio? Quid item declamationes? Quid deniq; res poëtica? nónne penè tota eſt efficta atque ſimulata? Alterum autem quod aque locutionem cum argumentis hunc mendicaſſe

dicaſſe fateri me Vultis fruſtra agitis: tantũ enim abeſt, Vt Vobis in tantum hominẽ ſubſcribam, Vt magis ab eo eſſe non poſsim, ſiquidem Video tam belle, tamq; apte inter ſe eius ſcripta omnia conſentire, ita & ſuo filo conſtare, Vt nihil elaborati, aut ſtudioſe cõquiſiti in ijs ſentiatur. Equidem cum huiuſmodi Ciceronis Verborum delectorũ, ac eius ipſius caſtiſsimæ locutionis ſectatoribus improbari malim, quàm cum quouis Veſtrum in cœlum ferri, ſed iam quàm hic noſter apte, quàm decenter commutando in Ciceronis orationem ſeſe inſinuet, Videamus. Cicero ſic ait ad Plancum. Cum ipſum Furnium per ſe Vidi libentiſsime, tum hoc libentius, quòd illum audiens te Videbar audire. Longolius autem ſic commutauit. Cum ipſius Antonij Francini aduentus mihi per ſe iucundiſsimus fuit, tum hoc iucundior, quòd ex multo, & accurato eius ſermone facile cognoui eam mihi adhuc abs te præſtari memoriã, atq; beneuolentiã, quæ ſit ab homine amiciſsimo, & lõgo Vſu cõiunctiſsimo expectanda. Vides Vt concinne à perſona ad perſonã tranſiuerit Longolius imitando, item à perſona ad rem, item ab effectu ad affectum nihil minus belle fecerit commutationem: at ſic decenter, ſic prudenter cauſam iucunditatis ſuæ aliam ſubiunxit, Vt nihil decentius, nihil prudentius.

Quid

Quid autem illa, quæ eſt ex Cic. ad Titium? ita inquit Cicero. Eſt autem conſolatio peruulgata quidem illa, quam ſemper in ore, atque in animo habere debemus, homines nos vt eſſe meminerimus ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra, neque eſſe recuſandum, quo minus ea, qua nati ſumus, conditione viuamus, neve tam grauiter eos caſus feramus, quos nullo conſilio vitare poſſumus. Quam totam partem ſic in ſuum vſum apiſſime commutauit Longolius, dicens. Verùm cum ea lege, atque conditione nati ſimus vt nobis hæc, atque alia iſtius modi innumerabilia, velimus, nolimus, ſubeunda ſint, meminerimus, nos eſſe homines, feramuſque ſi non liberter, at toleranter certe, quod nullo conſilio neque vitare, neque mutare poſſumus.

Neque illud mediusfidius inſuauius, ac minus commutauit ornatè. Cicero ait de amicitia. Tu autem, Fanni, quòd mihi tantùm tribui dicis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amicè. Longolius autem ſic, ac penè cum Cicerone ipſo rem eandem vſurpauit, qua quidem inquit, Tantùm mihi tribuis, quantum equidem nec ipſe agnoſco, nec ſi prudentiuſculus ſim, optare audeam. non confero verba, mutationem, additionem nihil recenſeo, res ipſa per ſe facile ſe totam oſtendit. Cicero

item

item ait ad Lentulum. Te ipſum (inquit) cupio, nihil opportunius potuit accidere, niſi cum M. fratre diligenter egeris dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpopondiſti. Longolius autem locũ eum mutatus ſic ait, Nam quod in epiſtola tua ſcriptum erat, amicum illum noſtrum tibi litem intendere de eo, quod tu illi de me recepiſſes, nec ego præſtitiſſem. Item Cicero amoris erga ſe certiſſimam ſignificationem his verbis expreſſit aliquando. Omnis amor tuus ex omnibus partibus ſe oſtendit in his literis, quas abs te proxime accepi. Longolius autem hoc ipſum ſic effecit. Amoris erga me tui veſtigia nullis, opinor, literis vel plura, vel illuſtriora imprimi potuerũt, quàm ijs quas abs te proxime accepi. Propriè Cicero quod voluit, eſt executus. Longolio autem tranſlatione locum illuſtrare magis placuit, idq; ut mihi quidem videtur, haud effecit obſcure. Queritur Cicero ſemel cum Cælio, atque iterum cum Silio, ſibi verba deeſſe ad ſcribendum: auget utrunque locum Longolius ſolo in loco ad Laur. Berthulinum. Cicero igitur ſic. Putares ne unquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent, neque ſolum iſta veſtra oratoria, ſed hæc etiam levia noſtratia? deſunt autem propter hanc cauſam, quod mirifice ſum ſollicitus, quid nam de provincijs decernatur. hæc ad Cælium. ad Silium

autem

autem ſic. Non putaui fieri poſſe, vt mihi verba deeſſent, ſed tamen in C. Lenio cõmendando deſunt. Cauſam nullam hic affert. Longolius autem vtrunq; locum ſic æmulatus eſt. Nunquam fore putaui, vt aut res, de qua ad te ſcriberem, aut etiam verba, quibus tecum agerem, mihi deeſſent, præſertim ſi tam longo interuallo literas darem. Sed planè nunc deſunt, nec enim quod ſcribã nec quomodo ſcribam ſatis occurrit. Nolim inſolens videri: ſi his in locis Ciceronis auctoritas auferatur, ac vtriuſq; tantùm loci dignitas æque conferatur, non fortaſſe longe inferior videbitur Longolius. Quid enim quæſo huic mẽbro ab omnibus ſuis partibus deeſſe poteſt? Omitto verbum verbo, rem rei conferre in re tam manifeſta. id audeo dicere, Longolium grauius cõqueri, qui non ſolùm verba, quibus agat, ſed etiam rem, de qua agat ſibi deeſſe conqueritur. Cauſam autem quam veram afferat, quàm alienam à Ciceronis cauſa ipſe vides, cum inquiens præſertim ſi tam longo interuallo literas darem. non faciam in his commutationibus longius, poſſem enim totum Longolium in hanc partem deſcribere ſi omnes eius commutationes perſequi velim, iamq; ad ea huius ipſius exẽpla, quæ interioris ſunt imitationis, deuenio. Cicero ſcribẽs ad Memmiũ ait. Etſi non ſatis mihi conſtiterat, cũ aliqua

ne animi mei moleſtia, an potius libenter te Athenis viſurus eſſem, quòd iniuria, quam accepiſti, dolore me afficeret, ſapientia tua, qua fers iniuriam, lætitia, tamen te vidiſſe mallem. nam quod eſt modeſtia, nō ſanè multo lenius eſt, cum te non video: quod eſſe potuit voluptatis, certe ſi vidiſſem te plus fuiſſet. Longolius autem ſic locum eſt imitatus.

Nondum plane conſtitutum habeo, plus ne voluptatis, an doloris ex tuis literis traxerim. voluptatis, quòd incredibilem tuam erga me beneuolentiam præ ſe ferrent, doloris, quòd me humanitate abs te victum, nec mihi iam integrum eſſe videam. ea aduerſus te vſurpare officia, quæ tu amice quidem, ſed meo magno pudore præripuiſſes. Ecquid hoc loco deſideratur ad veram imitationem? eadem eſt propoſitionis ratio, vna tota eſt rei pertractatio, verba non eadem, ſed idem magna ex parte ſignificantia. Eſt item hoc Ciceronis ad Petum. Dupliciter delectatus ſum tuis literis, & quòd ipſe riſi, & quòd te intellexi poſſe ridere. hanc quoque partem Longolius ſic eſt imitatus. Varie ſum hodie tuis literis affectus: quæ enim officia tua in me commemorabas, fuerunt mihi non inſuaues: quæ verò ad te eſſe allatum ſignificabas. mihi epiſtolam neſcio quam tuam nō ſatis probari, haud mediocrem moleſtiam

mihi

mihi attulerunt. Dupliciter delectatus eſt Cicero ex amici literis, Longolius partim lætatus partim dolore eſt affectus. cauſam vterque affert ſuam, ſed quod Cicero paucis abſoluit, Longolius fortaſſe cauſæ ſuæ deſeruiens, ſuam pluribus pertractauit. Queritur item Cicero ſe non habere cui tuto literas ſuas committat, cum ait ad Lentulum. Quod ſi rarius fiet, quàm tu expectabis, id erit cauſæ, quòd non eius generis meæ literæ ſunt, vt eas audeam temere committere. A literis autē ad rem ipſam imitando trāſtulit Longolius cum ait. Quod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidem cauſa fuit, quòd ſcribendi argumento deſtituerer, ſed quia eius erāt generis res, quæ literis rectè committi non poſſent. tametſi hoc ipſum alias fecit Cicero ad Atticum dicens. Præterea ſunt quædam domeſtica, quæ literis non cōmittam. Hic item ad Brutum ſic ait. Non ſoleo mi Brute (quod tibi notum eſſe arbitror) temere affirmare de altero, eſt enim periculoſum propter hominū voluntates multiplicesq; naturas: Clodij animum perſpectum habeo, cognitum, iudicatum & quæ ſequuntur. Hanc item partem Longolius tam belle eſt imitatus, quàm quod belliſsime, ſic enim ait. Non ſoleo temere quicquam de altero affirmare, præſertim adoleſcente, qui qualis futurus ſit, præſtari non

poteſt.

poteſt, ſed ſi quo tamen ſum in dignoſcendis hominibus, deligendisq́ amicis iudicio, ſpondeo vobis annum item vnum additum patris deſiderio, filij ſtudio, alteri multorum annorum lætitiam, alteri ſempiternam laudem eſſe allaturum. Dij boni, quæ apes ex diuerſis floribus mel ſuum conficit aut ſuauius, aut etiam liquidius, quàm ex multis Ciceronis particulis orationem ſuam componit, atque condit Longolius? tota eſt periodus (vt vides) ex Ciceronis membris conglutinata, ſed ita tamen, vt Longolianum ſit corpus aptiſſime conformatum. Quod verò ad imitationem vna, atque eadem vtriuſque eſt propoſitio, ratio penè par, dictio certe latiniſſima. Cicero enim id periculi in omnibus eſſe dicebat, Longolius id ipſum ad ſpeciem tranſtulit à genere. concluſio tota imitationis eſt, ille ſe Clodij animum perſpectum, maximeq́ cognitum habere affirmat, hic autem ſe paulo dilatans, amplius pollicetur, ſi quod rogat, impetret, fore ſcilicet, vt inde pater magnam voluptatem, filius etiam vt ſempiternam laudem conſequatur. Hoc item Ciceronis membrum eſt ad Memmium. Nec dubitat, quin ego à te nutu hæc conſequi poſſim, ita etiam ſi ædificaturus eſſes. nunc verò ſi audierit te ædificationem depoſuiſſe, neque tamen me à te impetraſſe, non te in me

 illibera-

illiberalem, ſed me in ſe negligentiorem putabit. Longolius autem, cum hoc ipſum ei vſu veniret, ſua oratione ſic ſuum efficit. Neque verò, quantum mea cauſa velis, Villanouanus ipſe dubitat, vt ſi iam expectatione ſua fruſtretur, non te mihi, ſed me ſibi defuiſſe iudicaturus ſit. Par, atque eadem argumentandi ratio eſt; ſed omnino Ciceronis pertractatio ſplendidior eſt, atque vehementior: non ea tamen eſt Longolij ita frigida, itaq; manca, quæ ſi ſola legatur, non cumulate ſatisfaciat, ſi verò etiam cum Cicerone, quæ prorſus contemnatur. Sed partes conferamus vtriuſque: ſic igitur Cicero: Nec dubitat quin ego à te nutu hoc conſequi poſſim, ita etiam ſi edificaturus eſſes: copioſe, ac vehementer dixit: paulo preſſius, fortaſſe etiam remiſſius, hoc modo dixit Longolius. Neque verò quantum mea cauſa velis, Villanouanus ipſe dubitat: vt quatuor ijs verbis quantum mea cauſa velis, vt melius potuit Longolius id Ciceronis, quin ego à te nutu hoc conſequi poſſem, ita etiam ſi ædificaturus eſſes, ſuum efficerit. magis expreſſa ſunt in Cicerone, vt dicebam, in nutu, in eo etiamſi ædificaturus eſſes. quibus nihil maius, nihil grauius dici poſſet, neque tamen, quantum mea cauſa velis, non magnum eſt, non graue. ſequitur vtriuſque concluſio. Ciceronis ea eſt.

eſt; Nunc verò ſi audierit te ædificationem depoſuiſſe, neque tamen me à te impetraſſe, non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentiorem putabit. Longolij autem hæc eſt. Vt ſi iam expectatione ſua fruſtretur, non te mihi, ſed me ſibi defuiſſe indicaturus ſit. omnino Cicero ſui eſt ſimillimus, amplus, copioſus, ſplendidus. Longolius autem paulo preſſior, ſed qui tamen conſtet imitando: vides enim hunc, quod Cicero dixit ampliſſime, Nunc verò ſi audierit te ædificationem depoſuiſſe, neque tamen me à te impetraſſe, & cætera. ſatis preſſe his verbis comprehendiſſe. vt ſi iam expectatione ſua fruſtretur. quin etiam (tametſi nimis fortaſſè videbitur minutum) vbi Cicero cœpit à tribus particulis, nunc ſi, verò: ſic hic à, totidem, vt, ſi, iam, eum imitatus eſſe videtur. Poſtremo concludit Cicero ſic, totam accuſationem in ſe deriuans, non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentiorem putabit. Orationis venuſtatem, quæ ſit in pronominibus. te, me, ſe, ſuo quoque nomini adiuncto, nemo non ſentit: id, quod non omiſit Longolius, qui eandem orationis venuſtatem in iiſdem pronominibus ſic perſequitur, nam te mihi, ſed me ſibi defuiſſe indicaturus ſit,

variauit dicendi modum, dicens, mihi, ſibi, potius, quàm in me, in ſe, ſed id neque fecit inepte, neque ſine aurium aliqua ſuauitate. Vbi autem Cicero illiberalitatem Memmij excuſat, ſuæ verò diligentiæ metuit, Longolius vnico id verbo, defuiſſe, complexus eſt. Ecquid autem exiſtimas, cum id membrum, ac quoties ſcriberet Longolius, illam eam ſemper adhibuiſſe diligentiam, ad eum modum orationem ſuam, quem tu ſignificas, eloquendam? nam ſi ita eſt, malim equidem vel infantiſſimus eſſe, quàm eo modo vel Ciceronem ipſum ſcribendo ſuperare, nam res eſt non modo infiniti negotij, ſed ſummæ etiam deſperationis. Non equidem id dico, Alfonſe Princeps, eã tamen Longolium ad literam obſeruaſſe, cum ſcriberet, quæ nos ad Ciceronis rationem ſcripta eſſe facile comprobamus, quod quidem eſſet vel etiã quàm ipſe reris, multo peius ac odioſius, ſed id aſſeueranter affirmo, tum ſcriptionem ex eo vſu, quem ſibi contraxerat ex aſſidua Ciceronis lectione, illi ad eum modum in os, in calamum veniſſe facillime, quemadmodum & tibi, & omnibus cum ſcribimus venire videmus, quibus ad quaſque voces noſtræ literas ſingulas ex vniuerſo literarum ordine perquirendas nullus eſt labor, nullum eſt ſtudium, quæ ſua ſponte ex vſu, quem in eis legendo,

legendo, ac ſcribendo confecimus, quaſi in poſtremo calamo conſtituta ſint, nobis præſto adſunt, atque cadunt cum atramento citiſſimè. Neque item ei, qui in fidibus Vſum habeat fidelem, ſemper is neruus, qui ad numerum reſpondeat, digito prius erit tentandus, atque explorandus, cum canat, ſed is ex Vetere conſuetudine illi quaſi in digitos incurrere Videtur, quin etiam aut oculis aliò conuerſis, aut etiam clauſis id continuare non dubitabit. At quid mirum, ſi ex Vniuerſo Cicerone Longolius pauca quædam membra ſibi delegit, quæ in ſuam orationem cum mutando, tum imitando commodiſsime transferret? ita enim illi accidit in iſto ſuo artificio, quemadmodum pictori, qui artem ſuam in exprimendis hominibus exercet, qui in ijs id egregie præſtiterit, qui ſeparatim aliquid adiumenti ad os ſuum facilius exprimendum habebunt, Vt qui næuo aliquo, qui naſo, qui ore, qui oculo, aut Vitiato, aut etiam Venuſto notati ſint, in cæteris autem, qui æquabili natura ſint facti, non ita. At totus legatur Longolius, caſu eius Volumen aperiatur, niſi totus eſt ſui ſimillimus in hac ſcribendi ratione, hoc eſt, qui à Ciceronis imitatione nuſquam diſceſſit, qui penè Verbum nullum protulit, nullum membrum aſtruxit, quod aut à Cice-

rone non ſumpſerit, aut ad eius ſtructuram non belliſſime conſtruxerit, nihil cauſæ dico, quin omnium ineptiſſimus ſim. Age vero ſumatur ex Longolio, quam caſus obtulerit, ex eius voluminibus epiſtola: deligatur autem ex vniuerſo Eraſmo (quando is Ciceronianum ſuum in Longolij calumniam confabricauit) quæ optime ſcripta ſit, quæ germane Germana non ſit, conferatur, latini adhibeantur diſceptatores, peream ego male, ni Romæ Longolius & natus eſſe, & altus: ille autem nunquam latinum hominem legiſſe iudicabitur, neque id eo nomine, quòd ille inſulſe irridere ſolet, quod & P. C. & S. P. Q. R. crebro vſurpet, vt Romane loqui videatur, ſed quòd iis vocibus, earúmque ſtructura, atque compoſitione in ſua oratione vere vtitur Romane. Sed iam vela contrahamus, ac tandem ad locutionem noſtram redeamus. quoniam igitur tanta locutionis vis eſt, & auctoritas, vt quod alienum eſt, noſtrum id maxime efficiat, huic vni in primis operam dandam eſſe præcipio, atque ſic in ea verſandum, vt nihil illa promptius, nihil magis præſto nobis eſſe poſſit. Ac quoniam in ea locutione hoc tanti ſtudij ponendum eſt, quæ non ſolum ſua certa ratione conſtet, ſed quæ vna excellat, quæq́; in oratione principatum obtineat, quæ ſi propria, nitida, &

pura ſit : ſi tranſlata, orationem maxime illuſtret, impleat: quæq; ample, quæ cumulate ſui nobis copiam faciat, cui denique nihil deſit ad omnia orationis ornamenta: hanc aut ab Vno Cicerone, aut à nemine alio petendam eſſe, iam ſæpius dico, atque præcipio, ſi quidem in eo huius omnes Virtutes cumulatiſſime extant, atque adeo præſtant. Nam & in hoc graui omnia orationis ornamenta aſſiduè legendo facillime imbiberis. ſi Vero ſe demiſſius agat, Vt timide, Vt Verecunde, Vt parce iſta ipſa attingat, pari addiſces ratione. in mediocri autem cum Verſabitur, ac quaſi ille faciat, qui non in oceano omnibus Ventis latiſſime Vela pandat, neque lintrem in placidiſſimo flumine contis impellat, ſed qui non longe à litore modo remis, modo Velis nauigationem ſuam exerceat, neque elate nimis, neque demiſſius, quàm ſatis ſit, in orationis mediocritate ſeſe continere Videbis. cum Vero celeritate opus eſt, huius oratio fluit, nulla mora, interpuncta, interualla, nullis Vinculis impedita conuoluitur, contrà Vero ſi in ea ſenſim conſiſtendum eſt, tum & interpunctis, & moris, & interuallis, & ſuis interſpirationibus omnibus conquieſcit. ſi Vero cauſa lenitatem, atque æquabilitatem orationis poſtulet, tum & puro quaſi quodam,

& candido dicendi genere omnem præ ſe fert
orationis ſuauitem. ſin contra in dicendo re-
tinenda erit ſeueritas, grauitate cæteros om-
nes facile ſuperat. in hoc igitur vno ſeſe meus
imitator vt contineat, volo, in hoc ſit totus, in
hoc habitet, hunc verſet, legat, relegat, multa
huius denique ad verbum memoriæ mandet,
quàm etiam plurima poſſit, notet, atque ob-
ſeruet fideliſſime. Quoniam vero hæc pueris
(ſi fieri poſſit) cum lacte ipſo imbibenda eſt,
vt illis expeditior, ac promptiòr adſit, quæq;
vna cum iis & nata, & alta videri poſſit,
hoc quoque in loco hanc mihi quoque curam
duxi minime eſſe contemnendam, vt his e-
tiam benigne prouiderem. His igitur con-
tinuo eum magiſtrum præficiendum eſſe volo,
qui huiuſce facultatis virtutes omnes optime
calleat, atque in iis vtendis ſit exercitatus
maxime. Sed ne mihi nimium ſumere vi-
dear, qui magiſtros inſtituere velim, ego
nunc de me agam ipſo, id inquam, quod ego
facere ſoleò, atque adeo tecum feci, & mox
cum fratre tuo Alouſio facturus ſum, in me-
dium proferam: vtrum id recte, bonorum
erit iudicium. Ego igitur cum paucos mihi
iam pridem delegerim auctores, ad quorum
locutionem meam ipſe dictionem conforma-
rem, duos ex iis præcipue cum meis pueris in
manibus habere ſoleo, Terentium, & Cicero

nem

nem. nam vt puer meus prima rudimenta po nere cœperit, tum nobis Terentius ſumitur. ex hoc primo illos aliquot dies binos, aut ternos verſus, quæ mihi in parte ad eius ingenium accommodatius eſſe arbitror, explicare incipio: qua in re multum eius ſtudium fabulæ, quibus pueri maxime capiuntur, iuuant oblectamenta, quæ plerique quoque ratione ducti ad Ouidij fabulas ſuos magis informare ſtudent, neque vident inepti (vt quæ cætera ſine ſtomacho percurrere non poſſum, iſtis condonem) hanc eſſe canendi, non loquendi rationem. in quo nullus ſit verborum delectus, nulla ad ſolutam orationem accommodata locutio. naturam equidem optimam ducem ſequi malo. itaque meum ipſe diſcipulum prius loqui, atque ingredi, quàm canere, atque ſaltare inſtituo: nec longius eo mihi res, quo dicebam, producitur inſtituto. mox enim Terentio aliquid etiam ex Cicerone adiungitur ex eis, quæ mihi in eo facillima, quæq; ad pueri captum videbuntur accommodatiora, vt ſunt ad Terentiam vxorem quædam familiariter, item ad Tironem ea ratione, atque facilitate conſcriptæ epiſtolæ, in quorum vtroque locutionem in primis obſeruamus diligentius, non admodum inter ſe diſsimilem, niſi quòd Terentij magis popularis (vt pauca quædam vetuſta

omittam) ac quotidiani eſt ſermonis, quæq; in eo genere cum ad prouocādum, tum etiam laceſſito ad reſpondendum magis arguta, ac paratior videtur, ad hanc æque iam tum meum diſcipulum inſtituo, hanc vnam eum doceo, in hanc vnam totus incumbo. neque id ſolum in ea, quam præſens attulerit pars, ſed ſi qua alio etiam modo alibi aut ab iſtis ipſis, aut à quopiam alio ex noſtro grege prolata ſit, eam dedita opera cum præſenti conferimus parte: quam ipſam locutionis multiplicem copiam vt in ſuos codicillos deſcribat, ſedulo commoſtro, ad cuius etiam rationem vt mihi ex tempore reſpondeat, paulatim inſtituo, vt verò paulo liberius cum eo agere mihi licere, ac quaſi à remis ad vela nauigationem noſtram transferre poſſe ſentio, paululum Terentium ſepono, non quòd hunc vnquam quicquam contemnam, nam ſemper in eo eſt quod in vſum meum commode ſumere poſſim, ſed vt ad ſecurius, atque ſplendidius loquendi genus meum diſcipulum traducam, me totum vni Ciceroni do, atque addico, in hunc vnum ſtudioſius incumbo, in hoc hæreo, huic vni penè omnem operam do, id autem hoc modo. Sumo mihi partem aliquam ex eo, quæ magis libeat, eam illi in noſtrum ſermonem dicto, quam mihi latinam vt faciat, iubeo, paret, refert, corrigetur. quo ſedulo perfecto

fecto Ciceronis locum affero integrum, confero, diſcipulum, quæ eius ſunt, doceo, quæ communia cum Cicerone, hortor, ſic reliqua. Vbi is ſit paulo preſsior, contra Cicero ornatior, vberior, admoneo, vt monitus aliàs meminerit, ſuadeo: qui ſonus ex ſuorum verborum aſpero concurſu naſcatur, qui ex Ciceronis ſtructura nobis concinnius moduletur, vt ſentiat, curo diligenter. Contra vero quando item indiligens diligentia minime ingrata ſit, ac vocalium hiatus molle quod habeat, atque aſperum, quod etiam ſi aurium iudicio reſpuatur, non tamen inepti & parum conſulti hominis eſſe commoſtro. Poſtremo cum longo nimis verborum anfractu orationem ſuam determinet, vt eam intra moderati ſpiritus concluſos terminos contineat, tamen ſi contra eam anguſtet nimis, quoad laxanda ſit ſedulo commonefacio. Non ſoleo ego (ne hoc quoque omittam) meum diſcipulum cogere, vt fit plerunque in ſcholis, quicquid ei dicendum vſu veniat, latine vt id proferre conetur. Vtrum enim plus commodi, an damni ad latinam elegantiam, quam nos quærimus, hoc afferat ſtudium, non planè ſatis habeo comprobatum: equidem ſi meo diſcipulo cum iis verſandum ſit, qui tantum eo modo egregie, atque ſplendide loquantur, in eam conſuetudinem eum inducerem omnino; id enim fieret, quod nos in

noſtra

noſtra lingua; & Romani in hac ipſa ſua latinæ faciebant, vt nulla difficultate, multa etiam cum dignitate, quicquid poſtea vellet, commode loqueretur. Sed cum hic à libris diſceſſit, aut etiam à magiſtro ſuo, aliò locutionis ſuæ rationem referre cogitur, domi, in vijs, cum familiaribus, ruri, in vrbe, alio etiam modo loquendum eſt. Huc accedit, quod infanti puero, dum ea, quæ vult, & ex tempore, atque ſubito proferre laborat, multis partibus ea plura excidant, quæ barbare, quæ inepte, quæ incondite, atque incompoſite, quæ denique nullius dignitatis ſint, quàm quæ vix tollerabilia ſint neceſſe eſt. Ita fit, vt dum locutionis ſtudeant celeritati, orationis ornatum omnem, atque dignitatem corrumpant. Quoniam autem quod in quotidiano ſermone poſitum eſt, nihil admodum latinæ orationi prodeſſe videtur ad eam dignitatem, quæ eius linguæ mere germana eſt, ac omnino ea nobis aliqua exercitatione; atque artificio comparanda, atque confirmanda eſt: equidem id diligentiæ ab vno ſtylo, qui dicendi magiſter, & opifex eſt optimus, petendum eſſe cenſeo. Ad hunc igitur eo modo, quo eſt dictum à nobis paulo ſupra exercendus eſt puer. cum vero is in eo tantum profecerit, vt iam (quod aiunt) ſine cortice natare didicerit, tum denique in eo ſe con-

tineat,

tineat, in eo dies, & noctes ſtudioſe verſetur, ſcribat, reſcribat, deleat, reponat, libros, volumina conficiat, materia nulli deeſſe poteſt; quam ſumat ad ſcribendum, quotidie adſunt res, nouæ, amplæ, priuatæ, publicæ, quæq; ætas ſemper aliquid ſecum affert quod poſteris memoriæ mandetur. Sed fac vt vera deſint omnia, nihil agant homines, ceſſent bella, ſtudia omnia conticeſcant, nunquam illi deeſſe poterit; quæ ſuo arbitratu ſibi effingat, atque componat. Sed quicquid ille aut verum, aut à ſe confectum ſcribendo perſequi volet, id vnum primum, & poſtremum ei præcipimus, vt optimum ſemper auctorem ſibi habeat egregie propoſitum, ad cuius omnem ſcribendi rationem, ſuam & ipſe totam dirigat, atque conformet orationem.

Habes, Alfonſe Princeps, quid ego de imitatione ſentiam, ac quibus ea præceptis à me tradi potuerit opus mihi quidem & multarum vigiliarum, & ſummi laboris plenum. quod ſi tibi gratum fuerit, hoc eſt, ſi ſcriptionem tuam ad eius rationem inſtitues, & me mei ſuſcepti ſtudij minime pœnitebit. & ipſe ſummam in illa ſcribendi facilitatem te conſecutum eſſe, mirum in modum lætabere.

FINIS.

GERMANI BRIXII IN Obitum Longolij.

Caſtalides lacerate genas, diuellite crinem:
Nec lachrymæ finem, nec teneant gemitus.
Proh dolor, effertur Patauina funus in Vrbe,
Ante ſua extincti tempora Longolij:
Quē modo vel Gallus voluit pro dote Latina,
Roma locum ciues inter habere ſuos:
Roma ſibi plenè mox reſtituenda, dediſſent
Longolio plenos ſi modo fata dies.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Longolio, vixdum digreſſo matris ab aluo,
Dixerat Aonidum nomine Mercurius:
Creſce infans, tibi ab ingenij linguaq́; diſertæ
Dotibus, olim ingēs (me duce) fama aderit.
Quā primis poſtquam ſibi quaſiuiſſet in annis
Longolius, fuſo nocte dieq́; oleo:
Tum deus eloquij veritus, ſi debita fati
Ordine vixiſſet tempora Longolius,
Ne ſibi præriperet linguæ decus, inuidus illum
Contactum virga ſuſtulit ante diem.

ALIVD

ALIVD.

Κείμενον ἐν μούσων κόλποις ἀντίωρος ἐντὸς
Τείχους Λογγόλεαν κὴρ ὀλοὴ δάμασεν.
Τῷ ῥα ἑῆς πόλιος στεφανὸν διηρύσατο ῥώμη.
ἀστείῳ γέραι ξεῖνον ἀμειβομένη.
Οὕνεκα τῶν τε λόγων καὶ λέξιος οὕνεκα κομψῆς,
Οὕνεκα τῆς διδαχῆς, οὕνεκα τῶν χαρίτων,
Δύσμορε Λογγώλεως, φυτὸν ὡς θάνες ἐν νεότητι
Καίπερ ἐὼν ζωῆς ἄξιος ἀθανάτου.

LATOMI.

Illa caput regni, Phœbiq́ Lutetia nutrix,
Longolium ciuem dixerat eſſe ſuum.
Interea attollens ſimileis Mechlinia criſtas,
Aſſeruit titulo non grauiore ſibi.
Roma ſed indignans: meus eſt ſi Tullius, inquit,
Non hic: & aſſcripſit: non meus eſſe poteſt.
Proſiliens tandem titulis Sconhouia verus,
Dulcibus ex hortis flore reuincta caput:
Gaudeo quod Batauam vel nunc amplectere aurem,
Roma, ait, at partum tu mihi redde meũ.
Septẽ vrbes certent de ſtirpe inſignis Homeri,
Quattuor eſt harum his ſpecioſa magis.

IN

IN COMMENDATIONEM Longolij, Claudij Roſeti Carmen.

Antehac noſtra cuiquam Ciceronis ineſſe
Eloquium, neruos, vimq́ʒ, ſtilumq́ʒ negant.
At tua Longoli auſcultent ſine nomine, nullū
Iurabunt aliud tam Ciceronis opus.

EIVSDEM.

Antiſtes eloquentiæ, magni nepos
Atlantis, admiratus vt Longolium eſt
Artificibus fandi eſſe priſcis non modò
Parem, ſed & maiorem: ait, præſtantior
Vt plurimum diſcipulus eſt didaſcalo.

FINIS.

ELENCHVS EPISTOLARVM CHRISTOPHORI LONGOLII.

***

A

Aegidio Viterbienſi. 365
Alexandro Paccio. 176
Andrea Nauagerio. 137.371
Antonio Marcilio. 106.127.257.292
Auguſtino Grimoaldo. 85
Auguſtino Beatiano. 172

B

Baptiſta Egnatio. 273.285.294.309
Baptiſta Anton. Francino. 374
Bernardo Sandro. 110
Bernardino Cortona. 375.400

C

Camillo Theologo. 353

D

Dionyſio Monacho Lerinenſi. 81

F

Flaminio Tomarotio. 123.126.220
Flauio Chryſolino. 113.114.141
Franciſco Rubrio. 206.209

a Fran

Franciſco Charecato. 372
Franciſco Deloino. 338
Franciſco Bellino, 382
Fuluio Cortona. 403
Furnio Mario Molſa. 80

G

Gregorio Corteſio. 82
Gulielmo Budæo. 64.101.164

H

Hieronymo Fondulo. 50.100.143
Hieronymo Alexandrino, 62
Hieronymo Nigro. 174
Hieronymo Sauorniano. 321

I

Iacobo Sadoleto. 117.145.242.251.356 383.408
Iacobo Lucæ Decano Aurel. 416
Ioanni Aurelio Augurello. 60
Iulio Tomarotio. 215

L

Lælio Maximo. 111.147.350
Laurentio Bertol. 372
Leoni Pontif. Max. 120
Leonardo Pomaro. 337

M

M. Antonio Michaëli. 157
M. Antonio Flaminio. 191.199.202.223. 271.304.347
Mariano Caſtellano. 297.326.358

Merli

Merlino Gelaſiano. 185

N

Nicolao Draconi. 365. 378. 405

O

Octauiano Grimoaldo. 64. 98. 107. 129. 227. 229. 232. 236. 239. 244. 245. 248. 253. 254. 258. 263. 275. 278. 279. 281. 283. 288. 289. 295. 306. 312. 322. 328. 333. 342. 360. 361. 380. 410

P

Petro Bembo. 33. 34. 37. 41. 46. 54. 57. 77. 90. 108. 119. 126. 134. 170. 218. 287. 320

Petro Priſſoo. 53

Petro Machiauello. 170

R

Raynoldo Polo. 413. 415

Rogerio Barma. 131. 314

S

Simoni Villanouano. 187. 204. 207. 210. 212

Stathio. 86. 179

Stephano Saulio. 124. 191. 194. 197. 221. 266. 301. 343

Stephano Theologo. 354

T

Thoma Linacro. 225

Vido

V

Vidobaldo Rouzerio. 167

Elenchus Epiſtolarum quas ad Longolium Eruditi homines ſcripſerunt.

Eraſmi Roterod. 452
Gulielmi Budæi. 456
Iacobi Sadoleti. 434. 438. 442. 445. 447. 451
Petri Bembi. 321. 424. 430.

FINIS.

do. Pedro
giron de re al

i189395-1x

manclus Tne Lab ... mea

age aperis ... C+

Olmeum annuntiabit

Suan bis lauderm ... hanim

... f. l. 438. ...

... Nacenfan lcac

18 domine Lx

0 66 4
160
036
262

262

26
16
8

4
3
62

5

Este Libro es de el señor Pedro Giron de el
Real vez.o y morador de esta Ciudad de Seuilla
y estudiante en el Colegio de Maestro Rodrigo año
1630

Vendiolo a sebastian ximenes
centeno y ansi no tiene ya en Pedro Giron
el mas dominio q el lo quisiere sus del Acala y
dueño voluntariam.te — sebastian xim.s
centeno

49

35


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm